

IDAD UAM NOMA DE NICE
CCIÓN UAM BIBLIOTE

PETRO SOAVINI

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

TOMUS TERTIUS

BX1758

S3

1863

V.3

C.1

TÓNOMA D
NERAL DE B



1080046439




Lot # 2 Lot # 42

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

TOMUS III

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Dr. Benavides. ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGUORIO
PIO IX PONTIFICI MAXIMO

DICATA

AUCTORE PETRO SCAVINI

Theologo collegiato J. U. D. Equite SS. Maurilii et Lazari,
Romanae Academiae Religionis Catholicae, Arcadiae, Catholici Instituti Parisiensis
et Societatis Academiae Augustanae
Titulo S. Anselmi socio ecclesiae cathedralis novariensis,
canonico praeposito urbis et diocesis vicario generali emerito

EDITIO QUARTA PARISENSIS JUXTA NONAM ITALICAM, OMNIUM ABSOLUTISSIMAM
ACCEDIT COLLATIO CODICIS CIVILIS GALLICI

TOMUS TERTIUS

DE RESTITUTIONE, DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, DE SACRAMENTIS IN GENERE,
DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM
VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER. 39

1865

110558
37981

BX 1758

53

1863



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

TRACTATUS SEPTIMUS DE RESTITUTIONE

Hactenus de Virtute Justitiæ: quid si ejusdem præcepta violari contigerit? quid si *meum* illud et *tuum* fuerit perturbatum? Justitia tunc non amplius habetur, nisi res in pristino statu vel ad æqualitatem vel eo saltem meliori, quo poterit modo, reponatur. Id porro *restitutionis* vocabulo solet in Scholis indicari: *Restitutio*, inquit Angelicus, *est reparatio inæqualitatis existentis in rebus* (2, 2, q. 62, a. 1); hinc tractatum *De Justitia et Jure* sequitur hic alter *De Restitutione*.

Ut autem omnium virtutum moralium satis apta notio habeatur, in fine erit quoque Appendix de Justitiæ filiabus, necnon de cæteris virtutibus cardinalibus.

DISPUTATIO PRIMA DE RESTITUTIONE IN GENERE

I. Q. 1. *Quid est restitutio*¹?

R. Restitutio, quæ nihil aliud esse videtur, quam iterato

¹ Restitutio differt a *solutione*, quæ fit ad præcavendam injuriam; a *satisfactione*, quæ sustinetur ad obediendum justitiæ vindicativæ; a *satisfactione*, quæ datur ad personales offensas solvendas. Nam restitutio supponit violationem juris alieni. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 547 et seqq.

BX 1758

53

1863



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

TRACTATUS SEPTIMUS DE RESTITUTIONE

Hactenus de Virtute Justitiæ: quid si ejusdem præcepta violari contigerit? quid si *meum* illud et *tuum* fuerit perturbatum? Justitia tunc non amplius habetur, nisi res in pristino statu vel ad æqualitatem vel eo saltem meliori, quo poterit modo, reponatur. Id porro *restitutionis* vocabulo solet in Scholis indicari: *Restitutio*, inquit Angelicus, *est reparatio inæqualitatis existentis in rebus* (2, 2, q. 62, a. 1); hinc tractatum *De Justitia et Jure* sequitur hic alter *De Restitutione*.

Ut autem omnium virtutum moralium satis apta notio habeatur, in fine erit quoque Appendix de Justitiæ filiabus, necnon de cæteris virtutibus cardinalibus.

DISPUTATIO PRIMA DE RESTITUTIONE IN GENERE

I. Q. 1. *Quid est restitutio*¹?

R. Restitutio, quæ nihil aliud esse videtur, quam iterato

¹ Restitutio differt a *solutione*, quæ fit ad præcavendam injuriam; a *satisfactione*, quæ sustinetur ad obediendum justitiæ vindicativæ; a *satisfactio*, quæ datur ad personales offensas solvendas. Nam restitutio supponit violationem juris alieni. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 547 et seqq.

aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, potest breviter definiri: *Juris alieni redintegratio*. Communiter autem definiri consuevit: *Actus justitiæ commutativæ, quo vel res accepta suo domino redditur, vel damnum injuste illatum compensatur*. Dicitur: — 1. *actus justitiæ commutativæ, ut indicetur ex sola justitiæ commutativæ violatione oriri obligationem restitutionis*; — 2. *quo vel res accepta suo domino redditur*: unde supponitur rem, quæ redditur, jam antea propriam illius, cui redditur; — 3. *vel damnum illatum compensatur*; quia damnum alicui inferre perinde est ac ejusdem jus violare, seu aliquid e rebus suis auferre; — 4. *injuste*; nam si damnum fuisset illatum ob causam justam, v. g., ob justam vitæ propriæ defensionem, nulla esset obligatio compensationis. Item est, si quis in sui damnum plene consentiat, et valeat consentire; nam scienti et volenti nulla fit injuria.

Dicimus *si plene consentiat*: hinc qui crumenam dat latroni, adhuc patitur injuriam; non enim nisi repugnans consentit. *Si valeat consentire*; nonnunquam enim a lege impeditur: hinc minor libere consentiens in donatione suorum bonorum patitur injuriam; quia lex obstat ne possit jus suum ex se cedere.

2. Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad salutem iis, qui graviter aliorum jus læserunt. Hinc Ezechiel ait, quod tunc tantum vita vivet et non morietur impius, si *et egerit penitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit*¹. Et Apostolus: *Reddite... omnibus debita*². Vel ipsa natura clamat suum cuique tribuendum, et nemini faciendum quod nobis fieri nolumus. — Diximus: vel *in re* vel *in voto*; nam qui absolute nequit restitutionem peragere, excusatur quidem actu a restitutione *in re*, cum nemo teneatur ad impossibile; non tamen a restitutione *in voto*, id est a proposito restituendi cum primum poterit: secus ipse retineret adhuc affectionem malam ad rem alienam, et sic versaretur in peccato habituali. Quare D. Augustinus proferens ea notissima verba

¹ Cap. xxxiii. — ² Rom. xiii.

in jure Canonico relata¹: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, addebat: cum restitui potest*².

3. *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere, uti habet D. Thomas*³; ideo semper urget, adeo ut qui non potest hic et nunc restituere, teneatur quod in se est facere, ut quamprimum valeat; qui enim semper obligatur ad finem, semper etiam ad media. Hinc peccat qui impensas superfluas in ludo, in mensa, in habitu, in itineribus, in libris, in floribus, in canibus, in suppellectili, et similibus resecare non curat, ut debitis suis satisfaciatur.

4. Q. 2. *Quænam vera restitutionis origo seu radix?*

R. 1: Restitutionis radix generalis atque remota non est nisi violatio justitiæ commutativæ. Sane nulla est restituendi obligatio, nisi violetur jus strictum alterius; atqui jus strictum alterius non violatur, nisi per violationem ipsius justitiæ commutativæ. Quapropter læsio tam justitiæ legalis, quæ respicit jura legum et pœnas; quam justitiæ distributivæ, quæ respicit merita personarum, per se non obligat ad restitutionem: etsi peccaminosa, cum apud Dominum nullasit distantia personarum⁴. — Non 1. *violatio justitiæ legalis*; quia jus Reipublicæ in subditos non est directe in eorum res vel operationes; sed in publicum bonum, ad quod quisque obediendo concurrere debet. Non 2. *violatio justitiæ distributivæ*; quia ex Angelico, munera et officia in societate primario instituta non sunt in præmium meritorum, sed in publicum bonum: unde jus, quod habent digni, est jus dignitatis in voluntate Reipublicæ fundatum, non vero jus strictum fundatum in proprietate.

Diximus *per se*; nam per accidens etiam ex violatione justitiæ tum legalis tum distributivæ, imò et vindicativæ obligatio restituendi oritur, scilicet quando iis ob pactum explicitum vel implicitum justitia commutativa consociatur. Sic superior qui indigno atque Reipublicæ noxio confert beneficium, non violat quidem jus strictum dignioris, ideoque nihil debet ipsi

¹ C. 1, *Si res alien.*, caus. 14, q. 6.

² Ep. cliv; alias lrv, c. vi. — ³ 2, 2, q. 62, a. 8.

⁴ Deut. i.

restituere, quia illi superior non aufert quod suum est (beneficium enim non nisi per collationem fit suum); violat tamen jus strictum societatis, et damnum eidem infert, quod reparare tenetur: nam stricto jure tenetur detrimentum a societate avertere, cum ideo sit constitutus superior et stipendium accipiat¹. Sic pariter qui delegatur ad distribuendum, puta centum scuta aliquibus de tali communitate, pro cujuscumque tamen merito, si non servet legem justitiæ distributiæ in tali distributione tenetur restituere; non enim dominus est, sed simplex executor.

Quod valet etiam de illo, qui deputatus est ad legata solvenda personis a testatore determinatis, quæ tamen aliis non vocatis distribuit; nam distributor ille, ait Lugo, non est superior habens distributionem bonorum, sed est quasi œconomus, ad quem pertinet colligere bona, et postea ea non tam distribuere, quam solvere singulis, qui ex voluntate fundatoris habent jus strictum, utpote in eâ conditione, quam testator posuit.

R. 2: Proxima radix et specialis duplex adsignatur: 1. *res aliena inculpabiliter accepta*, cui adnectitur obligatio restituendi *ex contractu vel quasi-contractu*; 2. *res aliena culpabiliter accepta*, cui adnectitur obligatio restituendi, tum *ex injusta detentione*, quæ est virtualis ac quasi continuata acceptio; tum *ex injusta damnificatione*. Aliquem enim damnificare in rebus suis idem est ac aliquid ab eo subtrahere, licet talis subtractio sit ipsi subtrahenti prorsus inutilis.

Attamen plerique claritatis gratia adsignant longe plures radices hujusmodi; sed omnes in duabus illis, nostra sententia continentur². Nam tot sunt radices proximæ restitutionis

¹ Sic restituere tenetur magistratus vel iudex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur: quia tunc non tantum est officii prætermissi reus, sed etiam violati contractus, quo se implicite ad damna subditorum præcavenda obligavit.

² Sex nempe adsignant: — 1. est res aliena existens in se vel in æquivalenti, sed sine culpa: puta si invenias inter tuas alienam gallinam; — 2. est injusta acceptio, ut si quid habeas ex furto; — 3. est injusta damnificatio; — 4. est contractus vel quasi-contractus: quidquid enim sit contra contractum vel quasi-contractum, fit contra justitiam commutativam; —

quot sunt primariæ species læsionis juris alterius; atqui duæ tantum sunt primariæ species læsionis juris alterius, scilicet læsio materialis, cui respondet obligatio ex re aliena inculpabiliter accepta, et læsio formalis, cui respondet obligatio ex re aliena accepta culpabiliter. Vel ipsa lex ac iudicis sententia uni ex his inimitur, cum aliquem ad restituendum adstringit; et hæc duplex radix tantum ab ipso Angelico innuitur, qui notat rem unius haberi posse ab alio dupliciter: *Vel nempe per voluntatem ejus, ut in deposito; vel contra voluntatem ejus, ut in furto*¹.

CAPUT PRIMUM

DE SUBJECTO RESTITUTIONIS

5. Subjectum restitutionis est ipsa persona, quam restitutio afficit. Duplex est: activum unum, et est persona quæ ad restitutionem tenetur; passivum aliud, et est persona cui restitutio peragenda est. — Persona vero, quæ ad restitutionem tenetur, vel rem accipit aut retinet inculpabiliter, et dicitur *possessor bonæ fidei*; vel accipit aut retinet dubitans num res sit sua necne, et dicitur *possessor dubiæ fidei*; vel accipit et retinet culpabiliter, et dicitur *possessor malæ fidei*.

Art. I. — De eo qui ad restitutionem tenetur.

6. Q. 1. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

R. Possessor bonæ fidei tenetur statim ac cognoscit rem non esse suam, illam domino reddere si adhuc retineat, et nisi eam legitime præscripserit; quia res semper clamat ad dominum, ac nemo debet cum alterius jactura locupletari. Si vero rem non amplius retineat, distinguendum est: vel inde factus est ditior, puta quia eam cum alia re commutavit; vel non est factus ditior, puta quia eam consumpsit, quin

5. est justa lex, ut esset per se lex tributorum; — 6. est iudicis sententia justa. — V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., vº Restitutio.

¹ 2, 2, q. 62, a. 1 et 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 540.

ideo pepercit rebus suis. — Si non est factus ditior, ad nihil tenetur, quia alienum nec in se nec in æquivalenti possidet. Si vero ditior factus est, restituere tenetur in eo, in quo talis effectus est; quia in hoc æquivalenter retinet alienum. Hinc qui vestem alterius bona fide credens esse suam, portaverit et attriverit, si postea dominus compareat, tenetur eam restituere, et insuper solvere quantum attrita est, si aliam vestem æqualis valoris ipse bonæ fidei possessor attrivisset. Item qui apud amicum de re furtiva cœnavit, tantum domino restituere debet, quantum de propria cœna pepercit¹.

Hic tamen notandi sunt ex lege civili duo casus, qui æquitati sunt consoni, cum faveant humano commercio, bono publico ac possessionum tranquillitati; ideoque probabilius tenent etiam in conscientia, ut communiter docent cum Bouvier, Carriere, Gousset, Gury, Vernier, etc. En primus: « Le simple possesseur ne fait les fruits siens (ergo non tantum industriales, verum et naturales, civiles, ac mixtos etiam qua parte sunt naturales; modo jam percepti sint, id est separati a radice) que dans le cas où il possède de bonne foi; dans le cas contraire, il est tenu de rendre les produits avec la chose au propriétaire qui la revendique². » Ergo qui bona fide alienum fundum possidet, tenetur quidem fundum suo domino restituere, non vero fructus inde perceptos; hos non debet nisi a die judicialis petitionis a domino factæ. En secundus: « Si le possesseur actuel de la chose volée ou perdue l'a achetée dans une foire ou dans un marché ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles³, le propriétaire originaire ne peut se la faire rendre qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle a coûté. »

An vero qui bona fide emit rem furtivam, possit solum

¹ In dubio, an sit factus ditior, et perseverante dubio, post diligentem inquisitionem, ad nihil tenetur; quia tunc possessio stat pro libertate. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 607 et 706. — Ferraris, *Bibliotheca canonica juridica*, etc., v^o Possessor bonæ et malæ fidei.

² Cod. civ. Ped., art. 455. — C. A. 350. — C. G. 549. — C. S. 474. — C. P. 575. — C. M. 659.

³ Cod. civ. Ped., art. 2412. — C. A. 567. — C. G. 2280. — C. S. 2186. — C. P. 1409. — C. M. 2515.

pretium exigere in conscientia a domino, ut illi rem suam restituat, etiamsi non agatur de re empta in foro publico, vel ab eo qui res hujusmodi vendere solet, videtur affirmandum si pretium solutum modicum sit; æquum enim non est, ut qui utiliter negotium domini gessit (rem subducendo e manibus furis), damnum exinde patiat. Si autem pretium esset ferme æquale rei, non posset illud exigere; secus dominus emeret rem suam: tunc sufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum quantum videtur meruisse emptor, rem domini utiliter a fure redimendo.

7. An (quæres) qui emit bona fide rem furtivam possit illam iterum furi restituere, si videat quod nequeat alio modo pretium suum recuperare? Conveniunt: 1. quod non potest eam furi restituere, si dominus rem suam petat; dominus enim de jure naturæ a quocumque et quocumque loco potest rem suam recuperare; 2. quod e contrario potest furi eam restituere, si dominus ipse facile posset ab ipso fure rem suam habere; tunc enim dominus non esset rationabiliter invitus, siquidem nullum patitur damnum, et sic emptor suum recuperat pretium: et juxta axioma, *quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere*. Extra hunc casum, utrum possit in conscientia emptor iterum rem furtivam reddere furi ad suum pretium recuperandum, duæ sententiæ: una cum S. Antonino, Lessio, Lugo, etc., affirmat; quia hoc modo nullum damnum infertur domino, cum res in priori suo statu collocetur. Altera autem cum Laymano, Croix et Concina negat; nam negari haud potest, rem illam per emptionem e manu furis ablatam evasisse melioris conditionis: et ideo si iterum furi restituatur, fieri deterioris, quod est illicitum. Aliunde res clamat ad dominum, non ad furem.

Secunda sententia negans est multum probabilis; sed etiam prima affirmans non est minus probabilis, imo forte probabilior, si eo in casu emptor constitutus sit, ut aliter nequeat pretium suum recuperare; nemo enim tenetur rem domino suo servare cum æquali suo damno: ideoque poterit permittere, ut fur rem a se venditam iterum recipiat, ne emptor pretium suum amittat. Adde: cum quisque jus habeat ad bona sua recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quæ per

se est directa ad damnum proprium reparandum, licet tunc per accidens damnum alteri superveniat¹ (A).

8. An (quæres) bonæ fidei possessor possit repetere impensas in aliena re factas? — Impensæ aliæ sunt necessariæ, sine quibus res servari nequit; aliæ utiles, quæ rem meliorem reddunt; aliæ voluptuariæ, quæ rem exornant. Porro impensæ necessariæ a domino compensandæ sunt, si res erat infructifera: secus si fructus reddat, quia tunc possessor bonæ fidei sat compensatur ex perceptis fructibus. Impensas utiles debet proprietarius compensare pro valore incrementorum, quia revera pretio æstimabilia sunt. Idem æquitas postulat quoad impensas voluptuarias, saltem in quantum rei valorem augent, ne dominus de alieno ditiescat: si tamen absque deterioratione possint auferri, ut sunt statuæ, imagines, dominus nihil refundere tenetur, quia possessor bonæ fidei eas auferre potest.

9. Q. 2. Ad quid tenetur possessor dubiæ fidei?

R. Dupliciter potest quis rem alienam possidere dubia fide: 1. si illam possidere incipiat jam dubitans sua ne sit, ut si emerit rem alienam dubitans, an sit venditoris; 2. si postquam illius possessionem adeptus sit bona fide putans esse suam, dubium superveniat.

Si agitur de primo casu, possessor sic agens peccat; quia evidenter se exponit periculo rem alienam sibimet usurpandi: ideoque majori vel minori diligentia pro majori vel minori rei ipsius valore tenetur inquirere dominum. Si compareat et multo probabilius existimet rem vere ad ipsum spectare, illi reddere debet; nam cum dubius certam possessionem inchoare non potuerit, res illius est, pro quo stat major veri probabilitas: si non compareat, in illa majori probabilitate, rem scilicet alterius esse, debet illam distribuere pauperibus ex præsumpta domini voluntate. — Si vero post

¹ Neque obstat, quod res fiat hoc modo deterior; quia hic non habetur, nisi rescissio contractus: sed rescissio contractus huic emptori est directe licita et necessaria ad vitandum proprium damnum. Quod si inde damnum obveniat domino, id per accidens est; non enim emptor rem furi restituit, ut sibi eam retineat, sed ut rescindat contractum suum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 569.

adhibitam sufficientem diligentiam multo probabilius judicet rem esse suam, potest eam sibi retinere, paritate rationis. Quod si dubium remanet hinc inde æquale, res dividi debet inter utrumque juxta dubii rationem, ut docent probabilius; nam par est utriusque conditio. Lugo, Lessius, Salmanticensis, etc.

Si agatur de secundo casu, sententia communior et probabilior cum Croix, Laymano, Lugo, Roncaglia, Sanchez, Sporer et Viva docet, eum ad nihil teneri, nisi moraliter constet rem esse alienam. Id autem probatur: 1. jure Canonico, ubi hæc habentur D. Augustini verba: *In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum*¹; atqui quamdiu certo moraliter non constat rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum; 2. ratione: nam per possessionem bonæ fidei acquiritur verum jus, cum possessio a Juristis dicatur: *Jus insistendi in re non prohibita possideri*. Ergo quamdiu dominium rei est dubium, tamdiu possessor retinet jus insistendi in ipsa, ita ut ante diligentiam ad veritatis assecutionem adhibendam teneatur quidem rem servare; sed post diligentiam illam, veritate non obtenta, possit eandem consumere, imo et alienare, admonito tamen emptore de dubio adhuc vertente.

Idque tenet, etsi contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla in ejusdem favorem; quia adest semper pro eo præsumptio orta ab ipsa possessione, quæ secum importat jus certum, quod nequit superari, nisi ab alio jure certo pro altera parte per rationes convincentes.

*Quid (dices) si possessor iste, superveniente dubio, culpabiliter negligat adhibere diligentiam ad veritatem invenientem, et postea eam non possit amplius invenire*²? — Tunc nonnulli putant possessorem mortaliter quidem peccasse

¹ Can. *Si virgo*, q. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 55; l. III, n. 625.

² Titius, v. g., fundum possidet, sed interdum dubitat an ille fundus ad Sempronium pertineat: fac Titium negligere documentorum lectionem et interim fortuito incendio archivium conflagrare: teneturne Titius ad aliquid erga Sempronium? En casus.

omittendo illam diligentiam, sed ad nihil adhuc teneri: quia ex una parte damnum illatum semper dubium est; jus vero possessionis ex alia est certum. Attamen nos verius putamus, quod talis possessor et peccaverit et teneatur aliquid restituere ei, de quo dubium est, an sit verus dominus, sin autem pauperibus: cum enim iste culpabiliter dominum privaverit spe, quam habere poterat ad rem suam sibi comparandam, et ista spes esset profecto pretio æstimabilis, jam damnum certo est eidem illatum¹.

10. Q. 3. Ad quid tenetur possessor malæ fidei?

R. Fur, vel quisvis alius possessor malæ fidei, tenetur domino reddere rem suam cum omnibus fructibus, nisi sint mere industriales: item omne damnum emergens et lucrum cessans a die possessionis; quidquid uno verbo ex re percipit, vel potuisset percipere, si ut bonus paterfamilias ipsam administrasset. Secus illata injuria ex integro non repararetur: convenit Jus civile². Hinc præstare etiam tenetur augmentum rei, si talis natura sit, ut res illa crescat; nam res suo domino crescit³.

Diximus tamen nisi sint mere industriales; nam omnes fructus industriæ sunt ei, qui industriam exercet; hinc thesaurarii, quæstores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt negotiando, cambiando, ludendo, etc., hujusmodi lucrum restituere non tenentur. Peccant quidem contra fidelitatem et

¹ Dicimus tamen non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii, ita ut si rationes essent æquales ex utraque parte, res pro medietate sit restituenda; sed minus et forte valde minus, quia rei detentor est in conditione meliori, nempe ob jus possessionis, quod ipsi favebat, et adhuc favet.

² Cod. Ped. art. 455. — C. A. 555. — C. G. 549 et 550. — C. S. 475. — C. P. 575. — C. M. 638.

³ « Ceterum (ait ad rem *Staps*, § 152) ne in computandis infaustis consecretariis exorbitemus, notare juvat, mala quæ alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda, sed ita dimetienda esse, prout ex communi hominum æstimatione taxari solent. Sic, e. g., ridiculum foret illi, qui alterius gallinam occidit, calculum proponere quot pulli ex hac gallina successu temporis nasci potuissent. » Ratio habenda est accidentium, in quibus res perire possunt, et expensarum, et illarum deteriorationis, etc.

obedientiam, si hæc invito domino faciunt; sed non contra justitiam commutativam: ita Antoine, Bouvier, Gousset, etc. Item qui in pecunia alium fraudavit, tenetur quidem et pecuniam restituere et damna si quæ alia obvenierunt, domino compensare; sed non tenetur illi in rigore reddere pecuniæ usuras (vulgo, *intérêts*); quia pecuniæ fructus sunt industriales.

Possessor malæ fidei potest etiam deducere expensas tum necessarias tum utiles ad rem conservandam; sane dominus habet quidem jus, ut rem suam integram cum omnibus fructibus debitis obtineat; non vero ut ex detrimento furis ditior evadat. Excipe nisi fur in pœnam ad expensas amittendas condemnatus fuerit a iudice¹ (B).

11. Quid (dices) si res aliena ablata apud furem ipsum perierit? Si res ablata apud furem perierit, tenetur fur ad illius pretium, etsi perierit absque ulla ejus vel alterius culpa, sed casu fortuito; nam fur rem subducendo totum rei periculum in se suscipit. Excipe, in sententia communiter accepta, nisi etiam apud dominum res fuisset æque peritura; si enim pereat apud possessorem malæ fidei absque sua vel alterius culpa, et eodem tempore ac periculo fuisset pariter penes dominum certo peritura, v. g., in eodem incendio, tunc in foro interno possessor malæ fidei non tenebitur ad restitutionem. Quamvis enim furtum cum injuria commissum fuerit, non fuit tamen causa damni efficax et positiva; nam per subsequentem casum incendiî verificatur, quod actio furis non erat vere damnosa, prout putabatur.

Ut tamen possessor malus liberetur in foro interno a restitutione, requiritur, ut res omnino pereat sine sua culpa, sine culpa alterius, et eodem tempore ac periculo, quo periisset penes dominum. Esset, v. g., si quis imminente naufragio, surripiat socio vas aureum, sed postea magis æstuante tempestate, omnes merces una cum vase ipso sublato undis absorbeantur. Diximus: 1. sine sua culpa; si enim ipse rem consumpsit, vel ex negligentia culpabili eam perdidit, videtur

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 618. — Ferraris, *Biblioth.*, v° Melioramenta.

excusari non posse a restitutione; quia obligatio tunc evasit personalis, ut communiter dicunt, etsi forsitan res adhuc perisset; — 2. *sine culpa alterius*: nam quemadmodum secundus iste damnificator obligationem contraxisset restitutionis, ita et primus remanet eodem onere ligatus; — 3. *eodem tempore ac periculo*: nam si cessante communi illo periculo, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo superveniente, videtur ad restitutionem teneri; quia non restituendo tempore debito fuit in mora culpabili. Quanquam probabiliter adhuc ipsum excusent, si hoc secundum periculum fuerit æque commune; tunc enim non mora, sed periculum semper fuisset efficax causa damni; — 4. *in foro interno*: nam ad quodlibet fraudis periculum avertendum atque ad puniendam malam fidem, lege civili, quocumque tandem modo ac tempore res furtiva perierit, semper remanet obligatus ad restitutionem malæ fidei possessor in foro externo¹.

12. Q. 4. *Quid si pretium quis accipiat pro re jam ab ipso debita?*

R. Vel res illa, pro qua quis pretium accipit, jam debita erat ex justitia: vel ex alia virtute, v. g. Religionis². Si 1, pretium pro ea acceptum restitui debet; quia alter jam habet jus, ut actio ponatur absque ulla pretii solutione: unde retinendi pretium illud nullus est titulus. Sic detractor, qui summam accepit, ut alterum non diffamaret: latro cui pecunia est tributa, ne alium spoliaret, debent acceptum restituere. Sic etiam judex restituere debet quod accepit pro ferenda sententia justa: *Injustus est qui justitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto munere*, ait S. Thomas³.

¹ Cod. civ. Ped., art. 1595. — C. A. 1448 et 1045. — C. G. 1502 et 1505. — C. S. 1256. — C. P. 1285. — C. M. 1561.

² Hic non agitur de eo, quod datur ex mera liberalitate ad inclinandum accipientis animum ad præstanda quæ debet sive ex justitia sive ex alia virtute: liberalis donatio est sufficiens titulus retinendi. Excipe si lex obstet, ut cavet Tridentinum sess. xxiv, c. xviii, circa examinatores synodales, qui nihil omnino recipere possunt ab examinandis.

³ Opusc. *De erud. Princ.*, l. IV, c. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 715.

Si 2, nulla debetur restitutio; nam qui pretium præbuit, acquisivit jus quod antea non habebat et juri non stricto jus strictum superaddit. Hinc dives, qui videretur ex charitate teneri locare domum pauperulo gratis, non peccat contra justitiam, si pretium locationis exigat. Item qui ex charitate deberet curare infirmum pauperem, non violat justitiam, si ideo pretium exigat, et retineat.

13. Q. 5. *Quid de ficto paupere, qui eleemosynas extorquet?*

R. Si eleemosyna parva sit, qualis ostiatim mendicantibus dari solet, ad nihil tenetur fictus pauper, ut aiunt Busembaum et Gury; hæc enim communiter censetur absolute data, licet peccent sic fingentes. Si vero sit magna, tunc restitui debet vel danti secundum Molinam; vel etiam secundum Palaum aliis pauperibus; cum enim talis eleemosyna datur, semper subintelligitur: *Si vere pauperes sint*. Unde ad rem Catechismus Romanus: *Furtum facere videntur qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant*¹.

Hinc qui insimulando pensiones obtinent pauperibus tantum relictas, dum propriis expensis studere commode possunt, tenentur ad restitutionem; quia evidenter fraudant benefactorum voluntatem. Ad modum, quo tenerentur qui ob gravem culpam, puta ob pravos mores, indiscipulam, etc., se indignos redderent statu, ad quem gratuita educantur pensione. Item qui nullum omnino clericandi animum haberent, si pensio qua fruantur, ideo Clericis manifeste relicta sit, ut ad Sacerdotium omnino tendant: hoc tamen dicendum non est, si talem ipsi animum primitus serio non excludentes, postea maturiori ætate et examine se vocatos non sentiant; cum satis fuerint in bona fide, neque velint benefactores, ut fiat Clericus, qui maturiori consilio se non vocatum sentit.

14. Q. 6. *Quotupliciter potest quis alium damnificare?*

R. Potest quis alicui injuriam inferre: 1. immediate et per seip-

¹ Parte III. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 44.

sum, v. g. aliquid propriis manibus a proximo surripiendo; 2. mediate et per alios, v. g. alicui suadendo, ut aliquid a proximo surripiat.

§ I. — De eo qui culpabiliter damnum infert immediate.

15. Q. 1. *Quænam culpa, seu potius quænam actio requiritur in damnificatore, ut teneatur restituere?*

R. Ut actio damnificatoris obligationem restitutionis inducat, de jure naturæ requiritur, ut sit injusta, efficax causa damni, et theologice culpabilis. *Injusta*; obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum; jus autem strictum alterius violari nequit, nisi per actionem injustam, seu justitiæ commutativæ oppositam. *Efficax causa damni*; neque sane potest detrimentum actionis in aliquem conferri, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax: existimatur autem quis causa vera et efficax, quando physice vel moraliter damnum illud determinat. *Theologice culpabilis*; etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiæ, nisi in eodem foro injuria commissa sit.

16. *An etiam ex culpa juridica oriatur obligatio restitutionis?*

R. Culpa, quacum actio damnificans fieri potest, duplex distinguitur, *theologica* et *juridica*: *theologica* sic dicitur, quia a Theologis pro foro conscientiæ spectatur, et ea est quæ verum continet peccatum, cum nempe quis advertentia sufficienti ad culpam damnum alteri infert. *Juridica* vero est omissio diligentiae ab humanis legibus requisitæ, qua alterius damnum cavere potuit: hæc per se subsistit absque culpa theologica, ut cum quis ob ignorantiam vel inadvertentiam, quæ excusat coram deo, damnum alicui infert; quod tamen absolute loquendo diligentiori cura caveri poterat.

Ipsa culpa juridica triplex distingui solet. *Lata*, et est omissio illius diligentiae, quam homines ejusdem conditionis solent in talibus circumstantiis communiter adhibere: v. g., si quis librum sibi commodatum relinquat absque ulla custodia ante ostium domus suæ. *Levis*, et est omissio diligentiae illius, quam homines diligentiores et accuratiores adhibere solent: v. g., si quis sibi commodatum librum domi quidem

reponat, sed ostium minime claudat cum clave. *Levissima*, et est omissio diligentiae illius, quæ adhiberi non solet nisi a diligentissimis atque accuratissimis: v. g., si quis librum domi reponat et ostium claudat, sed manu etiam non tangat ut probet, utrum clausum bene sit ostium necne. Hæc porro culpæ distinctio ab antiquis Jurisconsultis excogitata in contractibus ac quasi-delictis, ab hodiernis civilibus Codicibus non amplius commemoratur, imo ex illorum mente non amplius videtur admittenda¹; ideo recte concludimus cum Gury ac Goussset: culpa mere juridica generatim loquendo hodie non amplius obtinet, nisi casu quo quis se voluerit expresse obligare, vel quo judicis sententia intervenierit, cui parendum sit ob bonum commune.

17. Q. 2. *Quanta est obligatio restitutionis?*

R. Obligatio restitutionis debet culpæ proportionari, ac damno²; unde qui reus est furti gravis, tenetur sub gravi ad restitutionem: sub levi qui levis furti reus est. Hoc tamen ordinarie loquendo: nam aliquando etiam ex culpa veniali ob parvitatem materiæ potest oriri per accidens restitutionis obligatio gravis. Casus est in eo, qui (non longo intervallo)

¹ Cod. Ped., art. 1228, 1500 et 1501. — C. A. 1295. — C. G. 1137, 1382 et 1383. — C. S. 1090, 1356 et 1557. — C. P. 1110, 2085 et 2086. — C. M. 1187, 1595 et 1594. Sic, v. g., si aperuisti foveam vel ad ædificationem domus vel ad feram capiendam, et inculpabiliter oblitus es, quod poterant ibi homines periclitari; vel adhibuisti communem ac sufficientem diligentiam, ne periclitentur, non tamen adhibuisti advertentiam illam, quam solent diligentiores et diligentissimi. Si periclitatur aliquis et labitur in foveam, non peccasti mortaliter, nec teneris ad restitutionem: ratio quia etsi peccasti culpa juridica, non peccasti culpa theologica. Excipe, nisi accedat sententia judicis, quæ observanda est, cum sit ob bonum publicum; id enim in foro externo constitutum est ad homines cautiore reddendos. Casus alter: *Didacus vas crystallinum valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, quæ nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed Basilius hac eadem nocte domum sine lumine ingreditur, in vas offendit illudque frangit. Quid juris?* R. Nec *Didacus*, nec *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte exulat culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno, vel ejus periculo. Imo nec tenetur alteruter, si periculum aliquod valde remotum prævidisset, quia in moralibus non attenditur ad meram possibilitatem. *Vogler, Gury, etc.* — *V. Ferraris, Biblioth., etc., vº Damnificatio.*

² *V. Liguori, Homo Apost., tract. X, n. 40; et Op. Mor., l. III, n. 550.*

furta multa committit, sed singula in se levia: ex furtulo complente materiam gravem oritur in fure obligatio restitutionis sub gravi (saltem illius ultimi furtuli), etiamsi illud patruerit non advertens ad furta præterita. Tunc enim gravitas obligationis non esset ex illa ultima acceptatione injusta, quæ utpote culpa tantum levis, non potest obligationem gravem inducere; sed ex tota simul, quæ quidem ex accessione ultimi furtuli evadit gravis (C).

18. Q. 5. *An in contractibus ad inducendam obligationem restitutionis necessaria omnino sit culpa theologica?*

R. Certum est contrahentes posse, si velint, obligare seipsum ad restitutionem etiam absque culpa theologica pro damno rei alienæ ex contractu detentæ; cum juxta conventionem sit obligatio. Sed utrum hæc eorum voluntas in contractibus semper de facto existere dicenda sit, etiamsi expressa non fuerit, non satis conveniunt.

Affirmant Antoine, Concina, Layman, Navarrus et Vasquez, adesse obligationem restituendi: — 1. ex dolo vel culpa lata, si contractus cedat tantummodo in utilitatem domini rei, quale est, v. g., depositum gratuitum: unde si pereat, tunc tantum teneris de ejus pretio, cum in eo custodiendo diligentiam communem non adhibuisti; — 2. ex culpa levi, si cedat in utilitatem utriusque, qualis est, v. g., locatio: unde si in custodiendo libro tibi locato adhibuisti quidem communem, non autem accuratiorem diligentiam, si pereat, de illo teneris; — 3. ex culpa levissima, si cedat dumtaxat in utilitatem illius, qui culpam committit, uti esset, v. g., commodatum: unde si in custodiendo equo tibi commodato adhibuisti curam communem, imo diligentioram, sed non diligentissimam, si equus pereat, ejus pretium in conscientia dare debes. Æqualitas enim in quolibet contractu servanda exposulat, ut ubi majus est commodum, ibi major adhibeatur cura. Deinde leges civiles id præcipientes in bonum publicum late sunt, ideo in conscientia servandæ¹.

Sed Croix, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sotus

¹ Ex *Cod. civili* de casu fortuito tenetur tantum qui eum in se suscepit; qui admiserit culpam, quæ casui fortuito causam dederit; debitor qui fuerit in mora, etsi res pariter apud creditorem peritura esset; tandem hæc

et omnes fere moderni valde probabiler negant, et contendunt absque culpa theologica restitutionis obligationem adesse nullam. Quia ex una parte non est æquum obligare aliquem ad pœnam gravem absque culpa gravi: ex alia non constat, quod aliquis voluerit se obligare in conscientia ad reparandum damnum alteri illatum sine culpa mortali. Leges autem, quæ in contrarium adduci solent obligantes ex sola culpa juridica, vel præsupponunt culpam theologicam, vel obligant dumtaxat in foro externo, vel si absolute quibusdam in casibus restitutionem omnino præcipiunt, obligant quidem, etiamsi peccatum non adsit, sed non ante sententiam judicis, ut communiter dicunt.

19. Q. 4. *Quid de restitutione in quasi-contractibus et officiis?*

R. Pro generali principio statuendum est, ad restitutionis obligationem non sufficere, ut quis in suo officio implendo fuerit efficax causa damni, sed insuper requiri ut damnum illud voluntarie intulerit; nam ex adagio: *Res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Hinc si medicus, v. g., ex errore inculpabili remedium nocivum ægroto præbeat, nihil ei tenetur restituere.

Item omissio diligentiae debitæ nullam imponit restituendi obligationem, nisi fuerit voluntaria; quia non est peccaminosa. Hinc est (ut observant Alasia, Antoine, Billuart cum aliis communiter) quod nullus aut vix ullus sit, qui obliget medicos, advocatos, et multo minus Confessarios ac Theologos ex culpa tantum juridica ad restitutionem; cum sæpe contingat vigilantissimis et peritissimis ob inadvertentiam naturalem, aut aliam causam inculpabilem aliis damnum afferre. Si res aliter esset, nemo profecto his officiis perfungi vellet: quod in maximum Reipublicæ damnum cederet. Et id videtur congruere cum Codice ipso civili, qui in his casibus eam tantum requirit diligentiam, quam communiter bonus paterfamilias adhiberet¹. Quæ tamen diligentia, ut patet,

obligatio urget in commodato, si res æstimata fuit, nec contraria sit conventio. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 554.

¹ *Cod. Ped.*, art. 1492. — C. A. 1087. — C. G. 1574. — C. S. 1528. — C. P. 2077. — C. N. 1385.

debet rei proportionari ita ut major debeat pro negotio delicatiori quam pro communi; hoc enim rei ipsius natura sane expostulat, adeo ut gravetur culpa theologica qui in hoc voluntarie deficit: qui sane adsportat vitrum, majorem cautelam debet adhibere illo, qui ligna defert comburenda.

20. *An (quæres) quis in periculo debeat rem alienam suæ præferre, adeo ut teneatur de damnis, si eam non præferat? Vel contractus, ob quem habeo rem alienam, cedit in mei tantummodo utilitatem; vel cedit in utilitatem alterius tantum; vel demum in utilitatem utriusque.*

Si 1, æquitas postulat, ut rem illam meæ præferam, modo res mea non sit pretiosior: quo in casu possum quidem rem meam utpote pretiosorem præferre, sed ex jure civili teneor pretium rei alienæ restituere; cum ob mei solius gratiam ea adducta sit in ruinam¹. — Si 2, tunc si res aliena est magis pretiosa, debeo rem illam conservare; quia rei alienæ eam debeo custodiam, quam prudens quisque habet: attamen possum exigere compensationem totius damni, quod passus sum eam servando; cum non teneam eam servare cum meo damno. Quod si æque ac mea pretiosa res sit, non teneor rem alienam præferre meæ; cum enim in illius tantum utilitatem retineam, æquum non est, ut ad eam servandam damnum sentiam. — Si 3, ceteris paribus, potero præferre rem meam, cum charitas a nobis ipsis incipiat. Volunt tamen alii alteri parti fieri debere aliquam compensationem, quia cum par sit ratio utilitatis, par quoque esse debet ratio periculi: quod quidem lex præscribit in casu naufragii. Si nempe merces in mare projici debuerint, omnes merces servatæ regulariter veniunt dividendæ; æquum est enim, ut omnium contributione sareiatur, quod pro omnium necessitate datum est².

¹ Cod. Ped., art. 1905. — C. A. 965. — C. G. 1882. — C. S. 1754. — C. P. 1963. — C. M. 1945. « Exemple: Je suis possesseur d'une voiture; pour la conserver je m'en fais prêter une autre par Titius, afin de m'en servir dans un voyage; celle-ci se rompt par cas fortuit; j'en serai responsable, parce que je ne devais me servir de la voiture de Titius qu'au défaut de la mienne. » V. Lignori, *Op. Mor.*, l. III, n. 752.

² Cod. comm. 440. — C. A. comm. 410. — C. G. 410 et seqq. — Ferraris, *Bibl.*, vº Naufragium.

21. Q. 5. *Quid si quis alium impedit a consecutione alicujus boni?*

R. Qui alium voluntarie et efficaciter sive vi sive precibus, vel consilio impedit a consecutione alicujus boni ipsi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem; quia est causa efficax et injusta damni, quod proximus patitur in rebus suis. Hinc qui suasit venditori, ne mercem emptam traderet emptori; qui in domini damnum suasit servo, ne laboraret; qui consilio impedit, ne quis jam electus et confirmatus ad beneficium illius possessionem adipisceretur, tenetur ad restitutionem erga emptorem, dominum ac beneficiatum¹.

Si vero alium impedit a bono, quod ei ex justitia non sit debitum, tunc distinguendum: vel eum impedit a consecutione hujus boni per vim, dolum, fraudem, calumniam, aliosve similes modos culpabiles, impellentes atque iniquos; vel eum impedit tantummodo consilio ac precibus.

Si 1, tenetur illi compensare damnum, judicio prudentis, juxta certitudinem aut probabilitatem, quam habebat bonum illud consequendi; licet enim iste non habeat jus strictum in rem illam, illud tamen habet, ne dolo impediatur ab illa. Hinc qui vi vel fraude alium a testamento vel a legato condendo, aut condito mutando impedit, peccat contra justitiam, et tenetur compensare omnia damna quæ patiuntur hæredes et alii; quia est omnium damnorum causa efficax. Hoc tamen intelligendum, si illa persona sit digna, et bonum illud sine injustitia consequi possit: secus impediens nullum jus violaret; unde non teneretur nisi ad restitutionem famæ, si eam fortasse injuste læserit.

Si 2, juxta sententiam communem et probabiliorem, quam tuentur Billuart, Elbel, Holzman, Layman, Lessius, Navarrus, Petrocorensis, Sanchez et Vasquez cum aliis plurimis, sic impediens non tenetur ad restitutionem, licet id egerit ex odio et malo animo nocendi; nemo enim potest obligari ad restitutionem, nisi fuerit injusta simul et efficax causa alicujus damni. Neque sufficit mala intentio; hæc enim operis

¹ Idem est si quis impedit alium a compensando damno illato: ut si quis suadeat furi, ne rem domino suo tradat: suasor tenetur ipsam restituere, fure non restituente.

naturam non immutat, sed simpliciter facit, ut peccemus contra charitatem, non autem contra justitiam. Et sane intentio non mutat opus exterius; at obligatio restituendi oritur ex violatione exteriori justitiæ. Ergo requiritur insuper actio externa, quæ non solum sit occasio (ut est in præsentī casu), sed etiam vere, et positive in illud influat, illudque operetur: *Facere ex odio aut vindicta* (ait Sotus explicans verba Angelici) *non te onere restitutionis gravat; sed facere injuste, scilicet nullo tuo jure, sed violando alienum.*

Ex his deducitur: 1. eum non teneri ad restitutionem, qui Episcopo etiam determinato ad conferendum Beneficium digniori, ex odio (non tamen ex vi vel calumnia) suadeat, ut illud conferat minus digno (etsi probabilius tam Episcopus quam suasor peccent graviter¹): hic enim habetur læsio charitatis, non vero justitiæ commutativæ; — 2. ob eandem rationem non teneri ad restitutionem qui sine vi, fraude ac dolo impedit testatorem, quominus relinquat hæreditatem alicui, qui nullum ad eandem jus habeat. Qui vero Titium dignum impedit a consecutione boni eidem ex justitia minime debiti, ut illud conferatur digniori, videtur ne peccare quidem contra charitatem; cum ille potius opus bonum operetur.

22. Q. 6. *An teneatur ad restitutionem qui inculpabiliter quidem causam posuit damni, sed postea illud non impedivit, licet potuerit?*

R. Affirmant communiter; quisque enim tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat: ergo etiam tenetur impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. Hinc qui inculpabiliter incendit domum vel sylvam alienam, quando advertit, ex justitia illud tenetur impedire sub gravi: qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet: qui ex errore aliquid contra proximi famam dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere: qui noxium consilium dedit inculpabiliter, tenetur postea facere quantum potest, ne eveniat damnum. Et ni faciat graviter peccat, et tenetur de omnibus damnis quæ sequuntur; nam eo ipso, quo cognoscit suam actionem inculpabiliter positam adhuc in damnum influere, nec tamen illam impedit, cum

¹ V. De beneficiis, de electione. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 585. — Ferraris, v° *Impediens*.

possit, sua actio evadit ei culpabilis. Aliter est, si (quando advertit) damnum jam sit consummatum, et proximi fama jam sit irreparabiliter læsa, venenum haustum, sylva vel domus incensa: tunc per ipsum amplius non stat, ut provideat; sed damnum est ei prorsus involuntarium¹.

SCHOLIUM. — *De fraudatoribus tributorum ac gabellarum.*

23. Q. 1. *Quid tributum et quotuplex?*

R. Quæ ad regios ac communes Reipublicæ sumptus solvuntur, *tributa* generatim appellantur a verbo *tribuo*. Horum alia sunt directa, quæ uniuscujusque vel personam, vel bona immediate afficiunt: et dicuntur *realia* ac *personalia*. Alia sunt indirecta, quæ immediate in quasdam merces cadunt, et mediæ in personas, quæ eas transvehere vel vendere vel emere vel habere volunt: et dicuntur *vectigalia* vel *gabellæ*. — Ad tributa directa revocantur quæ solvuntur ratione professionis, artis vel industriæ². Ad indirecta quæ solvi debent pro jure successionis, pro contractibus, pro charta obsignata: item alia extraordinaria onera super canes, equos, currus, domesticos, domos, fenestras, familiaria vestimenta (vulgo *livrée*); super manus mortuas, lites, sortes (*loterie, jeux de*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 564. Casus: *Quirinus pannum furari intendens officinam de nocte ingreditur, lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendiū vitandum: sed inopinato casu, candela in paleas deficitur, et brevi tota officina incenditur, viæque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de Quirino?* — R. Ad nihil tenetur, quia minime periculum prævidit. Imo, nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset; quia etiam illud damnum est involuntarium: nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum periculum incendiū, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. g., candela accensa, comburitur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quæ casu fortuito apud forem perit. Ita *Lugo, Vogler, Lacroix, Reuter, Gury*, etc.

² Sunt tamen qui hæc quoque ad tributa indirecta revocant, adeo ut vera tributa directa non sint, nisi ea quæ respiciunt ipsam singularem personam, et bona quæ ipsa persona possidet; hæc enim sola tributa omnes æque afficiunt.

hasard); super pensiones, provisiones, vel census in gubernio fundatos et similia.

Tributa imponere possunt generatim omnes, quibus publica rerum administratio commissa est; cum id necessarium sit ad sustinenda onera communia. Hinc possunt: 1. Imperatores, Respublicæ et Principes supremam habentes potestatem; 2. Concilia et Pontifices ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, si id opus est ad regimen spirituale; 3. illi, quibus Principes gubernandi potestatem elargiuntur cum expressa facultate ea imponendi, si ita censuerint; — 4. Civitates et Communitates etiam subditæ, sed si Princeps non contradicat; nam tributorum impositio est actus primariæ jurisdictionis.

24. Q. 2. *An tributa solvenda sint in conscientia?*

R. 1: Non est dubium tributa directa regulariter antequam petantur, si justa sint, in conscientia et ex justitia esse solvenda; eo enim ipso, quod Princeps supremam administrationem pro omnibus suscipit, jus strictum habet ab omnibus proportionatim ea obtinendi, quæ sibi competunt, tum ad regiam dignitatem sustinendam; ut enim scribit Apostolus: *Quis militat suis stipendiis unquam*¹? tum ad sumptus pro publico bono necessarios; nam, ut ait Tacitus, *neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*².

Diximus: 1. *regulariter antequam petantur*; nam est obligatio justitiæ. Excipe nisi aliter ferat usus: sic usus excipit pedagia ac portoria, quæ tribuuntur ratione transitus per portam vel pontem, ut nempe non solvantur, nisi postulata: imo dicunt hoc hodie obtinere de omnibus tributis, ut nempe non solvantur, nisi petita; 2. *si justa sint*; injustitia enim non ligat. Justa erunt, si proportionata necessitatibus ac personis, et a legitima auctoritate ob legitimam causam; neque enim Reges subditos pro libitu supergravare possunt: *Tales Reges ac Principes*, ait D. Thomas, *ad restitutionem tenentur sicut et lutrones, et tanto gravius peccant quam latrones*,

¹ I Cor. IX.

² L. IV *Hist.*, c. LXXIV.

*quanto periculosius et communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi*¹.

R. 2: Quoad tributa indirecta (ubi maxime veniunt *gabelle* seu *vectigalia*) an in conscientia solvenda sint, duplex sententia.

Prima, quæ affirmat², et quam nos suadere omnino debemus, quæque communissima est et nobis probabilior, innotitur illis Christi verbis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*³. Et illis Apostoli: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*⁴: ubi vidēs etiam vectigalia in conscientia solvenda esse, et quidem uti tributa ac debita, et ideo ex justitia: adeo ut renuentes teneantur ad restitutionem. Merito ergo docet Augustinus Christianum in magno errore versari, si putet vectigal a seipso non esse solvendum⁵.

¹ 2, 2, q. 66, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 617. An autem peccent exigentes publica tributa in dubio, an sint justa, alii affirmant cum Molina, nisi ipsi sint subditi et a Principe compulsi. Sed alii generatim negant cum Lugo, si exigant judicando Regem esse prudentem; et sentit Lugo non peccare exactorem, si ei de injustitia non constet; potest enim presumere pro justitia, præsertim in tanta opinionum varietate.

² Excipiuntur tamen de jure communi res, quas quis emit et defert de loco ad locum ad usum suum personalem; quod alii extendunt quoque ad res necessarias pro victu ac vestitu propriæ familiæ, modo tamen nulla fiat negotiatio: unde si non adsit lex particularis et expressa, nihil pro iis rebus solvendum in conscientia. De jure vero naturæ excipiuntur pauperes, si secus se et suos alere non valerent; ac videtur posse ipse minister alicui valde pauperi remittere tributa ex rationabili Principis voluntate. Et revera ipsa civili lege taxa tributorum omnium de Regis indulgentia solet minui, si communitati vel privato alicui grave damnum casu contingat, ut in incendio, in grandine, in alluvione evenire solet: et fit tunc recursus ad R. Secretariam. — V. *Istruzione per l'amministrazione dei Comuni*, § 159, del primo aprile 1838. — *Guida del supplicante*, ec. Torino, 1846, pag. 57 et 107.

³ Matth. XXII. — V. Ferraris, *Bibl.*, etc., v° Gabella. — ⁴ Rom. XIII.

⁵ Ep. xcvi, alias 120. In hac sententia et mercatores et in ipsorum defectu ipsi vectores, cum positive cooperentur ad damnum obligati remanent in conscientia. Item tenentur etiam qui dolo occultant aut minuunt res, ut minoris solvant: uti qui in successione omnia bona, vel justum valorem non declarant, etc. Attamen etiam hujus sententiæ patroni generatim permit-

Accedit ratio : sicuti Rex tenetur vacare salutem populi, consulere administrationi justitiæ et prospicere publicis aliis necessitatibus; ita et populus tenetur ex justitia et de jure naturali solvere Principi vectigalia ad ejus et Reipublicæ conservationem necessaria. Neque subditi esse debet distinguere inter tributa et tributa, quæ nempe sint in conscientia debita, quæ verò non; maxime quia omnis lex de se nata est parere obligationem ac ligare conscientiam. Si quæ autem sit contraria consuetudo, non usus; sed vulgaris error dicendus est ex sapientissimo cardinali Gousset.

Secunda sententia, quæ negat, sua item non caret auctoritate et probabilitate; licet enim subditi (sic inquit qui eandem tuentur), per se loquendo teneantur de ipso jure naturali congruum subsidium Principi ministrare; non tamen tenentur sub culpa ad eas gabellas solvendas, quæ ab ipso impostæ sunt sub pœna magna solvenda a fraudatoribus: nam juste tunc Princeps præsumitur, nolle eos obligare ad culpam simul et pœnam. Lex igitur gabellas imponens cum pœna gravi videtur istis Theologis conditionata, sive disjunctiva, ut nempe solvatur vel gabella, ut sic liber quisque eat; vel pœna casu, quo fraudatorem contigerit deprehendi. — Quod eo magis præsumendum esse videtur, quia gabellarum solutiones certo excederent Principum necessitates, si subditi integras impositiones solverent. Crescit hæc præsumptio in hujusmodi pœnis lucrativis pro Rege, in cujus commodum cedunt, quam in aliis tantummodo afflictivis. Dubium saltem est (addunt) utrum lex obliget sub culpa ad utrumque, scilicet ad solutionem gabellæ et pœnæ: at in dubio nemo tenetur obligationem certam subire; in tali enim dubio videtur favendum ei, de cujus damno agitur. Hoc jus civile confirmat, ubi dicitur in dubiis quæstionibus contra fiscum judicandum esse¹. Tandem aiunt hanc esse communiter populi universi persuasionem.

tunt, ut adventante occasione, epistolæ privatis tribuantur deferendæ, etsi ideo taxa a lege præscripta fraudetur: talis est universalis etiam piorum usus, qui ad mutuam ipsam pertinet hominum inter se urbanitatem, comitatem, etc., unde id prohibere onerosum nimis.

¹ L. X, ff. de jure fisci. — Hic fusius Lugo et Duardus: primus ad-

Quidquid sit circa tam primæ, quam etiam secundæ sententiæ probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus), unum nos pro praxi monemus cum doctissimo cardinali De Lugo: generaliter loquendo admonendi sunt populi, et excitandi ad tributa solvenda; sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates. Consentiant Billuart, Gousset, alique communiter.

25. Quid (quæres) de præpositis, qui nempe ab auctoritate deputati sunt ad fraudes impediendas, si fraudantes adjuvant, occultent, etc.? In omnium sensu certum est, illos peccare mortaliter, atque ad restitutionem teneri ejus, quod eorum causa fraudatur; ideo enim deputati sunt, ac stipendium accipiunt ut impediunt¹ (D). pag. 181

§ II. — De eo, qui culpabiliter damnum infert mediate.

26. Q. 1. An ille, qui proximo damnum infert mediate, indirecte et per alios, teneatur ad restitutionem?

R. Affirmative: qui proximo damnum infert modo efficaci ac voluntario, etsi tantum mediate, indirecte et per alios,

struit obligationem: eam negat secundus. Hujus tamen secundæ sententiæ patroni ultro concedunt ad vectores mercium quod spectat, eos officium periculis plenum exercere, ideoque pro viribus esse deterrendos: cum homines hujusmodi latronum potius, quam mercatorum more vivant, et lucri cupiditate illecti periculum omne fortunarum familiæ ac capitis sui negligant. Ceterum pro praxi dicunt non esse damnandos nec vectores nec fraudatores: — 1. si sint in bona fide; — 2. si damnum segetibus non inferant excurrando; — 3. si præpositos pecunia non corrumpant, secus peccarent saltem peccato cooperationis; — 4. si non sint parati resistere potestati vectigalium exigenti; si enim resisterent, peccarent et contra obedientiam, cum legitima potestati resisterent, et contra justitiam; nam lex tributorum etiam si esset mere pœnalis, gubernatoribus tamen jus certum tribuit contra subditos, si in fraude deprehendantur.

¹ Quod etiam valet, si tributum non exigant, nisi vel agatur de parva re ex præsumpto Principis consensu, vel de paupere, vel de re ad usum personæ deferentis.

* tenetur ad restitutionem; iste enim revera cooperatur in ejus damnum. At fatentur omnes, quod efficaciter cooperantes in alterius damnum restitutionis onere ligantur: *Digni sunt morte et non solum qui ea faciunt, inquit Apostolus, sed etiam qui consentiunt facientibus*¹. Hinc Gregorius IX scribit: *Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet*².

— Hic tamen *culpæ* nomine ea intelligitur, quæ sui natura alterum inducit ad damnum, non vero quæ simplex est occasio: alioquin vel ipsa charitatis violatio ad restitutionem obligaret, quod nemo dixerit. Neque sufficeret rati habere damnum ab altero illatum (id est confirmare voluntate nostra damnum, quod, nobis insciis, actum est); nam cum rati habitio sequatur commissum facinus, in illud efficaciter non potest influere: unde hæc non nisi in illis contractibus obtinere potest, qui solo consensu perficiuntur.

27. Q. 2. Quotupliciter potest quis in alterius damnum cooperari?

R. Dupliciter potest quis in damnum alterius cooperari:

1. *Positive*: et est quando quis vel physice vel moraliter influit in damnum proximi: *physice* quidem, si actionis damnificativæ particeps fiat, v. g., concurrendo in grassatione ad viatoris spoliationem: *moraliter*, si quempiam ad damnum proximo inferendum determinet, v. g., grassationem suadendo, furtum et fures dirigendo. — Attamen ut causa positiva teneatur de damno requiritur, ut sit injusta, efficax et theologice culpabilis. *Injusta*, quia nemo tenetur reparare damnum proximo illatum, nisi quatenus strictum ejusdem jus violaverit; atqui jus proximi strictum violari non potest, nisi per actionem injustam. *Efficax*; nam ut quis teneatur reparare damnum, non sufficit intentio damni inferendi, sed necesse insuper est, ut vere, et realiter inferatur: jus enim alterius per solam intentionem non læditur. *Theologice cul-*

¹ Rom. I. — V. Ferraris, *Bibl.*, etc., v^o Restitutio.

² *Decr. Greg.*, l. V, t. XXXVI, c. ult., de *injuriis*. — V. art. 59 et seqq. *Cod. pœn. Gall.*, qui distinguit agentes inter principales et complices.

pabilis, quia sine culpa theologica non est, saltem extra contractum, obligatio restitutionis animam ligans.

2. *Negative*: et est cum quis non impedit damnum alterius, etsi possit et debeat illud impedire. Causa negativa nullum per se loquendo tenetur damnum proximi reparare: repugnat enim quemquam teneri reparare damnum præcise, quia illud minime impedit: uti si Titius videat Caium furtum in tertium committentem, neque impediatur; quis dixerit Titium teneri de illo furto? Alioquin tenerentur omnes jure naturali et ex justitia bonum proximi curare, et malum ejus avertere, quod nemo dixerit: quia quod unicuique mandatum sit de proximo suo¹, lex charitatis est, non justitiæ.

Et ideo addimus *et debeat illud impedire*; quia potest quis obligari ex contractu vel quasi-contractu ad malum alterius impediendum: et tunc si non impediret cum possit, teneretur utique ad restitutionem. Unde concludimus: causa negativa nunquam dicenda est teneri ad reparandum damnum proximo illatum, nisi ratione pacti; vel etiam officii illud teneatur impedire, si tamen simul ratio stipendii concurrat, ut evenit in pastoribus animarum. Uno verbo tum causæ negativæ seu privativæ tenentur ad restitutionem, quando ad damnum impediendum adstringantur ex justitia; non vero si obligatio ortum habeat a sola causa pietatis aut charitatis, ut contingit in confessariis, maritis, et parentibus, etsi de bonis filiorum usufructu fruuntur; non enim illorum usufructus habet rationem stipendii proprie dicti².

28. Pluribus modis causæ tum positivæ tum negativæ cooperantur in damnum. Novem præceptos hisce versiculis enumerat Angelicus quorum quidem sex sunt positivi, tres negativi:

*Jussio, consilium, consensus, vulgo, recursus, Participans, mutus, non obstands, non manifestans*³.

29. An dubitans (quæres) utrum actione sua fuerit causa damni proximo illati, teneatur ad restitutionem? Si dubite-

¹ Eccl. xvii, 12.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 40; l. III, n. 573.

³ 2, 2, q. 62, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 562.

tur, an actio sit posita; vel si actio quidem posita sit, sed dubium sit an *damnum* evenerit, commune est cum Lessio ac Roncaglia, nullam adesse obligationem restituendi; quia *factum non præsimitur, nisi probetur*. — Si vero ex una parte actio mala sit certo posita, ex alia autem *damnum* sit certo secutum, et dubitetur solum an illud ex illa actione evenerit (cum suspicetur alia causa de qua illud potuerit inferre), tunc *utrum* adsit gravis obligatio restituendi, tres habemus sententias.

Prima, quæ est valde probabilis, cum Habert, Lugo, Roncaglia et Sanchez, obligat ad restitutionem; quia in tali dubio possidet crimen pravæ actionis, quæ cum esset de se apta ad *damnum* irrogandum, in dubio præsimitur revera *damni* causam fuisse.

Secunda etiam satis probabilis cum Lessio, Navarro, Salmanticensibus, Sylvio aliisque negat esse obligationem restitutionis; nam nemo cogendus est ad eam, nisi de obligatione certo constet: atqui in proposito dubio de tali obligatione certo non constat, hoc ipso, quia dubium est. Nec præsumentus est influxus; licet enim actio de se apta sit ad influendum, cum tamen non semper influat, ideo influxus est probandus. Hanc sententiam videtur tenere S. Thomas, qui docet: *Non semper obligatur aliquis ad restituendum; non enim semper consilium vel adulatio vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ: unde tunc solum tenetur consiliator aut palpo... ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio consecuta*¹. Ergo juxta Angelicum probari debet consilium certo fuisse causam *damni*; verbum enim *probabiliter*, si absolute ponatur sine comparatione cum opposita sententia significat persuasionem moraliter certam, ut bene explicat doctus Concina.

Tertia sententia tradit obligationem adesse restituendi pro rata dubii; sed huic aperte obstat, quod vel certo possidet mala actio, et reparandum est totum *damnum*; vel certo non possidet, et tenetur ad nihil; quia in dubio melior est condi-

¹ 2, 2, q. 62, a. 7.

tio possidentis bona sua. Quod principium saltem in materia justitiæ uti certum omnes admittunt¹.

30. Q. 5. *An causæ singulæ ad *damnum* simul concurrentes ad restitutionem simul sint obligandæ in solidum?*²

R. Distinguendum: vel res ad quam concurrerunt, seu objectum *damni*, potest in partes dividi, ut est furari thesaurum; vel dividi nequit, ut est occidere hominem. His positis, dicimus:

a. Si objectum *damni* dividi potest, tunc si plures concurrerunt sine motore principali, aut sine mutua ad invicem conspiratione seu executione, singuli tenentur pro rata tantum; cum unus in alterius operam non influxerit. Unde si plures æque concurrant ad expoliandam domum, ad depulandam vineam sine prævia mutua conventionione, singuli eorum pro rata tantummodo tenentur. — Si autem omnes excitati fuerint a motore principali, motor tenetur ad totum: et alii in ejus defectu pro rata. Ratio quia principalis agens ipso facto in se suscipit absolute totum onus *damni* reparandi; cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis, nisi velut instrumentis ad damnificandum. — Quod si motor principalis non adsit, sed omnes invicem se excitaverint et induxerint ad *damnum*, tunc singuli æque tenentur in solidum, quia singuli sunt totius *damni* causa; unus enim alterum juvat: unus procedit a confidentia, quam habet in alterius auxilio.

b. Si objectum *damni* dividi non potest, tunc si ita concurrerunt, ut sine illorum opera *damnum* non fuisset secutum, certum est illos teneri in solidum; quia totus effectus a causis singulis hoc casu procedit: hinc si præbeas tuum suffragium ad injustam actionem, quæ secus non obtineret, teneris in solidum. — Si vero sine ipsorum opera *damnum*

¹ « Alia res est, quando de mero consilio quaritur: si enim partes litigantes per amicam compositionem benevole inter se conveniant, talis transactio utique, plerumque saltem, summopere approbanda est: ast ad talem transactionem stricte obligari nequeunt; quia debitor semper vel ad totum vel ad nihil obstringitur. » Ita *Stapp*, § 82.

² Tunc quis dicitur teneri in solidum, cum aliis non restituentibus, ipse tenetur ad totum per se, ideoque etiam ad partem aliorum: *solidum*, id est integrum, plenum.

adhuc secutum fuisset, tunc teneris in solidum, si actio tua de se est sufficiens et efficax totius damni, ut si apponas ignem simul cum aliis ad domum proximi; etiam seclusa conspiratione, et licet, te absente, alii nihilominus domum incendissent. Si tandem actio tua ex se non sit sufficiens, ut si tu quartus adportes trabem, quam tres adportare potuissent, casu quo id non procedat ex stricta cooperatione, et alii trabem adportassent sine tuo concursu, utrum tenearis cum ceteris in solidum, duplex est sententia.

Prima probabilis, quam tenent Cajetanus, Salmanticenses, Sanchez, etc., affirmat; nam propter concursum particularis cooperatio cujusque unam actionem constituit contra justitiam; unde quia damnum ex hac unica actione evenit, omnes in solidum obligantur ad restitutionem. Neque est de natura veræ causæ, ut ea non posita, non sequatur effectus; sed dumtaxat, ut ex ea effectus revera sequatur. Verum *secunda* adhuc probabilis sententia Navarri, Sylvii et aliorum, docet singulos tunc teneri tantum pro parte sua; quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse major, quam sit influxus ipse; sed influxus est tantum pro parte damni: ergo pro parte tantum erit et obligatio restitutionis¹.

Quidquid sit, non debemus hic omittere animadversionem momenti gravissimi, et est quod rudes, etiamsi teneantur in solidum; raro tamen in praxi eosdem expedit obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant sese teneri ad restituendam etiam partem a sociis suis ablatam. Et in hoc casu satis præsumi etiam potest, quod domini ipsi, quibus restitutio facienda est, libenter consentiant, ut illi restituant partem propriam; cum bene perscipiant valde timendum, ne restituant nihil omnino, si obligentur ad totum. — Neque prætermittenda declaratio Codicis civilis ex quo solidaria debitorum obligatio non præsumitur in contractibus, nisi vel expressa sit, vel ab ipsa lege inducta².

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 579.

² Cod. Ped. 1290. — C. A. 891. — C. G. 1200. — C. S. 1155. — C. P. 1177. — C. M. 1255.

N. 1. — *De mandante seu jubente, ac consulente.*

31. Q. 1. *Quis intelligitur nomine mandantis seu jubentis?*

R. Mandantis seu jubentis nomine eum intelligimus, qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo: dupliciter autem potest inducere, expresse vel tacite. *Expresse*, id est verbo, scripto, nuntio; *tacite*, id est nutu, signo vel aliquo facto: uti si pater vel dominus filio suo vel servo significet sibi gratam fore illius personæ occisionem, aut cum iisdem conqueratur, quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur: sic refert historia contigisse mortem S. Thomæ Cantuariensis sub Henrico II Angliæ Rege, qui cum suis sæpius conquerebatur, se cum uno Regni sui Sacerdote pacem habere non posse. Item est si quis paratus sit tuo nomine damnum inferre, et tu cum commode possis impedire, non impedis; nam censeris tacite mandare.

Mandans, seu ille, qui jubet, est principaliter movens, inquit Angelicus, unde ipse principaliter tenetur ad restituendum¹; qui enim facit per alium, per se facere censetur. Tenetur etiam reparare omnia damna, quæ ex mandati sui executione sequuntur, si actio imperata de se periculosa sit; quo sensu accipitur illud canonici juris: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit; et hoc evenire posse debuerit cogitare*². Similiter si quis Caio mandaverit, ut noctu ingrediatur domum Titii ad furandum, si dum Caius furatur, aliquid frangit etiam fortuito, tenetur mandans ad restitutionem quoque ejus; quia poterat et debebat prævidere in tenebris id de facili contingere.

Diximus tamen si actio imperata de se periculosa sit; aliter esset de damnis quæ ultro causavit executor mandati limites excedendo; tunc excessus ille non ex efficacia mandati, sed

¹ 2, 2, q. 62, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 558 et seqq.

² *Sext. Decr.*, l. V, t. IV, de homicid., c. ult.

ex sola voluntate mandatarii fluit; ac proinde ipsi unice tribuendus est.

32. Q. 2. *An mandans teneatur reparare etiam damna, quæ mandatarius ipse mandato obtemperans passus est?*

R. Si mandatarius suscepit mandati executionem voluntarie et libere (et maxime si ob mercedem promissam), mandans non tenetur reparare damna, quæ mandatarius mandato obtemperans passus est; quia tunc pericula omnia ipse in se suscepisse jure merito existimatur. Si vero illam coactus vi vel metu gravi suscepit, ut evenit in inferioribus et in subditis, tunc non tenetur quidem mandans de damnis eventualibus (uti si, v. g., servus qui mandatur, in via fulmine percussus vel equo delapsus intereat), cum hæc non potuerint esse in prævisione; tenetur tamen de aliis damnis communibus et ordinariis quæ facile prævideri possunt. Casus esset si dominus famulo mandet, ut vites sui vicini recidat; at in facinore deprehensus servus ad mulctam et triremes damnatur; nam ille mandatarius ratione subditiæ efficaciter cogi censetur a suo superiore ad exequendum mandatum.

Ait Roncaglia, in his casibus dominos non solum teneri reparare damna facta a mandatariis, sed etiam quæ passi sunt ipsi mandatarii et eorum familia. At cogitantne de his reparandis? Cogitent ergo Confessarii sine absolute dimittentes mandantem quoadusque satisfecerit.

An (quæres) mandans teneatur de damnis quæ mandatarius ex errore inculpabili alteri intulit: ut si quis mandatum a Titio acceperit occidendi Paulum, sed ex errore invincibili occidat Petrum? — Sunt qui affirmant; quia mandans mandavit hominem occidere, et mandatarius revera hominem occidit. Verum alii negant probabilius cum Lyonnet, Vogler, etc.; nam respectu occisionis Petri non potest dici, quod Titius fuerit mandans, cum mors Petri accidat omnino per errorem mandatarii, non propter mandatum; mandatum enim hic occasio est, non autem causa. Neque tunc mandans irregularitatem incurrit, ut etiam declaravit S. Concilii Congregatio¹.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 628.

33. Q. 3. *Quid si mandans mandatum noxium serio retractaverit?*

R. Vel vera mandati revocatio innotuit mandatario ante executionem, vel non innotuit. Si 1, ad nihil amplius tenetur mandans, uti mandans; quia per veram, sufficientem, ac sinceram revocationem mandatum extinguitur: unde si adhuc mandatarius quidpiam operatur, non amplius nomine mandantis operari dicendus erit; sed nomine proprio et propria voluntate. Si 2, mandans tenetur ad damna compensanda, perinde ac si mandatum minime retractatum fuisset; idque etsi mandati revocatio non fuerit mandatario significata ex culpa vel oblivione nuntii, aut alia de causa, ut si mandans litteras revocantes mandatum mittat, quæ tamen diripiuntur ab hostibus. Semper enim verum est etiam in hoc casu, mandantem ipsum esse causam injustam et efficacem damni alterius; cum tunc mandatum non sit satis ac sufficienter retractatum.

Etiam tacite cessare potest mandatum, nempe per mortem mandantis¹; quia morte voluntas hominis finitur. Non tamen diurnitate temporis; sola enim temporis longitudo non est signum mutatae voluntatis, nisi adsint alia indicia.

34. Q. 4. *Quinam venit nomine consulentis quoad restitutionem?*

R. *Consulentis* vocabulo venit qui consiliis, precibus, suasionem, promissis, adhortationibus, vel motiva utilitatis proponendo, facilitatem executionis ostendendo et similibus, efficaciter alium movet ad damnum proximo inferendum. Differt a mandante, quia in isto actio fit suo nomine et commode; non ita in illo. Consulens tenetur profecto ad restitutionem; cum sit causa injusta et efficax damni. Hinc ex Canonico jure si consilium dedisti, ut Caius Titium occideret, secuta morte, teneris de homicidio. Si consilio movisti servum, ut fugeret aut furtum faceret, teneris furti vel servi corrupti. Si persuasisti Titio, ut me afficeret injuria, teneris mihi ratione injuriarum². Et Innocentius XI damnavit hanc

¹ § 40 Instit., l. XV, cod. *Mandati*. — ² Cap. *Si quis viduam*, diss. 1. C. *Sicut dignum vi de homicid.* — L. I, § *Persuadere*, ff. *De servo corrupt.* — L. *Non solum XI*, ff. *De inj.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 561.

n. 59 thesim : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Aliter tamen probabilius esset (ut observant Alasia, Layman, Sanchez, Salmanticenses, etc., contra Antoine, Billuart et Cuniliati) si quis præberet pravum exemplum et scandalum daret; quia hoc est potius occasio, quam vera causa influxiva; cum exemplum ex se non sit natum ad alios efficaciter movendos, licet de facto ex eorum fragilitate illi sæpius moveantur: quo sensu explicatur illud *verba movent, exempla trahunt*. Adde: scandalum de se opponitur charitati, non justitiæ¹.

35. Q. 5. *An præbens consilium noxium semper teneatur restituere?*

R. Qui scienter suadet rem damnosam, certum est ipsum teneri ad restitutionem. Qui vero injustum consilium dedit ex ignorantia gravi et crassa, videndum utrum id egerit vel ratione status, professionis aut muneris, quo consulens ipse perfungitur, vel non. His positis, dicimus:

1. Qui consilium præbet ratione professionis vel muneris, v. g., dicens talem actionem esse licitam, cum licita non sit; vel in tali casu restitutionem esse faciendam (uti sæpe contingit Episcopis, Parochis, Confessariis, advocatis, medicis ceterisque similibus), cum tamen ea facienda non sit, totum tenetur damnum reparare ex consilio suo secutum, si præ ignorantia vel negligentia mortaliter peccaverit. Quod etiam valet de illis, qui licet ratione officii consilium dare minime

¹ « Exemple: Paul, de son propre mouvement, entre dans une vigne pour y voler des raisins; Pierre prend de là occasion de faire la même chose; Antoine en fait autant, n'étant mû que par l'exemple de Paul et de Pierre. Dans ce cas, Paul n'est obligé de restituer que la valeur de ce qu'il a volé; il en est de même de Pierre. Le mauvais exemple de Paul n'est point par lui-même la cause efficace du vol dont les deux autres se sont rendus coupables; il n'en est que l'occasion. Nous pensons qu'il faudrait donner la même décision lors même que Paul, en volant, aurait eu l'intention de déterminer, par son exemple, les autres à faire comme lui. L'intention de Paul, quoique condamnable, étant purement intérieure, ne rend pas plus efficace le mauvais exemple qu'il a donné. » — Gousset, *Theol. Mor.*, t. I, n. 974.

teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis jactitant, et in tali re peritos se esse declarant: etsi enim in officio jam suscepto non deficient, deficient illud voluntate suscipiendo. Unde Scriptura: *Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato*¹. Huc possunt etiam revocari qui ratione status quam tenent, etsi non jactitent, præ se ferunt tamen peritiam, et imperiti illud tribuunt, ut sunt sacerdotes, ac regulares.

2. Ille qui neque tenetur ullum consilium dare ratione status et officii, neque peritiam jactitat, uti mulieres et plebei, quorum insufficientia nota est, non tenetur erga eos qui consilium petunt ad ullam damni reparationem. Quia damnum, quod inde supponitur esse secutum, non magis consilio alterius, quam imprudentiæ ipsiusmet postulantis tribuendum est: scit enim, vel saltem scire debet, a quo petit; ideoque discrimini voluntarie se committit. Diximus 1. *nec peritiam jactitat*; aliter enim esset si peritiam dolose affectaret, uti patet; 2. *non tenetur erga eos qui consilium petunt*; obligatur enim erga tertium, si ei aliquod damnum evenerit ex tali consilio; cum iste tertius non sit sciens neque volens; et quisque jus habet, ne alter suo facto sibi noceat.

Quid vero (dices) si consulens non absolute loquatur, sed ostendat se vel dubitare, vel nescire, vel simpliciter dicat ita sibi videri, aut dicat ita se credere? Tunc non tenetur damnum inde secutum reparare; quia totum esset imputandum agenti, qui veritate non satis quæsitâ atque perspecta, damni illius periculo se ultro exposuit.

36. *Sed (quæres) quid si quis jam sit certo determinatus ad damnum proximo inferendum, v. g., ad occisionem; et alter non ei suadeat, nisi vel medium v. g., venenum, vel locum. v. g., solitudinem, vel tempus, v. g., hodie et non crastina die quia est festiva? Duplex sententia. Prima cum Cajetano, Viva aliisque docet consulentem teneri ad restitutionem; quia suggerendo modum concurrat ad substantiam damni, præsertim si per suggestionem in causa sit, ut alter damnum citius inferat: illo enim temporis intervallo contingere etiam fortasse poterat, ut voluntatem mutaret. Secunda vero sententia cum*

¹ *Eccii. vi. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 564.*

Laymano, Lessio, Lugo et Sporer negat, et hæc est nobis probabilior, quando modus est tantum accidentalis, ut sunt communiter circumstantiæ temporis, loci ac mediæ: et simul est omnino certum, quod alter non sit voluntatem mutaturus; nam cum executor jam certo supponitur determinatus ad malum inferendum tali personæ ante consilium, consulens simpliciter modum, in rigore non potest dici causa efficax quoad substantiam damni; ideoque possessio stat potius pro determinatione prævæ voluntatis in executeore.

In Codice tamen penali isti uti complices puniuntur; nam in foro externo internus animus ex ipso externo opere recte præsumitur; secus via aperiretur fraudibus[†].

37. Q. 6. *An consulens scienter malum alteri, tertio inferendum, teneatur etiam de damnis, quæ ille passus est exequendo prævum consilium?*

R. Per se loquendo negative; quia consulens ipsi nullam intulit injuriam, cum scienti et volenti nulla, fiat; et in hoc differt a mandante, quod mandans censeatur vim aliquam inferre executori, non vero consulens. Excipe tamen, si consulens adeo executorem circumveniret fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit. Gury.

38. Q. 7. *Si consulens consilium revocaverit, et tamen damnum adhuc sequatur, tenebiturne ad restitutionem?*

R. Certum est, quod si revocatio non innotuit damnificato, tempore habili, adhuc tenetur consulens; nam idem est, ac si talis consilii revocatio non contigisset. Si vero innotuit, distinguendum est: *vel* datum consilium consistebat in doctrina falsa, v. g., quod talis contractus esset licitus, cum tamen esset illicitus; *vel* consistebat in ostensione utilitatis aut delectationis ab executione orituræ; *vel* denique consistebat in manifestando modo damnum inferendi, ut si furi ostendas modum ingrediendi domum, quem secus ille non invenisset. In primo casu non tenetur consulens ad restitutionem, quia per illam revocationem consilium extinguitur. Quoad alios duos casus disputant.

Habert, Croix, Lessius, Lugo et alii communissime affirmant; sicuti enim qui ignem iniecit in segetem alienam, tenetur ad damni compensationem, etiamsi postea dolens de facto conetur omni, quo potest modo, ignem extinguere; ita

[†] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 563.

et consulens: consilium enim ab eo datum etiam post actam revocationem adhuc efficaciter in damnum influunt. Negant vero S. Antoninus, Azorius, Concina, Merbesius, Salmanticenses aliique casu, quo consulens in dati consilii revocatione curaverit omni meliori modo damnum dissuadere, adducendo rationem gravissimi reatus; quia id debet in homine præsertim christiano præponderare ceteris rationibus mundanis. Neque obest paritas; nam ignis in casu proposito operatur necessario; cum ex adverso post actam consilii revocationem damnum eveniat non amplius ex vi consilii, sed ex pura malitia executoris.

Secunda sententia est satis probabilis, sed primam nos censemus probabiliorē; quia non videtur satis retractari influxus[†].

N. II. — *De consentiente, palpone, receptatore et participante.*

39. Q. 1. *Quis consentiens, et an teneatur ad restitutionem?*

R. Nomine consentientis venit qui externa sua approbatione alium efficaciter movet ad damnum proximo inferendum. Duplici modo potest quis in damnum alterius consentire, consensu nempe inefficaci et consensu efficaci. *Inefficaci*, quando quis videt malum proximo inferendum vel jam illatum, et simpliciter sibi gaudet: qui proinde nihil tenetur restituere; cum damnum non causet. — *Efficaci*, quando malum proximo inferendum pendet, vel determinatur a suo consensu. Sic, v. g., consentiunt Senatores ac Judices, cum per sua suffragia positive concurrunt ad legem vel sententiam injustam: quos quidem dubium non est teneri in solidum de damno, quia nempe positive, efficaciter et injuste in illud influunt. Idem dicendum, si quis de industria, et absque sufficienti causa abest, v. g., a Senatu vel a Capitulo, cum præ-

[†] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 559. — Notandum autem consulentem, si executorem a perversi consilii executione nequeat remove, teneri ex justitia monere lædendum, ut sibi caveat.

videt defectu sui suffragii numerum suffragiorum sufficientem fore ad damnum inferendum; absentia enim esset de industria quæsita, ac injusta damni causa.

Hac in re : 1. certum est suffragantes omnes ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; nam semel inita conspiratione, omnium unica fit actio moralis influxiva, etsi non omnium suffragia necessaria sint ad damnum inferendum.

2. Certum est etiam omnes consentientes ac suffragium dantes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragati sunt (uti una voce, per acclamationem); quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa, singulis suffragantibus merito tribuitur.

3. Certum est, eos qui prima suffragia præbent antequam numerus compleatur, teneri ad restitutionem in solidum, etiamsi præviderint alios item esse consensuros: quia de facto in damnum efficaciter influunt. Ob eandem causam certum erit, illum quoque in solidum teneri ad restitutionem, qui post completum numerum suffragiorum dat suffragium ultimum pro sententia injusta, si prævideat alios suum revocaturos, quando ipse suffragium bonum præberet, vel ceteros suffragium dantes ad id hortaretur.

4. Certum item videtur, eos quoque teneri de damnis, qui suffragantur injustæ sententiæ vel legi, etiamsi numerus suffragiorum jam completus fuerit, et etiam seclusa conspiratione, quando adhuc requiratur sanctio judicis, præsidis vel regis ad firmandam sententiam illam vel legem, uti maxime fit in guberniis constitutionalibus. Etenim tunc omnes et singuli probabiliter tenentur de restitutione sive sciant quid alii facturi sint, sive non: sive secreto suffragia ferantur, sive non: nam omnes concurrunt tam primi quam ultimi ad injustam sententiam vel legem, cum ipsa efformetur ex collectione omnium votorum: et revera nomine omnium fertur et promulgatur. Unde ultimus suffragans se habet sicut ille, qui se adjungit quartus tribus furibus ad auferendam trabem quæ a tribus jam commode adsportari potest. *Lyonnnet.*

40. Quid vero (quæres) si nulla proprie dicta sanctio re-

quiratur, sed tot suffragiis jam numerus sufficiens sit completus, uti evenit in apertis nominationibus? An seclusa omni conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, qui suffragium suum tribuit, jam sufficientibus datis teneatur nihilominus sicut cæteri ad restitutionem? Sunt qui affirmant; quia etiam ejus nomine iniqua deliberatio executioni mandatur; et ille se habet ut ille qui se adjungit curro, qui jam a duobus sufficienter trahitur; nunc revera trahitur a tribus. Sed negandum, nam quando suffragia jam irrevocabiliter data sunt sufficientia ad damnum, tunc qui post suffragia illa dat suum, non potest dici in damnum efficaciter influere, cum jam sit consummatum: causa enim præcedit effectum suum, non eundem subsequitur.

Esto quod de scandalo teneatur si ejus suffragium notum fit; at non potest dici quod revera in damnum influant; et ideo non nisi ineffaciter ejus nomen usurpatur quoad illud, cum jam determinatum sit. Allata autem paritas non tenet; nam hic se adjungit curro non ad illud ducendum, sed curro jam ad metam suam ducto.

41. Sed quæritur: Si quis dubitat, an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, quod evenit si suffragia secreto data sint, teneaturne ad restitutionem? Diana dicit eum ad nihil teneri; quia in dubio melior est conditio possidentis exemptionem ab obligatione restitutionis. Alii cum Bonacina docent omnes teneri in solidum; quia omnes isti fuerunt concause totius damni. Sed verius docent Lugo, Molina et Sporer dubitantem teneri uti ceteros pro rata: et si alii non restituant, teneri in solidum; per illius enim suffragium jus alterius saltem deterius evasit ac incertum. Nec obstat, quod cooperato non teneatur, nisi quando scit se fuisse certam damni causam; quia in nostro casu quilibet suffragium ferentium est certus, se ad minus deterius fecisse suo suffragio jus, quod habebat damnificatus ad exigendam restitutionem totius damni ab aliis suffragium exhibentibus, rem nempe incertam reddendo¹.

42. Q. 2. Quis palpo et an teneatur ad restitutionem?

R. Palpo a palpando dicitur: quia quos adulamur, manu

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 566.

blandiri ac palpare solemus¹. Unde palpo dicitur qui *laude, adulatione vel vituperatione alium inducit ad damnum proximo inferendum*: sic, v. g., palponem vocabimus qui duellum laudando, patientiam irridendo, ignaviam increpando ad illud alium incitat. Palpo utpote efficax causa damni ipsa lege civili tenetur illud reparare; nam sæpe magis laudibus et vituperationibus impellitur quis ad damnum inferendum, quam malo consilio. Necessè autem non est, ut damnum intendat; sufficit, ut sciat se in damnum influere revera et efficaciter.

43. Q. 3. *Quis intelligitur nomine receptatoris?*

R. Receptator, seu recursum præstans, est qui præbet alteri securitatem, commoditatem, et protectionem ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum compenset. Receptator tenetur ad restitutionem, quando receptatio est causa furti: tunc enim, ut ait Augustinus, patet receptatorem socium esse fraudis et criminis²; atque sic in damnum positive influit et efficaciter. — Hinc tenebitur ad damni compensationem, qui furta aut instrumenta occultaverit aut emerit; cum hoc generatim idem sit ac rapinas fovere. Item tenebuntur caupones, qui a filiis familias acceptant pecunias aliasque res parentibus subreptas, nisi, omnibus perpensis, rationabiliter judicari possit, quod parentes non sint omnino inviti. Item domini, principes, parentes non impediens famulos, subditos, filios

¹ Quo blandior (adulatio), eo periculosior esse solet (ait *Stapp*, § 372); adulator quippe, dum indigne coram aliis reptat, et quidquid dicant, aguntve, summa cum impudentia miratur et effert, non se tantum, sed et illos deprimat, quorum gratiam et favores eblandiri studet; eos enim non amat, sed ludificat. Et quantam stragem impii assentatores regno morali non jam intulerunt! Quis illorum numerum computare poterit, quos adulatio corripit et perdidit? Imo historia exempla plurima refert, exinde fortissima quoque Regna et Imperia corruisse. Ab his ergo deceptoribus unumquemque nostrum, illos vero maxime, qui aliqua auctoritate pollent, sibi cavere oportet, memores illius quod Sapiens inquit: *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi*. Ecl. vii, 6. Cf. Prov. xxix, 12; Is. iii, 14. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 567. — *Venditores olei adulatoris* vocat D. Gregorius (*Homil. xii in Evang.*) de quo profecto oleo Psalmista dicit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (Ps. cxl.).

² Ep. c. lvi, alias 54. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 568.

si possunt, quando confisi in illorum potentia ac de ipsorum confidentia proximum damnificant.

Diximus quando receptatio est causa furti: unde non teneatur qui post furtum juvat furem ad fugam capiendam, modo non influat in damna futura: sicut nec qui furem et malefactorem domi recipit, non qua furem et malefactorem; sed qua amicum aut parentem. Item dicendum de illo, qui nempe ratione officii furem vel recipit tantummodo, uti caupo apud quem ipse diversatur; vel defendit uti advocatus qui ejus partes in judicio sustinet: sub eadem tamen conditione, id est dummodo in furta futura non influat; sic enim non est de crimine malo participare, sed humanitatis officium præbere. Hic videndus Codex pœnalis, ubi et graviter in receptatores animadvertitur, et quædam sapienter ad furta cavenda præscribuntur, tum artificibus circa res a privatis emptas, tum cauponibus quoad personas suspectas vel incognitas, quas hospitio excipiunt.

44. Q. 4. *Quis intelligitur nomine participantis ad damnum?*

R. *Participantis* vocabulo intelligitur qui vel in præda, vel in ipsa actione damnificativa fit socius quoad damnum proximo irrogatum. Fit socius in præda, si, v. g., post furtum suscipiat partem de re furto ipso ablata; fit socius in ipsa actione damnificativa, si in illam actionem concurrat, qua fuit proximo damnum revera illatum. — Porro participans in præda tenetur restituere quantum participavit; sic enim satisfacit omni damno, quod proximo intulit. Participans autem in actione damnificativa tenetur ad restitutionem pro modo concursus, ideo aliquando tenetur etiam in solidum¹.

Sed quid dices si quis concurrat quidem ad damnum alterius, sed non nisi ob metum gravis detrimenti? Si damnum quod ipse timet non concurrente, est superioris ordinis, si, v. g., timet mortem, mutilationem, etc., nisi furto gravi cooperetur, sunt qui volunt nihilominus ipsum non posse sine justitiæ læsione cooperari ad furtum; quia talis actus videtur intrinsece malus, siquidem lædit jus proximi; excipiunt

¹ V. supra, § 2.

tamen si cooperans velit et possit damnum reparare. Verum in nostra sententia neque peccat, neque tenetur de restitutione, quocumque modo cooperetur sive mediate sive immediate¹: quia habet justam causam. Neque dominus potest esse rationabiliter invitus; cum tunc illius bona necessaria evadant alteri ad se tuendum in re ordinis superioris, ut ait doctus Milante cum Laymano, Medina et Navarro. Quod si agatur de vita, agitur de extrema necessitate, in qua insuper omnia bona sunt communia.

Si damnum non sit ordinis superioris, sed vel inferioris, uti si quis timeat verbera, nisi morti alterius cooperetur; vel ordinis æqualis, uti si damnum timeat in bonis fortunæ, nisi cooperetur in furto, non poterit ullo modo concurrere; tum quia non adesset proportio; tum quia in pari causa quisque legitime jus habet, ut sua bona possideat². Excipe nisi nimia sit inæqualitas, ut si furando parum de alienis possis servare te indemnem in magnis; sed eo in casu teneris rei ablatae valorem domino restituere; cum agatur de re in eodem genere, et æquivalenter possideas quod alterius est.

N. III. — De muto, non obstante, et non manifestante.

45. Q. 1. Quid est mutus, non obstans, et non manifestans; et quando tenentur ad restitutionem?

R. ad 1. : Mutus dicitur qui ante damnum tacet, et non

¹ Participatio in actione injusta vel fit immediate, ut cum quis actionem damnificativam cum alio exercet, v. g., si duo simul incendunt domum; vel mediate, quando quis ponit actiones ex se non damnificativas; sed iis alter abutitur ad malum proximi, ut si scalam teneat dum fur eam ascendit. At si furi terga servat, vel si munusculum a fure accipiat, ne clamet dum hic furatur, peccaret contra justitiam, per hæc sane influeret in ipsam voluntatem foris eum saltem animosiorum reddendo, et sic formaliter cooperaretur ad ejus furtum, Plura De Cooperatione, tract. sequenti.

² « Alii in nullo casu permittunt concursum immediatum; quia esset facere malum ut eveniret bonum; alii permittunt in bonis inferioris ordinis ad mortem vitandam, si tamen participans animum gerat damnum reparandi. Concursus vero mediatum ex gravi causa permittunt, cum sit ponere rem ex se indifferentem. » Lyonnet. — V. Liguori, Op. Mor., l. II, n. 66; et l. III, n. 571: Homo Apost., tr. IV, n. 31.

monet; cum monere teneatur. Non obstans dicitur qui dum fit damnum, illud non impedit; cum teneatur impedire. Non manifestans dicitur qui post damnum, illud non denuntiat; cum debeat denuntiare.

R. ad 2. : Mutus, non obstans, non manifestans tunc restituere tenentur, ait Angelicus, cum malum alterius culpabiliter sinunt: quod vel ex pacto implicito aut explicito, vel ex officio rigoroso, vel ex stipendio tenentur impedire; tunc enim violat alterius jus strictum¹: hæc quippe de causa conducti sunt, mercedem recipiunt ac officium sustinent, ut nempe clament, obstant, manifestent. Sic Magistratus et Duces belli tenebuntur ad restitutionem damnorum, quæ a latronibus ac militibus ob culpabilem illorum negligentiam inferuntur. Item Canonici tacentes ac non impediens electionem iniquam: item administratores bonorum non impediens damna minorum et Ecclesiæ: item famuli custodientes bona domini, si damna ab extraneis non impediunt. Ad rem Codex civilis: « Chacun est responsable du dommage qu'il a causé non-seulement par son fait, mais encore par sa négligence ou par son imprudence. — On est responsable non-seulement du dommage que l'on cause par son propre fait, mais encore de celui qui est causé par le fait des personnes dont on doit répondre, ou des choses que l'on a sous sa garde² (E). »

Ceterum observandum est, non omne officium obligare sub restitutionis onere, saltem in foro conscientiæ: sed illud tantum, quod ex justitia ortum habet, et delictum vel quasi-delictum supponit³. Quare parentes ad restitutionem non videntur per se teneri, si omittant filios corrigere; nam illorum officium ortum ducit a sola pietatis obligatione, quamvis jure merito in foro externo puniantur, ut diligentiores se gerant in cura suorum: et ideo sententiæ punitivæ debent obtemperare, si revera a filiis illatum sit damnum.

46. Q. 2. An peccent et obligentur ad restitutionem qui ex

¹ 2, q. 62, n. 7.

² C. Ped., art. 1501. — C. A. 1501. — C. G. 1584 et seqq. — C. S. 1558. — C. P. 2087. — C. M. 1595.

³ V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 575; et l. II, n. 40.

officio suo tenentur denunciare contravenientes legi, nec denuntiant?

R. Huc maxime veniunt qui custodiae sylvarum, agrorum, tributorum exactioni, etc., a principe, communitate vel privato praeficiuntur. Qui si deficiant proprio muneri (praeter peccatum contra juramentum, si illud emittant), peccant etiam contra justitiam commutativam erga damnificatos, et tenentur de damnis sua negligentia non impeditis in defectu damnificatorum¹; cum ideo stipendio conducti sint, ut dominum servent indemnem.

An autem praeter damna teneantur in conscientia etiam solvere *multam*, quam dominus a reis percepisset, si ipsi eos denunciassent, disputant. Valde probabiliter affirmant Layman, Sotus et Sporer; quia omissio denuntiationis, quae est facienda ratione officii, est causa, ut illud jus amittatur. Attamen communius ac satis probabiliter negant Lessius, Lopez, Lugo, Salmanticenses et Sanchez: ratio est, quia lex poenalis non intendit, ut fiscus vel domini ditentur multis; sed tantum, ut illi serventur indemnes ac transgressores puniantur: unde non est nisi indirecte, quod illae debita sint, nempe post sententiam: ac proinde nec fiscus nec domini jus strictum, seu acquisitum, habent ad illas. Qua ex doctrina concludunt, quod fiscales non denunciando peccant tantum contra justitiam legalem in ordine ad multam, ideoque tenentur tantummodo resarcire damnum vectigalium, quae mercatores debuissent. Idem dicunt de iudice multam punitivam non exigente: et talis est praxis ex Gury, cui communis sensus concordat.

Pariter communissime dicunt neque illum teneri ad restitutionem, qui impedit, ne multa fisco applicetur ante sententiam; vel quia fiscus ante sententiam nullum ad poenam jus acquirit; vel quia sic saltem accipitur communiter hoc fisci jus ad poenas².

¹ Excipe: nisi prudenter praesumi possit, dominum damnum condonare, ut evenit in rebus levioris momenti, aut cum damnum fit a pueris, pro quibus una vel altera vice sufficit ex praesumpta domini voluntate et consuetudine secreta monitio. — V. Ferraris, v^o Locatio, Restitutio, a. 1.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 385; et l. IV, n. 237.

Art. II. — De eo cui restitutio facienda est, de restitutionis ordine et circumstantiis.

47. Q. 1. Cuinam restituenda sunt bona certa?

R. Bona certa ordinarie loquendo restituenda sunt possessori legitimo, quamvis non sit eorum dominus, ut si esset depositarius, locatarius; hic enim jus habet bona illa penes se retinendi. Diximus *ordinarie loquendo*, quia si bona restituenda in manu possessoris periclitentur, v. g., si iisdem sit abusus in sui aut aliorum perniciem, utiliter geret negotium domini, qui illi ea non restituit, nisi aliud obstet¹.

Hic nonnulla notanda ex lege civili: — 1. solutio bona fide facta illi, qui crediti titulum possidet, valida est, etsi postea possessor crediti evictionem patiat; — 2. nulla est solutio facta creditori, qui ad eam recipiendam capax non est, ut est minor, interdictus, etc.: excipe nisi debitor probaverit rem a se solutam in creditoris utilitatem versam fuisse, ut si inservierit ad necessarias impensas pro conservatione ejus fundi; — 3. solutio facta a debitore creditori suo in damnum positi sequestri vel factae exceptionis non valet quoad illos creditores, in quorum utilitatem sequestrum positum fuit vel facta exceptio; isti enim possunt adstringere debitorem ad novam solutionem quoad ea, quae ad eorum jura spectant: salvo tamen tunc ipsi debitori regressu contra creditorem; — 4. debitor adigere nequit creditorem ad recipiendam per partes solutionem, licet debitum sit divisibile².

48. Q. 2. Quibusnam sunt restituenda bona incerta, quorum nempe dominus post diligentem inquisitionem cognosci non possit?

R. Si dominus ille incertus est in particulari, si nempe sciatur quidem bona illa spectare ad tres, aut quatuor homines in particulari, sed ignoretur ad quemnam praecise pertineant, tunc illa inter tres vel quatuor illos homines dividenda erunt pro rata dubii, ut patet; nec posset tunc restitutio fieri pauperibus: *Quia ego Dominus, ait Deus apud Isaiam, diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocausto*³.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 596. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Restitutio, art. 5. — ² Cod. civ. Gall., art. 1244. — ³ Is. LXI.

At si res etiam in generali incerta est, vel illa acquisita fuit *mala fide*, puta ex furto, aut usuris; vel *dubia fide*, ut si rem obtinueris suspensus, an tua revera sit, necne; vel *bona fide*, ut si ab ignoto et transeunte mercatore decem ulnas panni accipias pro quinque. Si 1, res illa est danda pauperibus; nemini enim fraus sua patrocinari debet, nec commodum quis reportare ex sua iniquitate. Si 2, perseverante dubio post debitam inquisitionem, res illa partim tribuenda est pauperibus et partim retineri potest; cum enim par sit ratio, et par esse debet conditio ac jus. Si 3, tunc si spectatis omnibus circumstantiis, est adhuc possibile, ut dominus inveniat, res vel ejus pretium servari debet. Et si neutrum servari possit, in pios usus fiat conversio juxta voluntatem domini rationabiliter præsumptam, qui rei dominium conservat, quamdiu illa suas in manus redire potest.

Quod si non est amplius possibile, ut dominus inveniat, nulla amplius erit obligatio restitutionis; quia res habetur tanquam derelicta, saltem juxta veriorum sententiam¹.

49. Q. 5. *Quisnam in restitutione facienda servandus est ordo?*²

¹ Et valet quod dictum est de rebus inventis.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III. nn. 284 et seqq. — Ferraris, *v. Restitutio*, art. 4. — 1. Ante omnia ex omnibus mobilibus solvi debent impensæ: 1^o judiciales; 2^o funerales; 3^o medicinales pro ultimo morbo (quæ debentur medico, chirurgo, ac pharmacopœe simul); non tamen ultra annum; 4^o impensæ necessariæ pro viduæ luctu et sustentatione ad primos decem menses; 5^o stipendia domesticorum ad annum; 6^o debita pro cibis et indumentis a sex mensibus inita, si ea venditores *minutim* vendant; si secus vendant, inita ab anno. — 2. Privilegium habent in determinata mobilia: 1^o locator domus et prædii rustici pro pretio locationis in fructus anni currentis, et in valorem omnium mobilium, quibus domus instructa est, vel prædium; 2^o creditor in rem mobilem sibi oppignoratam; 3^o qui rem servavit vel meliorem fecit, si adhuc retineat, pro factis expensis; 4^o venditor pro pretio rei mobilis præcedenti anno vendite, si adhuc sit penes debitorem: imo si adhuc res in suo primo statu existat, et venditor nullam emptori concesserit moram ad solvendum, tunc intra quindecim dies res vendita vindicari potest; 5^o caupones in res viatorum apud se depositas pro eorum impensis; 6^o vectores quoad res transvectas; 7^o creditores publici functionarii, qui commissa sibi negotia male administrat, quoad res in cautionem datas; 8^o collegia, communitates in pecuniam ab eorum administratoribus in cautelam tributam: item qui ea de causa authentico actu pecuniam ipsam

NOTA: 1. qui rem alterius apud se tenet, quodcumque titulo teneat, eam debet vel domino, vel ejus hæredibus tradere, vel demum pauperibus, si hæredes deficient; quia res semper clamat ad dominum; 2. debita ex titulo oneroso, v. g., ex contractu venditionis, prius solvenda sunt debitum ex titulo gratuito, v. g., ex donatione, ut communiter debent, etiamsi hæc facta sit ab eo, qui quando donavit, impar non erat ad solvenda debita; nam in omni promissione gratuita hæc semper includitur conditio generalis: *Si fortius vinculum non obsit*. Est etiam axioma: *Nemo liberalis, nisi liberatus*. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia vota et legata, etiam pia. Hoc posito:

R. Si debitor omnibus creditoribus satisfacere potest, nullus ordo necessario servandus est, ut patet, modo suo tempore omnibus solvant. Si vero nequeat omnibus satisfacere, tenetur dividere bona sua inter omnes creditores juxta proportionem debitorum, nisi quis eorum jus prælationis

tradiderunt. — 3. In bona immobilia privilegium habent: 1^o architecti, cæmentarii et alii operarii in ædificia et alia opera pro mercede; 2^o venditor pro solutione pretii rei immobilis venditæ; 3^o cohæredes in bona successionis pro solutione portionum, quæ ab aliis hæredibus refundi debent; 4^o qui pecuniam mutuam dederunt, ut per eam satisfaceret iis, de quibus in numeris præcedentibus, si id tamen authentice probari possit; 5^o tertius possessor in rem servatam vel meliorem effectam, quoad expensas utiles. — 4. Privilegia super mobilia et immobilia sunt quæ habentur constituta in omnia mobilia notata sub n^o 1. Hæc tamen privilegia non obtinent in immobilibus, nisi in defectu mobilium: et quando id obtinet, expensæ judiciales ac funerales et ultimi morbi præferuntur omnibus specialibus privilegiis super immobilibus. Cætera postponuntur. Duo adhuc hæc de re notanda sunt: 1. ut privilegia vim suam obtineant, necesse est ut intra tres menses, quemadmodum hypothecæ legales, inscribantur (si ea excipiantur, quæ sunt fisci quoad tributa fundiaria et indirecta, vel quæ respiciunt mobilia specialia, aut omnia mobilia); 2. etiam fiscus gaudet privilegiis: et quidem omnium primus quoad tributa fundiaria et indirecta, necnon quoad debita functionarii publici, qui cautionem tribuerit. Quoad tributum vero personale et mobiliare privilegio gaudet, sed solutis expensis judicialibus, funeralibus et ultimæ infirmitatis. Tandem quoad expensas in materia criminali et correctionali, fiscus non gaudet privilegio, nisi post ea, quæ vel omnia vel determinata mobilia respiciunt (art. 2202, etc.).

¹ Aliter esset si donatio jam sit consummata, et res donatario tradita sit; tunc contractus firmus est ac stabilis, atque in absolutum dominium donatarii res transit.

habeat; nam cum debitor omnibus æqualiter sit obstrictus, iniquum foret omnia uni solvere, aliis posthabitis. Hoc etiam in civili Codice præceptum est¹. — Diximus: *Nisi quis eorum jus prælationis habeat*; hoc enim jus lex civilis tribuit tum privilegiatis, tum hypothecariis: quod quidem obtinet etiam in conscientia; cum sit legitima lex superioris lata in bonum commune, ut ait S. Antoninus.

Quoad hypothecarios, ipsi prælatione gaudent (post privilegiatos tamen); ac primo qui prius inscripti fuerunt: quod si plures fuerint inscripti eodem die, æqualiter concurrunt. Quod vero pertinet ad privilegiatos, si eadem sit ratio privilegii, et eadem erit ratio concursus: secus privilegiorum diversa dividenda qualitas; nam *privilegia non tempore æstimateur, sed ex causa*. Igitur privilegia a lege alia constituta sunt in omnibus; alia in quibusdam mobilibus tantum. Item alia in immobilibus; alia in bonis tum mobilibus tum immobilibus, id est in universam substantiam, ita ut de universa substantia solutio peti judicialiter possit².

50. Q. 4. *An creditores priores tempore præferendi posterioribus?*

R. Nulli dubium est, quod creditores privilegiati et hypothecarii sint præferendi creditoribus simplicibus (qui scilicet nullum a lege jus habent prælationis, quia nec privilegium habent nec hypothecam), etsi eorum creditum tempore sit prius; sic enim a lege statutum est.

Quod vero spectat ad ipsos creditores simplices inter se, utrum qui priores sunt tempore aliis sint præferendi, atque ipsis antea integre solvendum sit, disputant. Alii probabiliter negant cum Azorio, Holzman, Lessio, Vasquez, etc.; ratio quia hisce creditoribus non bona, sed ipsa persona ligata est, quæ omnibus æqualiter obnoxia est. Sed alii probabilius et communius affirmant cum S. Antonino, D. Thoma, Concina, Croix, Navarro, Salmanticensibus, Suarez, etc.; nam regula *qui prior est in tempore, potior est in jure*, licet a jure civili

¹ C. Ped. 2147 et seqq. — C. A. civ. 60. — C. G. 2095. — C. S. 1965. — C. P. 2122. — C. R. 60. — C. M. 2114. — C. H. lege 2 maii 1856.

² Cod. civ. Gall., art. 2095, 2105.

pro solis hypothecariis assignata sit, attamen a jure Canonico¹ illa admittitur pro omnibus. Et quod præcipuum est, id fundatur in jure naturali; creditor enim anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam ejus bona, in quibus proinde non debet præjudicari a creditore superveniente.

51. Q. 5. *An debita ex delicto, puta rapina, sint prius solvenda quam debita ex contractu, puta emptione: item certa priusquam incerta?*

R. Ad 1: Sentit S. Thomas prius solvenda debita ex delicto; quia est major injuria ea retinere, cum major fuerit injuria, in Deum et in proximum, illud opus perpetrare². Alii tamen communius et probabilius cum Alasia, Billuart, Lessio, et Lugo docent nulla prælatione ea gaudere; quia obligatio, quæ oritur ex commutativa justitia, eadem est in contractu et delicto; delictum autem pœnitentia deletur, non autem restitutione.

R. Ad 2: Si debita hoc sensu incerta sint, quia dubitas utrum debeas, ad nihil teneris; nam in dubio melior est conditio possidentis. Si vero certo debeas, sed dubites cui debeas, teneris restituere pauperibus juxta præsumptam domini voluntatem. — Verum quæstio est, utrum hæc debita sint postponenda illis, quorum domini certi sunt, vel an etiam ista sint solvenda pro æqua parte simul cum debitis certis, unam partem videlicet tribuendo pauperibus, aliam notis creditoribus. Est utique probabilis sententia Busembaum et Lessii; imo communis juxta Croix et Salmanticenses, quod nempe prius restituenda sint debita omnia certa; quia ommissa solutione debiti incerti, nemo determinate patitur injuriam, sicut quando omittitur restitutio debiti certi; neque enim pauperes jus strictum habent ut ipsis pro dominis incertis debeat restitui; aut possunt in judicio vindicare tale jus, sicut valent creditores certi. Nihilominus est satis probabilis sententia contraria Molinæ, Bannes, et Lugo (qui eam probabilissimam putat ac pluribus defendit); neque enim hic agitur de foro externo, quod de incertis non curat, neque ad ea solvenda

¹ Reg. xlv jur. in 6. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 690.

² Opusc. LXIII, c. XVIII.

compellit; sed de foro conscientiae. Utique restitutio in usus pios non est propter jus quod pauperes aut loca pia habent, sed propter jus ipsius veri creditoris quod habet in sua credita. At cum illi creditores, quicumque sint, aequales sint in jure suo cum creditoribus certis, et aliunde velint voluntate interpretativa hoc modo expendi quod ipsis debetur, non est cur debeant aliis creditoribus postponi ⁴.

52. Q. 6. *An possit praeferrri creditor pauper creditori diviti?*

R. Probabiliter affirmant Medina, Molina et Sa cum D. Thoma², creditorem pauperem esse praeferrendum diviti: quia obligatio restitutionis datur ad reparandum damnum proximi; plus autem patitur damnum pauper, si ei non fiat restitutio, quam non indigens. — At probabilius negant Lessius, Lugo, Vasquez alique; quia nullo jure haec praeratio pauperibus tribuitur; quando enim agitur de justitia commutativa, omnium jus aequale est, utpote in re fundatum. Excipiunt, si pauper versetur in gravi vel extrema necessitate: et sic revera tenendum est, casu quo creditor jam teneatur ex charitate cedere solutionem illam, habens superflua statui, ut pauperi subveniatur.

An (quares) prius exigenti liceat prius persolvere? Si creditor in judicio petit, commune est licere ipsi prius totum persolvere, etsi tempore posterior sit; lex enim tale tribuit privilegium in obsequium publici judicii. Imo adhuc communissime et probabilius affirmant Billuart, Lessius, etc. contra Lugo, si creditor sibi satisfieri petat extra judicium, modo ipsi tribuantur bona non aliunde obligata, id est quae jam aliis non sint debita ratione privilegii vel hypothecae, et modo absit fraus; jura enim favent vigilantibus, et non distinguunt in judicio, an extra ⁵. Non ideo tamen potest debitor non rogatus arbitrio suo uni praeter alio satisfacere, cum id nullibi fuerit ei concessum.

Diximus modo absit fraus, quae tamem adesset, si publice jam declarata sit cessio honorum; nam tunc debitor omni actione spoliatus existeret. Hinc creditores a lege civili jus habent impugnandi omnes actus, quos debitor egit in fraudem creditorum: sic si debi-

⁴ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 114; *Op. Mor.*, l. III, n. 687.

² Opusc. lxxiii, c. xviii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 691.

³ L. pupill. ff. quae in fraud.

tor velit renuntiare haereditatem sibi delatam, vel usumfructum sibi constitutum, qua renuntiatione fiat impos ad solvendum, creditores illam fraudulentam renuntiationem prohibere possunt: et ipsi subingredi in jus debitoris pro quota proprii crediti ⁴. Addit Codex civilis: « Les créanciers peuvent exercer tous les droits et actions de leur débiteur, à l'exception de ceux qui sont exclusivement attachés à la personne. Ils peuvent aussi, en leur nom personnel, attaquer les actes faits par leur débiteur en fraude de leurs droits ². »

Hic tamen notamus cum sapienti Billuart, creditores illos minime esse inquietandos qui, exorta de fortuna debitoris suspicione, debitum repetunt: tum quia haec est vigilantia; tum quia non constando de impotentia debitoris, jus suum legitime prosequuntur.

53. Q. 7. *Quisnam restitutionis ordo servandus est inter causas negativas, et causas positivas?*

R. Inter varios cooperantes ille tenetur primo loco restituere, qui rem alienam habet; cum ea semper clamet ad dominum. Neque obstat, si eam consumpserit; quia recte pro possessore habetur qui dolo desit possidere. Quod si nemo rem alienam unquam habuerit, ut evenit, v. g., si ea in incendio fuerit consumpta, tunc primo loco tenetur restituere mandans, sive consilio, sive imperio mandaverit; quia ipse fuit primus movens, et princeps causa ⁵. Secundo loco tenetur executor; quia est principalis, qui post mandantem damnum immediatius attingit. Tertio loco ceterae causae positivae: consulens in alterius gratiam, consentiens, laudans, etc., habita videlicet ratione cooperationis; neque enim una est magis vel minus principalis causa respectu alterius, sed unaquaeque in suo ordine cooperata est. Quia tamen ad totum est coope-

⁴ Quid si debitor ecclesiasticum Beneficium possideat; potest ne lex civilis illum a renuntiatione prohibere? — R. Esto quod possit sequestrare fructus jam a Beneficio perceptos; at non potest ejus renuntiationem impedire; nam Beneficium non est juris civilis, ut de eo valeat disponere.

² C. Ped., art. 1258. — C. G. 1166 et 1167. — C. S. 1120. — C. P. 1129. — C. M. 1208.

⁵ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 579. De consulente (damno ex consilio secuto) ait S. Alphonsus (*Op. Mor.*, l. III, n. 560): « Si consilium sit utile illud praebenti, ipsum primo teneri; secus, si soli executori. Si autem sit utile utrique, utrumque teneri pro rata: et idem puto, si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius tenentur in solidum. »

rata, sunt qui quamlibet causam obligant ad totum damnum resarciendum in aliarum defectu.

Ultimo loco veniunt *causæ negativæ*, sed in aliarum defectu; quia cum causa positiva sit potior in influxu, ideo prima esse debet in restituendo. Porro inter causas negativas illa primitus tenetur, quæ magis damnum avertere tenebatur: sic custos specialis rei alicujus probabiliter tenetur ante custodem generalem, cujus est primario invigilare in speciales custodes, non in rem ipsam. Ordinarie tamen inter eas nullus videtur ordo adesse; cum illæ æqualiter de re teneantur, ac per se loquendo ad suam tantummodo partem obligentur, quia neutra est alterius instrumentum. Aliis tamen deficientibus, valde probabiliter unaquæque causa negativa tenetur ad totum, cum revera unaquæque totum damnum avertere teneatur.

Hoc autem maximum est discrimen inter causas tum positivas tum negativas, quod causa, quæ primo loco tenetur, semper teneatur restituere, licet aliæ causæ subordinatæ restituerint, id est solum in istas refundendo; nam ipsa est causa prima. Ceteræ autem non tenentur, nisi quando recte præsumunt, primas causas vel non posse vel nolle resarcire damnum. Dubius autem, an alii socii restituerint vel sint restituri, adhuc ipse tenetur ad restitutionem: nam cum habeat certam obligationem, ab ea per meram præsumptionem nequit solvi.

Quid (dices) si damnum passus illud condonaverit? Si principali damnificatori condonaverit, ceteræ causæ liberantur, quia principale deficit cum accessorio: secus si condonatio fiat minus principali, tunc hic solummodo liberatur. Quoad remissionem autem debiti in contractibus statuit lex civilis: 1. quod remissio aut debiti liberatio pacta in utilitatem unius ex condebitoribus solidariis omnēs alios liberet, nisi aliud exprimatur; 2. quod remissio aut liberatio concessa principali liberet fidejussores, non e contrario⁴.

54, Q. 8. Quo tempore faciendæ est restitutio?

R. Vel restitutio faciendæ est ex contractu, vel alio titulo:

Si 1, eo tempore faciendæ est, quo fuit conventum, etiam si eam creditor non petat; quia dies interpellat pro homine, uti fert juris adagium. Ubi vero nullum conventum fuerit

⁴ Cod. Ped., art. 1575. — C. A. 1444. — C. G. 1282 et seqq. — C. S. 1236. — C. P. 1264. — C. M. 1345.

tempus, non peccat graviter qui restitutionem differt quoad rogetur a creditore; nam creditor scienter non petendo videtur consentire dilationi, et talis est usus¹. Excipe nisi ob timorem, oblivionem aut impotentiam creditor omittat monere debitorem: item nisi debitor ad solvendum se obligaverit juramento; nam juramentum de se obligat quamprimum. Neque dicas quod juramentum sequitur naturam contractus; respondent enim Salmanticenses; juramentum utique sequitur naturam contractus, sed primordiale seu actus substantialem: porro quod in contractu monitione opus sit, est ex accidenti, nempe ex consuetudine, non ex se.

Si 2, fieri debet statim ac moraliter potest; secus non restituens esset morosus detentor, et privaret alterum usu rei suæ: quod si nequeat obligationi huic suæ satisfacere pro toto, tenetur pro parte quam potest; utile enim per inutile non vitiatur. Item qui non potest commode restituere aperte, restituat occulte; qui nequit per se, faciat per alium, v. g., per ipsum Confessarium aut Amicum. Attamen excusatur a mortali qui differt restitutionem ad breve tempus, si dominus nec grave damnum patitur nec graviter censeatur invitus: Palaus spatium 20 dierum putat ordinarie breve esse².

An (quæres) qui differt restitutionem ultra tempus definitum, teneatur compensare damna, quæ ideo creditor patitur? — Si restitutio fieri debet ex contractu et non sit culpabilis mora, ex communi sententia non sunt in conscientia compensanda damna; neque enim quis portare debet tantum onus sine culpa³. Si vero restitutio fieri debet ex delicto, puta

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 676, etc. — Pavone, *Spicilegio*, § 95. Monet imo Lugo cum aliis non illico damnandum de culpa gravi qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat; quia talis dilatio non videtur tunc graviter ei injuriosa.

² Hic observandum cum Antoine, licitum esse debitori anticipatè solvere debita sua, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo; nam quisque potest juri suo cedere; neque tunc terminus appositus est, ne solutio anticipatè fiat; sed ne ultra differatur. Secus, si terminus sit appositus in favorem creditoris; nam fieret injuria creditori habenti jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus: ex l. XV, § de ann. legat.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 680 et 704. Si restitutio faciendæ sit in pecunia, aliquando ex lege civili, fructus producit, ut dictum est de contractibus, ubi de eorum obligatione.

ex furto; probabilius et communius docent Croix, Layman, Lessius et Lugo debitorem teneri compensare omne damnum ex dilatione proveniens, etsi habeat nunc justam causam differendi, quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni, tamen revera causa fuit illa prima injusta acceptio.

55. *Quid (dices) de eo qui non vult restituere, nisi in morte?* Qui non vult restituere nisi in morte, non debet absolutionis beneficio donari; quia semper est in statu peccati, juxta illud Augustini: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*¹. Restitutio enim omni tempore semper urget: *Retentio rei alienæ, ait Angelicus, contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper et ad semper; et ideo tenetur semper ad statim restituendum*². Excipitur: 1. si debitor sit in bona fide, neque monitio prævideatur ei profutura; tunc ne peccatum ipsum materiale evadat formale, in sua bona fide relinquendus est; 2. si sit causa restitutionem differendi, v. g., si statim fieri nequeat sine scandalo vel infamia; tunc enim dilatio rationabilis est.

Sed (quæres) quotnam peccata committit qui culpabiliter restitutionem differt ac negligit? Prima sententia cum Suarez, Vasquez, Tapia, etc., docet tot peccata ab eo committi, quot sunt occasiones restituendi, quoties a domino res petitur, vel de restitutione a Confessario monetur; item quoties ipse proponit se nolle restituere: imo quoties per somnum, vel per alias causas distrahitur; tunc enim (aiunt) tot sunt interruptiones, ideoque et totidem peccata. Secunda vero cum Lugo, Návarro, Salmanticensibus et aliis tradit, quod si voluntas retinendi non revocatur per contrariam voluntatem, unum tantum adest peccatum, licet per annum et amplius restitutio negligatur. Tale enim peccatum (inquiunt) licet physice interrumpatur, non interrumpitur moraliter; cum mala voluntas non retractetur, et virtualiter perseverare dicenda sit in externo opere, scilicet in retentione rei alienæ: ideoque putant sufficere, si pœnitens confiteatur restitutionis omissionem, quin tempus exprimat, quo omissio perduravit.

Prima sententia est probabilis; secunda sententia non pro-

¹ Ep. c. lxx ad Maced. al. 54. — ² Supplem. q. 6, a. 5.

habilis, tantummodo; verum etiam videtur probabilior. Merito tamen censet Diana, quod si fur redditur impotens ad restituendum, et deinde factus potens, data opportunitate non restituit, novum peccatum committit; quia per tempus impotentiae voluntas non restituendi non perseverat in effectu¹.

Eritne debitor absolvendus antequam restituat? Regulariter loquendo non est absolvendus, si restitutio sit ipsi moraliter possibilis; luctuosa enim experientia docet, debitores post absolutionem, raro admodum restituere. Quare S. Thomas a Villanova: *Prius ergo vadat (pœnitens) et... pecuniam alienam restituat... et tunc ad Confessarium redeat, ut absolvatur*². Si tamen prudens Confessarius revera deprehendat ipsum debitorem sincere paratum ad restituendum quamprimum, recte procedet, si absolutionem impertiatur etiam pro tertia vice, modo tales occurrant circumstantiæ impellentes, ut ipse Confessarius solo restituendi proposito debeat esse contentus: quod raro evenit.

56. Q. 9. *Quo loco et cujus impensis fieri debet restitutio?*

R. Si agitur de restitutione facienda ex vi contractus (quamquam proprie loquendo tunc non tam habetur restitutio, quam solutio), en legis civilis determinatio æquitati conformis: « Le payement doit être exécuté dans le lieu désigné par la convention. Si le lieu n'y est pas désigné, le payement, lorsqu'il s'agit d'un corps certain et déterminé, doit être fait dans le lieu où était, au temps de l'obligation, la chose qui en fait l'objet. Hors ces deux cas, le payement doit être fait au domicile du débiteur³. »

Si vero restitutio aliter facienda est quam vi contractus, tunc vel agitur de possessore bonæ fidei, vel de possessore malæ fidei. Si 1, restitutio facienda est in loco, in quo res extat, et impensis domini; ipsa enim naturalis æquitas minime patitur, ut possessor bonæ fidei absque culpa sua damnum aliquod patiat. Quando tamen primo advertit rem esse alienam, statim debet ejus dominum admonere, ut possit sibi

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 40; l. III, n. 685.

² Fer. vi, post. Dom. iv Quadr. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 682.

³ Cod. Ped., art. 1537-38. — C. A. 1420 et 1905. — C. G. 1247 et seqq. — C. S. 1200. — C. P. 1224. — C. M. 1502.

consulere. Si 2, restitutio facienda est in loco, ubi dominus eam possedisset, si non fuisset ei subrepta, et expensis possessoris malæ fidei vel injusti damnificatoris, iis tantummodo deductis, quas fecisset dominus in ejus conservatione et translatione. Nam si ex una parte dominus ob alterius culpam jacturam pati non debet, ex alia neque locupletari de alienis.

57. *Sed (quæres) an debitor iterum debeat restituere, si debitum per nuntium fidelem ad creditorem missum, vel alterius culpa vel etiam casu perierit in translatione illa?*

R. Si res est restituenda solum ex re accepta, seu a possessore bonæ fidei, illa perit domino; quia possessor bonæ fidei non est in culpa neque in ea acquirenda neque in ea transmittenda: hinc qui in grege suo ovem alterius casu inveniatur, et mittat per virum fidelem ad dominum, perit domino, si in translatione pereat. — Si vero res debetur ex contractu, pariter debitor ad nihil amplius tenetur, si agatur de re existente in individuo, puta si sit commodatum, vel depositum; nam res sicut stat, ita perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem, vel ad personam a creditore designatam pervenerit.

Si tandem agatur de debitore ex delicto (seu fure), tunc ipse non liberatur a nova restitutione in dicto casu, ut communis ac tenenda sententia docet; nam debitor ex delicto tenetur ad omne damnum licet fortuitum; quia ex jure culpa præcedente, casus etiam fortuitus imputatur. Præterea fur tenetur dominum efficaciter reddere indemnem eum restituendo in illum statum, in quo erat antea. Adde si res in manu furis periret, fatentibus omnibus, ipsi periret; ergo a pari ipsi perire debet in manibus nuntii, cum illius personam repræsentet. Excipe: 1. si dominus designaverit nuntium, per quem res mittenda erat; tunc nuntius gereret personam creditoris: 2. si nuntius a judice fuerit designatus; judex enim creditoris causam tuetur ac vestit: 3. si creditor ipsi debitori expressis verbis libertatem tribuerit eligendi nuntium, et nuntius prudens, ac fidelis fuerit electus a debitore¹.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 704.

58. *Cum quo damno (quæres) debet injustus damnificator restituere?* Damnum hic est pensandum comparative ad subjectum; nam fieri potest, ut damnum decem libellarum respectu debitoris inopis sit longe majus, quam damnum libellarum centum respectu creditoris opulenti, et contra. Quo posito sententia communissima et probabilior cum Billuart, Lugo, Vogler, etc., negat damnificatorem teneri ad restitutionem cum quocumque sui damno etiam gravissimo, justitia enim est virtus præcipiens prudentiam et æquitatem, ideoque non potest obligare ad restitutionem cum quocumque damno etiam gravissimo debitoris: tunc dominus ipse censeretur irrationabiliter invitus. Pro certo ideo dicimus, damnificatorem hujusmodi teneri ad restitutionem cum damno simili: imo Lugo, si agatur de re magni momenti, obligat furem ad restituendam, etiamsi passurus sit damnum duplo majus, ut si, v. g., ad restituendum tria debeat expendere sex; cum enim sit in culpa, merito illum excessum sustinere debet, ut dominum indemnem faciat.

59. Quod si restituere non possit, nisi cum sumptibus longe majoribus, et nequeat neque ope cambiū pretium transmittere, vel rem conservare domino aut ejus hæredibus, in probabiliori saltem sententia, sufficit, ut rem tribuat pauperibus, quia sic videtur charitati conforme: nam tunc restitutum habetur uti moraliter impossibile. Ita S. Antoninus, Billuart Lessius, Lugo, Sporer, alique communiter ac passim¹.

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSIS A RESTITUTIONIS OBLIGATIONE

EXCUSANTIBUS

60. Q. *Quænam sunt causæ a restitutione excusantes?*

R. Causæ a restitutione excusantes sex præcipuæ numerantur, quarum tres primæ temporaneæ sunt, quæ illis tantum

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 598.

durantibus; ceteræ vero sunt perpetuæ, quæ videlicet pro semper extinguunt obligationem restitutionis¹. Hisce autem versibus breviter exprimuntur:

*Sex, ne restituas, possunt permittere causæ;
Si impos, si damnum faceres, si cesseris æri,
Parcant, compensent, componat summa potestas.*

1. Est impotentia tum physica, tum moralis. *Physica*, cum nempe quis neque in re neque in spe habeat, unde restituere valeat; sane nemo potest ad impossibile obligari. *Moralis*, si nempe absque magna difficultate restitui non possit, hæc enim in moralibus idem est ac si esset omnino impossibilis. Qua in re commune est, debitorem non teneri ad restitutionem cum jactura bonorum superioris ordinis: ideo regulariter nemo restituere debet bona fortunæ cum detrimento suæ famæ, vel famam cum dispendio propriæ vitæ; quia tunc creditor non est rationabiliter invitus; nemo enim ita cum se ipso agi vellet.

Ergo a restitutione liberatur tum jactura *animæ suæ vel suorum*, v. g., periculum desperationis, vel ne filii dent operam latrociniis; tum jactura *vitæ*, v. g., si debitor per restitutionem pecuniæ esset periturus: cum in extrema necessitate liceat aliena retinere, sicuti licet eadem auferre. Item jactura *status juste acquisiti*, adeo ut nemo teneatur agrum vendere ut illico solvat, nec artifices instrumenta suæ artis, quibus necessaria acquirunt ad sui suorumque sustentationem, aut si ideo magnum damnum subeant. Idem est, si civis primarius debeat obire artem mechanicam sibi insuetam; vel si nobilis nequeat restituere, nisi se privet famulis, equis, armis, etc., si inde magnam admirationem excitet, adeo ut videatur suum statum mutare. Hoc enim in casu hi omnes restitutionem differre possunt, ut commune est cum Alasia, Concina, Croix, Lugo, Natali Alexandro, S. Antonino, etc.; nam pertinet ad bonum commune proprii status conservatio. Id tamen intelligitur, dummodo creditori æquale damnum

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 697 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca*, v. Restitutio, a. 5. An autem etiam ingressus in Religionem liberet a restitutione, vide *De Obligationibus religiosorum*.

non sit obventurum ex tali restitutionis omissione vel dilatione. Insuper ipsi tenerentur sibi subtrahere ex non absolute necessariis, studendo parcimoniæ, minuendo famulos, mensam, vestitum, pompas aliaque hujusmodi, abstinendo quoque ab iis quæ solam voluptatem sapiunt, uti sunt quidam ludi et itinera; neque enim decencia status consistit in indivisibili. Qui sane utitur parcimonia in industria sensim sine sensu plura congerere potest, quibus valeat sua debita solvere: unde non tam facile sunt audiendi, qui impotentiam adstruunt.

Diximus *juste acquisiti*: si enim status injuste acquisitus sit, puta rapinis, concussionibus, etc., etiam cum illius jactura restitui debet; quia non esset statum amittere, sed ad pristinum reverti. Excipe nisi id debitor agere debeat paulatim, ne bonum superius amittat, scilicet famam, si ea injusta status acquisitio ignoretur: inhumanum enim foret ac plurimos in baratrum desperationis pene conjiceret, si hujus rei non haberetur ratio¹.

2. Grave creditoris ipsius damnum, si prævideatur eidem obventurum in restitutionis hypothesi: v. g., si ille petat pecuniam mihi mutuo datam, ut ea utatur ad peccandum. Restitutio enim ordinatur ad utilitatem creditoris; ideoque non potest esse rationabiliter invitus, si debitor ei differat

¹ Si Confessarius vel Parochus debeat consilium infirmo tribuere, qui de rapinis occultis ditescerit, maxima prudentia opus habet in restitutionis modum suggerendo; rationem habere debet tum *familiæ* infirmi, si enim sint hæredes necessarij, nullimode coram lege præteriri possunt quoad legitimam saltem; tum *personarum*, si enim prudenter damnificatis fieri possit restitutio, ipsis certo facienda est; tum *locorum* ubi damnificatio facta est, si tamen prudenter possit, et inde verisimiliter speretur, quod res ad dominos sit perventura: quod tamen non ita facile est; tum *temporum*, si enim infausta sint, et timendum sit, ne si legata fiant pro aliquo beneficio vel Ecclesia, non habeantur rata, potius suggerat, ut legata præcipua in pauperum favore, pro hospitalibus et similibus, legaliter sint facta. Quod si non sit amplius modus testamenti condendi, curet, ut per suos hæredes plures celebrentur Missæ pluraque tribuantur pauperibus, etc., sic intendendo suis obligationibus, quoad potest, satisfacere. Quæ si locum habere non possint neque possit infirmus de præsentibus restituere vel quia periclitaretur ejus fama, satis erit si vere dispositus sit ad providendum, casu quo convalescerit.

restitutionem, quia certo prævidet ipsam hic et nunc ejus animæ graviter noxiam esse futuram¹. — Aliter tamen dicendum esset: *a.* si restitutionis denegatio parum serviat ad culpam impediendam; quia nempe aliam pecuniam obtinere potest; *b.* si damnum proportionate grave debitori imminet, nam charitas cum tanto incommodo non obligat: esset, v. g., si debitor ideo perderet creditoris amicitiam sibi valde necessariam; *c.* si creditor debitorem continuis petitionibus vexet: ex repetitis enim petitionibus multiplicantur peccata; *d.* si restitutio afferat creditori tantummodo temporale detrimentum, quod ipse licite potest subire: ut si petat solutionem pecuniæ mutuo concessæ, quam vult applicare convivio minime necessario. Ratio, quia non potest prohibere dominum aut creditorem graviter invitum, ne sua bona expendat in iis, in quibus satis licite potest.

Item excusat grave damnum Reipublicæ, quod quidem omnimode impediendum est; cum sit damnum publicum. Item damnum tertii: unde quando dominus re in tertii damnum est abusus, tu teneris ex justitia denegare illam, semper ac sine tuo graviori damno vel saltem æquali, id possis; nam ex una parte dominus non habet jus rem suam habendi in iis circumstantiis, ex alia autem parte tertius jus habet, ne quis in sui damnum cooperetur (*F*).

5. Cessio bonorum vel fori: est quando debitor debitis suis solvendis factus impar, bona omnia creditoribus cedit. Cessio duplex est: una *voluntaria*, quam omnes simul creditores libere acceptant; altera *judicialis*, quam lex ipsa debitori bonæ fidei ac infelici tribuit: hæc autem non transfert bonorum proprietatem in creditores, sed ipsis jus tribuit exigendi, ut ea vendantur, et interim ut ex illis fructus percipiant. Possunt quoque creditores reservare debitori administrationem sub datis regulis, moram concedere, partem remittere debitorum, ac alia præscribere in propriam utilitatem; modo non vergant in præjudicium hypothecarii aut privilegiati.

Manet tamen semper in omni casu obligatio præstandi in-

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 65, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 571 et 697.

tegram solutionem, si ad pinguiorem fortunam debitor venerit; imo et quoad potest laborandi, ut aliquando creditoribus suis satisfacere queat, qui si compositionem ineunt cum debitore, ideo est quia plus habere nequeunt: nec propterea renuntiare censentur juri ad perfectam solutionem¹. Imo leges ipsæ civiles judicialiter concedentes illam bonorum cessionem non intendunt creditores jure suo privare, sed tantum debitori privilegium impertiri, ne queat ob debita, quibus solvendis est impar, in carcerem detrudi; ideoque cessante impotentia, cessat etiam excusatio a restitutionis obligatione². Verumtamen si creditores omnino sponte et libere debitori compositionem faciendo, reliquum condonassent, ille ad ulteriorem solutionem non tenetur.

4. Remissio creditoris, dummodo libera sit et non extorta vi, metu aut fraude, neque aliqua lege prohibita (ut, v. g., prohibita est Canonicis condonatio amissarum distributionum facta absentibus); cum enim creditor sit dominus rei suæ, potest eam alteri donare, sicque remittere obligationem illius restituendæ, si sit oblata. Quæ remissio, etiamsi tacita sit, valet; nam *taciti et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio*. Hic juverit duos proferre articulos Codicis civilis; primus est: « La remise volontaire du titre original sous signature privée, par le créancier au débiteur, fait preuve de la libération tant en faveur du débiteur principal qu'en celle des débiteurs solidaires³. » Alter sic habet: « La remise de la chose donnée en nantissement ne suffit point pour faire présumer la remise de la dette⁴. »

Etiam certo præsumpta remissio liberat, ut satis commu-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 690.

² Cod. Ped., art. 1561. — C. A. comm. 467. — C. G. 1265. — C. S. 1518. — C. P. 1242. — C. M. 1520. « Quare videant (ait *Stapf*, § 72) quid æterno Judici aliquando responsuri sint, qui postquam fortunas suas dilapidarunt et exinde bonis suis cedere coacti sunt, creditores adhuc defraudare pergunt, et de omnibus prius cogitant, quam qua ratione tum Deo tum hominibus allatas injurias resarcire possint. »

³ Cod. Ped., art. 1875. — C. A. 1444. — C. G. 1282. — C. S. 1256. — C. P. 1264. — C. M. 1545.

⁴ Cod. Ped., art. 1577. — C. A. 467. — C. G. 1286. — C. S. 1240. — C. P. 1267. — C. M. 1545.

miter docent cum Angelico; *quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse*?¹ Hinc dominus ob levia furtula servum expellens censetur eidem remittere omnem obligationem, hoc ipso, quod nihil petat et eum expellat.

5. Compensatio. Alia autem est *impropria*; et est debiti recuperatio, in scio debitore, facta; evenit quando tantum auferimus de bonis debitoris, quantum satis est ad recuperandum quod nobis debitum est. Alia est *propria*, quæ nempe in contractibus obtinet, et definitur: *Debiti et crediti inter se invicem contributio*: unde duo debita debent intervenire, quæ invicem compensatione extinguantur. Nulli dubium est, quod ea licita sit; nam resolvitur in veram debiti solutionem: ino expedit; sic enim inanes circuli evitantur in rerum translatione. Et probatur lege civili², ubi statuitur compensationem ipso facto sub datis conditionibus, et nonnullis exceptis casibus, obtinere, in scis quoque debitoribus, usque ad concurrentem utriusque debiti quantitatem³.

6. Tandem compositio. Et est quando summus Pontifex suprema qua pollet auctoritate in commune fidelium bonum, ita rem componit ut unam partem debiti impendat in pias causas, aliam condonans ipsi debitori, supplendo tamen de thesauro ecclesiæ utilitatem quæ domino obveniret, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset⁴. Ut compositio legitima sit, requiritur: 1. ut bona incerta sint; si enim domini *aliqua* cognoscantur, non poterunt sine injuria directe absque eorum consensu expoliari; 2. ut adsit causa, secus esset illicita compositio in rebus ecclesiasticis, et in aliis bonis etiam invalida: quia in primo casu dispensat in lege pro-

¹ L. XLVI, § 7, ff. *De furtis*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 700. Neque obstat, quod ad Confessiones excipiendas, vel matrimonio assistendum requiratur de validitate facultas data præsens et positiva, nam in nostro casu non requiritur positiva domini voluntas, sed satis est quod positive non sit invitus. Hac tamen in re non sunt laxandæ habendæ, ne furtis via aperiantur, ut recte observat Alasia.

² Cod. Ped., art. 1381. — C. A. 1458. — C. G. 1289 et seqq. — C. S. 1245. — C. P. 1270. — C. M. 1348.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 521. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., * Compensatio.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 531.

pria, non item in secundo. Si tamen causa justa sit, semel facta compositio non revocatur, quamvis compareat dominus quia jam dominium legitime translatum fuit. Ita Lugo contra alios qui quidem volunt eo in casu debitorem teneri domino restituere illud in quo factus est ditior.

61. Hanc compositionem concedit vel ipsa sacra Pœnitentiaria, ut docet Benedictus XIV Bulla *Pastor bonus*: non tamen Episcopus; hæc enim facultas actus est supremæ potestatis.

62. *An (quæres) qui bonis cedit, possit aliquid sibi occulte retinere?* Attento jure naturali, cessor potest sibi aliquid retinere, si merito timeat ne pars sibi adsignanda insufficiens sit suis suorumque necessitatibus; et si iis omnino indigeat, potest judici interroganti respondere, se non habere, quod nempe teneatur cedere¹. Ceterum in hac re caute procedendum: quia plerumque bonorum cessores suas necessitates plus nimium exaggerant, et moderato victu qui ipsis convenit, nunquam contenti sunt (G).

DISPUTATIO SECUNDA DE RESTITUTIONE IN SPECIE

CAPUT PRIMUM

DE BONIS ANIMÆ ET CORPORIS²

63. Bona spiritualia seu animæ duplicis sunt generis: supernaturalia et naturalia. Supernaturalia quæ conducunt ad salutem æternam, uti gratia, sanctitas, virtutes, Sacramenta. Naturalia quæ referuntur ad ipsam naturam humanam ejusque perfectiones, uti usus rationis, ingenium, memoria, item scientiæ et artes.

Inter bona autem corporis hic præcipue numerantur *vita, membrorum integritas, virginitas, pudicitia ac castitas conjugalis; de*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 158.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 660 et seqq.

miter docent cum Angelico; *quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse*?¹ Hinc dominus ob levia furtula servum expellens censetur eidem remittere omnem obligationem, hoc ipso, quod nihil petat et eum expellat.

5. *Compensatio*. Alia autem est *impropria*; et est debiti recuperatio, in scio debitore, facta; evenit quando tantum auferimus de bonis debitoris, quantum satis est ad recuperandum quod nobis debitum est. Alia est *propria*, quæ nempe in contractibus obtinet, et definitur: *Debiti et crediti inter se invicem contributio*: unde duo debita debent intervenire, quæ invicem compensatione extinguantur. Nulli dubium est, quod ea licita sit; nam resolvitur in veram debiti solutionem: ino expedit; sic enim inanes circuli evitantur in rerum translatione. Et probatur lege civili², ubi statuitur compensationem ipso facto sub datis conditionibus, et nonnullis exceptis casibus, obtinere, in scis quoque debitoribus, usque ad concurrentem utriusque debiti quantitatem³.

6. Tandem compositio. Et est quando summus Pontifex suprema qua pollet auctoritate in commune fidelium bonum, ita rem componit ut unam partem debiti impendat in pias causas, aliam condonans ipsi debitori, supplendo tamen de thesauro ecclesiæ utilitatem quæ domino obveniret, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset⁴. Ut compositio legitima sit, requiritur: 1. ut bona incerta sint; si enim domini *aliqua* cognoscantur, non poterunt sine injuria directe absque eorum consensu expoliari; 2. ut adsit causa, secus esset illicita compositio in rebus ecclesiasticis, et in aliis bonis etiam invalida: quia in primo casu dispensat in lege pro-

¹ L. XLVI, § 7, ff. *De furtis*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 700. Neque obstat, quod ad Confessiones excipiendas, vel matrimonio assistendum requiratur de validitate facultas data præsens et positiva, nam in nostro casu non requiritur positiva domini voluntas, sed satis est quod positive non sit invitus. Hac tamen in re non sunt laxandæ habendæ, ne furtis via aperiantur, ut recte observat Alasia.

² Cod. Ped., art. 1381. — C. A. 1458. — C. G. 1289 et seqq. — C. S. 1245. — C. P. 1270. — C. M. 1348.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 521. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., * Compensatio.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 531.

pria, non item in secundo. Si tamen causa justa sit, semel facta compositio non revocatur, quamvis compareat dominus quia jam dominium legitime translatum fuit. Ita Lugo contra alios qui quidem volunt eo in casu debitorem teneri domino restituere illud in quo factus est ditior.

61. Hanc compositionem concedit vel ipsa sacra Pœnitentiaria, ut docet Benedictus XIV Bulla *Pastor bonus*: non tamen Episcopus; hæc enim facultas actus est supremæ potestatis.

62. *An (quæres) qui bonis cedit, possit aliquid sibi occulte retinere?* Attento jure naturali, cessor potest sibi aliquid retinere, si merito timeat ne pars sibi adsignanda insufficiens sit suis suorumque necessitatibus; et si iis omnino indigeat, potest judici interroganti respondere, se non habere, quod nempe teneatur cedere¹. Ceterum in hac re caute procedendum: quia plerumque bonorum cessores suas necessitates plus nimium exaggerant, et moderato victu qui ipsis convenit, nunquam contenti sunt (G).

DISPUTATIO SECUNDA DE RESTITUTIONE IN SPECIE

CAPUT PRIMUM

DE BONIS ANIMÆ ET CORPORIS²

63. Bona spiritualia seu animæ duplicis sunt generis: supernaturalia et naturalia. Supernaturalia quæ conducunt ad salutem æternam, uti gratia, sanctitas, virtutes, Sacramenta. Naturalia quæ referuntur ad ipsam naturam humanam ejusque perfectiones, uti usus rationis, ingenium, memoria, item scientiæ et artes.

Inter bona autem corporis hic præcipue numerantur *vita, membrorum integritas, virginitas, pudicitia ac castitas conjugalis; de*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 158.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 660 et seqq.

quibus omnibus ad rerum complementum est in præsentiariarum agendum, etsi non omnia restitutionis obligationem inducant.

64. Q. 1. Ad quid tenetur qui alium læsit in bonis supernaturalibus?

R. Qui alterum vi, fraude aut dolo læsit in bonis ordinis supernaturalis, v. g., illum inducendo ad peccatum, vel avocando a virtute, vel imbuendo falsa doctrina, tenetur ex justitia vim, fraudem et dolum auferre, eumque in pristinam libertatem restituere et omnia damna resarcire inde secuta; cum istorum fuerit causa positiva, efficax et injusta. Hinc qui pravos libros propagarunt (incautos falsis doctrinis imbuentes), eos quantum possunt colligere tenentur, reprobare, anathematizare, ne ulterius damnum afferant¹.

An autem sic ad malum inducens, ex justitia teneatur remove non tantum causas lapsus, sed etiam efficere, ut seductus convertatur, multi probabiliter affirmant: secus non satis damnum pravæ dispositionis injuste causatum repararet. Sed alii volunt ad id teneri tantum ex charitate, non ex justitia; quia sicut qui ligavit Caium et sic impedivit, quominus iret ad templum, satisfacit, si eum solvat, nec tenetur ex justitia curare, ut eat ad templum; ita et hic: cum enim cesset vis et fraus, et alter sciat se deceptum, potest si velit ipse se a peccato expedire, sicque censetur alteri remittere obligationem se convertendi: quod si non agat, tunc id sibi tantum imputabitur.

65. Qui vero sine vi, fraude, aut dolo, sed mero consilio ac suasionem alium ad peccatum induxit, ex justitia ad nihil tenetur erga inductum; nam qui peccat non seductus vi, fraude aut dolo, peccat sciens ac volens: scienti autem atque volenti, ex juris adagio, non fit injuria: et nullus spiritaliter moritur, dicente Angelico², nisi propria voluntate pec-

¹ Egregium reliquit exemplum Fénelon, qui licet bona fide errorem docuerit, Brevi Innocentii XII damnanti suum librum (*Maximes des Saints*) non solum statim et ex toto corde adhesit, laudabiliter se subjiciens; sed eundem librum solemniter reprobavit, diffusa exemplaria colligens. Utinam illum imitentur qui hisce nostris temporibus in foedissimos errores impererunt et eos ubique disseminarunt!

² 1, 2, q. 15, a. 8. — Diximus erga inductum; si enim ideo lædatur

cando. Sed tenetur ex charitate, quoad potest, conversionem seducti procurare; ipsa enim naturalis æquitas ex charitatis præcepto exigit, ut auctor mali illud reparare nitatur, suadendo saltem atque monendo. Hinc nemo non videt quanta sit obligatio corruptorum, qui alios ac præsertim juvenes incautos viam criminis edocent; cum difficile admodum sit ex eorum animis libidines deinceps propellere et extinguere.

66. Q. 2. Ad quid tenetur qui alium læsit in bonis naturalibus?

R. Qui alium læsit in bonis animæ naturalibus, iisdem subjacet obligationibus, quibus obnoxius est damnicator in bonis animæ supernaturalibus. Quapropter si quis alium veneno vel alio quovis medio efficaci privavit memoria, ingenio vel usu rationis, tenetur ex justitia reparare tum damnum personale, eum nempe a morbo curare quoad potest; tum omne damnum reale, quod inde secutum est, ut est amissio officii, lucri, etc. Item si quis officium vel conventionem suscepit alios edocendi artem, scientiam aut disciplinam aliquam, si munus tale suscepit absque sufficienti peritia, vel illud negligenter impleverit, non tantum pretium acceptum restituere tenebitur pro ratione suæ ignorantiae aut negligentiae; sed etiam damnum, quod intulit male docendo, reparare; ideo enim stipendium accipit, ut se utilem præbeat¹.

Corporis bona violantur per homicidium, mutilationem (vel aliud simile); item per stuprum et adulterium; sit ergo:

jus tertii, erga tertium utique adesset obligatio justitiæ, ut supra jam dictum est de alium impediendo a consecutione alicujus boni.

¹ Videant ergo quid supremo exactori sint responsuri tum illi, qui ad salebrosa officia non meritis propriis, sed aliorum pervenientes, non curant quid valeant humeri, bene vero quid velit ambitio; tum illi, qui vix uni officio sufficientes, at superbi vel avari plura suscipiant exsolvenda, sed omnibus deficient; et si desint laudatores, ipsi se apud suos inferiores, arrepta occasione, ad nauseam attollunt. O quam vera est sententia: *Non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimum, si vel unum te præponas!* De Imitat. Christi, l. I, c. VII.

Art. I. — De homicidio et mutilatione membrorum.

67. Q. 1. *Quid est homicidium, quotuplex et quale peccatum?*

R. ad 1 : Homicidium (sic dictum ab *hominis cæde*) defini potest : *Violenta occisio hominis facta ab homine*. Quæ enim fit a fera, proprie homicidium non dicitur, sed *pau-peries* in jure appellatur.

R. ad 2 : Homicidium aliud est casuale, aliud voluntarium, aliud qualificatum, aliud simplex. *Casuale* contingit præter hominis intentionem. — *Voluntarium* contingit ex ipsa hominis intentione, et dupliciter voluntarium esse potest : *directe*, cum quis data opera alium interimit : et *indirecte*, cum quis directe quidem alterius mortem non vult nec intendit; sed ponit ea, ex quibus potest prævidere mortem alterius secuturam. — *Qualificatum* est quod speciales circumstantias habet adnexas : tale est homicidium *proditorium*, quod sub specie amicitiae; *insidiosum*, quod ex insidiis; *assassinium*, quod ab aliis mercede conductis; *latrocinium*, quod spoliis gratia patrat. Sed maxime venit cædes parentum, prolis, conjugis, principis ac personæ sacræ, quæ singularem qualificationem et atrocitatem involvit. Quod hisce circumstantiis non est vestitum, dicitur *homicidium simplex*.

R. ad 3 : Injusta hominis occisio vetita est illo Decalogi præcepto : *Non occides*. Est autem peccatum gravissimum *in Deum*, qui solus est mortis et vitæ dominus; *in rempublicam*, cum sua parte privetur; *in occisum*, cum ei bonum adimatur temporale maximum, irreparabile ac aliorum honorum fundamentum. Hinc jure omni punitur; *jure Canonico* lata est irregularitas; et in mandantes occidi Christianum, per assassinos tamen, excommunicatio ipso facto incurrenda; item depositio ab omni dignitate, officio et beneficio¹. Quæ

¹ C. *Pro humanis*, de hom. in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 565. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o *Assassinium*, *Grassator*, *Homicidium*, *Restitutio*, art. 2.

tamen pœnæ probabilius non incurruntur ab ipsis assassinis, quia lex loquitur tantum de assassinis mandantibus, et eos occultantibus ac defendentibus; at pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum. Item amittitur localis immunitas, apud nos, si *culpabile* homicidium a majore annis 20 sit commissum, vel *atrox* a minori¹. — *Jure Diæcesano* est generatim reservatio, si agatur de homicidio directe voluntario sive per se sive per alium patrato. *Jure municipali* seu civili tandem fere ubique est ultimum supplicium.

68. Q. 2. *Quid sentiendum de homicidio casuali?*

R. Duplici modo contingere potest homicidium casuale : dando operam rei vel licitæ vel illicitæ. Utrumque sic resolvit Angelicus : *Secundum jura si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur*². Ubi animadvertendum ad homicidii imputationem non sufficere, quod opus sit illicitum per se; sed insuper requiri, quod sit præcise illicitum et vetitum relate ad homicidium. Ad hoc vero in foro saltem conscientiae, omissis diversis sententiis, dicimus :

1. Si opus sit quidem illicitum, sed minime de se periculosum, non imputabitur homicidium, si ex illo opere sequatur : uti si fœmina, fœtu ex crimine concepto, in ejus partu moriatur; quia cum effectus non necessario procedat a causa, non potest esse in prævisione; — 2. si opus illicitum quidem sit et simul etiam periculosum, sed ita raro, ut non soleat mors, nisi valde raro inde evenire, non erit imputandum homicidium, casu quo sequatur, si diligentia adhibeatur ad illud vitandum. Sic excusabitur ab homicidio Clericus, qui venationi sibi prohibitæ vacans hominem casu interficiat, modo diligentiam adhibuerit, ne homini mortem inferret : ratio quia res est resolvenda ex communiter contingentibus; — 3. si opus illud sit illicitum simul et tam frequenter peri-

¹ V. *Alasia*, *Commentaria*, etc., t. I : De ecclesiastica immunitate.

² 2, q. 64, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 598.

culosum, ut ex eo communiter soleat mors evenire, tunc homicidium certe imputabitur, quæcumque ad illud vitandum diligentia adhibeatur; est enim omnino voluntarium in causa: ut si quis funda lapides in via publica projiciat.

69. Etiam notanda reservatio Synodi Novariensis sic concepta: *Suffocatio, imo et retentio infantis in lecto anno expleto minoris, ommissa cautione euniarum, vel alterius firmi repaguli* (pag. 520).

70. Q. 3. *Ad quid tenetur injustus occisor?*

R. Generatim loquendo injustus occisor tenetur compensare damna omnia realia in bonis fortunæ, si quæ ex ejus actione secuta sunt; fuit enim eorum causa injusta et efficax. Hinc compensare debet: — 1. expensas in medicinis peractas ad vulnus curandum; — 2. lucra, quæ ob occisionem cessaverint, non quidem in totum, ut si jam de facto ea fuissent acquisita (potuisset enim occisus multipliciter impediri): sed pro majori vel minori spe eadem acquirendi juxta viri prudentis æstimationem. Nihil vero tenetur restituere pro expensis funeris; cum ipsæ aliquando faciendæ essent: excipe si ob occasionem necis illatæ (v. g., extra patriam) oportuerit eas fieri majores; — 3. aliquas satisfactiones præstare pro anima occisi, si iste erat pro se probabiliter satisfactorius; bene enim tunc restitutio fieri potest in æquivalenti per orationes et eleemosynas¹.

Diximus *generatim loquendo*; nam claritatis gratia occisoris obligationes considerari possunt vel relate ad hæredes occisi; vel relate ad illius creditores; vel demum respectu alterius personæ, cui forte homicidium fuerit imputatum.

¹ Duplex est damnum, quod causat occisor: unum *naturale* seu *personale*, quod est ipsa amissio vitæ; alterum *temporale* seu *reale*, quod est amissio honorum fortunæ, quæ occisus, salvata vita, sperabat sibi comparanda. Primum occisor reparare non valet in æquivalenti; neque enim occisum resuscitare potest: unde est, quod de damno temporali præsens tantummodo instituitur questio. Porro communius docent, nihil esse deducendum pro labore, quem occisus ad lucrandum impendere debuisset; quia labor iste libenter et non tanquam pœna sustinetur. Sed excipiunt rationabiliter, si præsumatur, quod occisus libenti omnino animo aliquid daturus fuisset pro redemptione talis laboris, uti si ille esset arduus et onerosus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 659.

71. Q. 4. *Ad quid tenetur injustus homicida erga hæredes occisi?*

R. Hæredibus necessariis, nempe patri, matri, uxori, liberis, aliisque ascendentibus et descendantibus¹, tenetur injustus homicida compensare damnum emergens et lucrum cessans, non solum quod cum occisi vita cessavit; sed etiam quod cessavit post ejus mortem, juxta tempus quo defunctus verisimiliter fuisset vitam suam acturus, attentata ejus ætate, valetudine aliisque circumstantiis: quia isti unam personam constituunt cum occiso, atque in illius jura succedunt. Non tamen damnum est compensandum per integrum omnino (nam, ut bene advertit S. Thomas, illud poterat multipliciter impediri); sed satis est, quod compensetur juxta spem judicio prudentis æstimandam. — Si tamen uxor post occisum maritum æque commode nubat, aut si quis ea occasione sponte ipsi succurrat, huic non est opus aliquid restituere; tum quia reipsa non fuit damnificata, tum quia occisor ideo tenetur, quia succedit in mariti obligationem qui eam alere debuisset; at maritus non tenetur alere, si aliunde ei sit provisum. Idem quoque est dicendum de filiis aliisque hæredibus necessariis.

Loquendo autem de aliis hæredibus, qui necessarii non sunt, nec unam cum occiso personam constituunt, ut sunt fratres, ceterique consanguinei, tenetur quidem homicida ipsis restituere tum damnum jam bonis occisi irrogatum per occisionem, tum lucrum quod amisit ipse vulneratus tempore quo vixit; nam moriendo transmisit ipsa lege ad illos (aliis supra memoratis hæredibus deficientibus) omnia sua jura proprie dicta. Sed non tenetur in nostra sententia restituere lucrum quod cessavit a tempore mortis; istud enim non erat

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 631 et seqq. Hæredes in duplici sunt differentia: alii sunt *necessarii*, quos nempe testator non potest prætermittere, ut sunt ascendentes et descendentes; alii *non necessarii*, seu *liberi*, qui possunt prætermitti: succedunt tamen (hæredibus necessariis deficientibus) ab intestato, ut sunt fratres, ceterique consanguinei. Item huc veniunt ceteri, quos testator ex sola sua voluntate instituit. Est autem notandum, quod in præsentis questione uxor habetur ut hæres necessarius, etsi proprie non sit talis; quia vivens pertinet ad familiam mariti, et ideo necessario ab eo sustinenda.

debitum reale cum defuncto ipso contractum, sed personale, quod fundatur in industria futura personæ occisæ; in illud ergo nullum ipsis competit jus, cum non censeantur una persona cum defuncto. — Item probabilius ex Concina, Fillucio, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, etc., neque tenetur iis restituere ea, quæ occisus si viveret, erat probabiliter daturus, licet homicida hæc damna præviderit; quia semper remote, et per accidens sequeretur illud damnum, cum directe non intendatur.

72. Quid (dices) si læsus omnia ante mortem lædenti remisit? Si remisit dumtaxat injuriam (ut plurimum fieri solet), adhuc viget obligatio compensandi damna; nam hæc duo non sunt necessario connexa, injuriam dimittere, pacem concedere, et condonare damna: primum præcipit charitas; secundum pietas aliquando prohibet, ut si læsus relinquat indigentes propinquos¹. Quod si læsus revera remisit omnia damna inde obvenientia, lædens ad nihil tenetur erga hæredes; isti enim quidquid acquirunt, non acquirunt, nisi per ipsam voluntatem defuncti.

Nec dicas patrem teneri alere uxorem et filios, ideo saltem condonationem restitutionis quoad illos invalidam esse. Etenim pater ex pietate tantum, non ex justitia alere tenetur familiam suam; sicut enim si pater ante mortem omnia sua bona dissipet, ita ut nihil supersit ad familiam alendam, valide dissipat, etsi illicite; ita valide quoque remittit occisori obligationem restituendi, quamvis illicite. Alasia.

73. Q. 5. Quid de creditoribus, si ex homicidio fuerint damnificati?

R. Alii cum Laymano semper obligant injustum homicidam ad restituendum creditoribus occisi, quia creditores jus habebant in debitorem, et eo per iniquam mortem expoliati sunt: qui ergo est causa mortis, ipse est causa damni. Alii cum Sanchez eum obligant tantum casu, quo lædens damnum creditorum præviderit; quia tunc damnum est directe volitum. Verum Billuart, Lessius, Salmanticenses, Sylvius et Viva

¹ Neque etiam resarciuntur damna per mortem lædentis; hæc enim datur ad solam publicæ justitiæ satisfactionem. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 650 et 705.

probabilius docent homicidam ad nihil teneri erga creditores occisi, quamvis ipsorum damna præviderit, modo tamen ea non intenderit: tunc enim eorum damna censentur evenisse per accidens: nam creditores jus quidem habent in personam debitoris, ut de illius industria solutionem obtineant; sed nullum habent jus in actiones, quæ nonnisi mediate et præter intentionem sunt damnificativæ. Adde: in ipso foro externo nunquam datur actio creditoribus occisi contra homicidam, sed tantummodo hæredibus; at perpetua fori externi praxis legitima est juris naturalis interpretatio¹.

Diximus modo tamen ea (damna) non intenderit; qui enim hominem interficit animo nocendi directe creditoribus vel aliis, recte dicunt communius et probabilius cum Concina, ipsum peccare contra justitiam erga illos; cum unusquisque jus habeat, ne vi vel fraude impediatur a consecutione justi boni. Tunc scilicet homicida opere suo injusto, externo et efficaci lædit creditores, et ideo tenetur eisdem restituere.

74. Q. 6. Quid si homicidium imputetur innocenti?

R. Vel hoc homicida non prævidit, vel ipse revera prævidit.

Si 1, ad nihil tenetur erga innocentem si damnetur; nam damnum pendet ab aliorum judicio, quod oritur ex diversis rerum vel personarum vel loci vel temporis circumstantiis. Si 2, Croix, Lessius, Lopez, Sanchez, Sotus, etc., probabilius docent occisorem adhuc ad nihil teneri: semper enim verum est, non censi alteri injuriosam actionem illam, ex qua provenit quidem damnum; sed non per se, bene vero ex errore aliorum, licet error iste prævideatur. Hoc nempe homicidium est causa occasionalis imputationis; non vero efficiens causa damni, in quod proxime et directe non influit. [®]

Quid (addes) si talis error non solum prævideatur, sed

¹ Idem affirmandum de iis, quos forte occisus alebat bonis suis, etiamsi horum quoque damnum homicida præviderit, modo non intenderit; eadem enim semper ratio currit, nempe pauper nullum commutativæ justitiæ jus habet, ut ego non occidam ejus benefactorem. Unde tunc cum neque directe ejus læsionem intendam, neque mea actio directe in eam influat, ea læsio nonnisi uti accessoria ex homicidio sequitur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 655 et seqq.

etiam intendatur? Lugo affirmat tunc adesse obligationem restitutionis in homicida; quia licet ejus actio sit causa remota imputationis, ejus tamen prava intentio nocendi efficit, ut sit causa moralis illius damni. Verum adhuc probabilius putamus cum Croix, Lessio, Sanchez, etc., etiam in hoc casu homicidam nulla restitutionis obligatione teneri; nam quotiescumque actio ex se, vel ex suis circumstantiis non causat proxime et immediate imputationem, intentio prava juxta doctrinam communiorem non efficit ut sit injustum illud opus, quod de se externe et graviter non est injustum respectu tertii. Nempe imputatio homicidii in talem personam non necessario sequitur, adeo ut homicida esse non possit persona alia; illa ergo imputatio cum tali homicidio patrato non nisi remote et per accidens jungitur. Sane tota imputatio pendet ex judicio aliorum putantium ob extrinsecas ac labiles conjecturas ipsum fuisse homicidam: unde si damnum evenit, est remote et per accidens. Excipe si ideo præcise quid ipse faciat, unde alii naturaliter id colligant: v. g., si vestibus alterius indutus occidas.

Dices: Sicut si quis occidens hominem, ut noceat fratribus, aut aliis quibus homo ille beneficiebat, licet ex liberalitate, sed ideo ut non amplius beneficiat, tenetur, eis damnum restituere; sic etiam tenetur qui alium occidit, ut alteri homicidium imputetur. R. Casus difert; nam ibi damnum fratrum aut aliorum per se necessario et proxime est conjunctum cum morte benefactoris; at in casu presenti damnum ejus cui imputatur homicidium, non est necessario per se et immediate conjunctum cum morte occisi, sed remote et mere per accidens; cum proprie pendeat ex judicio aliorum putantium ob extrinsecas conjecturas, ipsum fuisse homicidam. Unde hic homicidium est tantum occasio imputationis; non vero causa, quia non influit proxime et directe¹.

Et ex his resolvitur illa questio an scilicet qui militia cum sint conscripti, se impotentes reddunt mutilatione, vel mendaciis aut fraudibus magistratus decipiunt, et sic alii in ipsorum locum queruntur, teneantur istis restituere? Videtur probabiliter negandum: licet enim peccent tam in seipsos se mutilando sine causa, tum contra justitiam legalem gubernio non obediendo, ac ideo gravissime puniantur (lege civili) non tamen videntur teneri ad restitutionem, quia non efficaciter

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, I III, n. 636.

influunt in alios vocandos, sed solum in se eximendos; deceptio enim directe ac per se non inducit magistratus ad alios adscribendos. Neque si deprehendantur, ideo in ipsorum loco appellati dimittuntur, vel aliqua compensatio imponitur illis tribuenda¹. Aliter esset, si vel medicos vel magistratus corrumpent, ut ab eis invalidi declarentur; tunc certe tenerentur ad restitutionem.

75 Q. 7. An liceat occidere facinorosos bono publico noxiis?

R. Erat Waldensium doctrina, Reipublicæ non licere malefactores occidere: hanc moderni nonnulli, duce Beccaria, secuti sunt, qui sub mentito sanæ philanthropiæ prætextu, clamitant mortis pœnam bono societatis non esse necessariam, imo iniquam, ideoque non licere. Verum homines facinorosos publica auctoritate occidere fas esse demonstramus: 1. Ex veteri Testamento: *Maleficos non patieris vivere*, ait Dominus: *qui immolat Diis, occidetur*²; — 2. ex novo: *Qui in gladio occiderit, legimus in Apocalypsi, oportet eum gladio occidi*³; — 3. ex Jure Canonico, ubi dicitur non imputandum fidelibus, *qui ex officio aut tormenta exercent aut capitalem sententiam ferunt*⁴. Item ex Jure civili⁵; — 4. ex

¹ Hanc questionem sic resolvit Bouvier: « Qui ex industria fingunt infirmitates, aut eas graviore faciant, non statim damnandi sunt ad restitutionem; nam, 1^o raro decipiunt realiter membra consilii revisionis; 2^o saepe sunt in bona fide, et moniti ad restitutionem determinari non possent; 3^o contendi potest, juxta plures, eos contra justitiam commutativam non peccare: quia, seipsos solvendo per mendacia, non positive ac efficaciter inducunt magistratus ad alios in militiam adscribendos, non aliorum malum intendunt, sed tantum suam liberationem. Hæc posterior ratio quadam probabilitate non caret et inservire potest ad mitiorem decisionem imponendam, quando non alia suppetit via, nec amplius obtineri potest. — Nos autem, principiis strictis inhaerendo, arbitramur quod qui fraude et mendacio decipiunt magistratus, vel pecunia aut aliis viis iniquis eos corrumpunt, et obtinent ut contra legum justarum dispositiones, a militandi necessitate liberentur, atque alii pro seipsis appellentur, contra justitiam peccant; certum est enim alios juvenes jus strictum habere, ut sic non decipiantur nec corrumpantur magistratus. Ergo, etc. Defectu juvenum sic exemptionum eorumve parentum, qui injustam hujusmodi exemptionem obtinuerunt, totum damnum hinc illatum reparare debent magistratus corrupti, secundum regulas... pro cooperantibus ad actionem damnificativam. »

² Exod. xxii. — ³ Cap. xiii.

⁴ Decr., pars II^a, causa xxxiii, q. 4, can. xlv.

L. VI De offic. procons.

universali gentium consensu, siquidem penes omnes populos majora crimina poena mortis mulctari consueverunt ac consuescunt; — 5. ex ratione : nam pars noxia toti communitati licite abscindi potest ob conservationem totius, quum pars sit propter totum; sed quilibet homo est pars communitatis : ergo si communitati sit noxius, poterit licite occidi, ut bonum commune conservetur. Adde : nihil magis facinorosos avertit a criminibus, quam metus mortis; ergo si efficaciter societas vult suo bono providere, hoc remedio necessario uti debet.

Quod autem scelesti magis terrerentur, si scirent se perpetuo damnandos ad durissima, falsum est : « Les faits parlent ici avec une trop grande évidence, car combien n'y a-t-il pas de condamnés à mort qui demandent comme une grâce la commutation de leur peine aux travaux forcés ! La raison est claire : celui qui vit peut espérer sa grâce de mille manières; il pense à la fuite, à une révolution; il espère un adoucissement et un profit par son travail. Ensuite que sont les galères pour la plus grande partie des galériens ? Entraînés souvent au crime par la misère, ils ont un nom déjà infâme par mille scélératesses, des bras endurcis au travail, et une vie déjà habituée aux fatigues¹. »

Diximus *publica auctoritate*; ait enim Doctor Angelicus : *Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ*². Nominem autem *publicæ auctoritatis*, non quæcumque intelligitur; sed quæ societati politicæ completæ nulli subordinatæ præest, ut Rex in Regno; nam supremum jus non nisi supremæ auctoritati convenit. Hinc qui præsumunt aliis communitatibus etsi numerosis, sibi subjectos corrigere possunt pœnis ordinariis præservativis; non tamen pure vindicativis atque exterminantibus. Quamquam ipsa suprema auctoritas ordinem justitiam servare debet; cum agatur de re gravissima ipsi a Deo communicata ob solam necessitatem : hinc non potest lex facultatem tribuere marito, ut uxorem in adulterio com-

¹ Taparelli, *Saggio teoretico*, ecc., § 837, ecc. — ² 2, 2, q. 64, a. 5.

prehensam occidat; tum quia ex juris regula : *Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice potest impediri*; tum quia nisi urgeat gravis necessitas, nemo est inauditus damnandus, aut impænitens occidendus. Unde damnata est ab Alexandro VII hæc n. 19 propositio : *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Non tamen negandum hanc occisionem remissius puniri; quia hæc plerumque censetur committi ob vehementem iræ motum, qui voluntarium minuit ac suo veluti impetu hominem aliquatenus vincit (H).

Dicta de homicidio, cum proportionem intelligenda sunt de injusta mutilatione ac vulnere, de qua agit etiam Codex pœnalis. Ad homicidium pertinent etiam *bellum, suicidium, duellum, abortus* atque *aggressoris occisio*.

§ I. — De bello¹.

76. Q. 1. *Quid est bellum et an licitum?*

R. ad 1 : Bellum definitur *congressio vi et armis inter Principes, vel Respublicas superiorem minime agnoscentes* : ex quo patet discrimen belli a rebellionem, seditionem et duello. — Duplex est bellum : aliud *defensivum* ad propulsandam injuriam; aliud *offensivum* ad obtinendam satisfactionem pro injuria.

R. ad 2 : Bellum est licitum, si justæ adsint conditiones : nonne Abraham in Lege naturæ bellum gessit, et ei a bello redeunti benedixit Melchisedech Sacerdos Dei? Nonne in Lege scripta Deus ipse bellum probavit? Nonne Christus in Lege nova laudavit Centurionem, qui erat militiæ addictus²? Adde :

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 404 et seqq. Bellum sic dictum est vel per *antiphrasim*, quia nihil habet belli seu amoris; vel a *bellua*, quia uti immanis bellua homines devorat; vel potius a Belo rege Assyriorum (quem Genesis appellat Nemrod), qui primus ferreum gladium ad finium suorum defensionem invexit. — V. Christianus Lupus, t. XI, *De antiqua disciplina christianæ militiæ*.

² Gen. xiv; Exod. xvii et Math. viii. — V. Taparelli, *Saggio*, ecc., §§ 1317 et seqq. — *Civ. Cattolica*, ser. IV, t. VII : *La tregua di Dio e la pace fl-lanropica*. — Ferraris, *Bibl.*, etc., vº Tregua.

tenetur procul dubio Princeps subditorum suorum vitam atque substantias tueri ac Regni jura curare; atqui id sæpe non potest peragere, nisi bellum gerendo; cum altiora desint tribunalia, ad quæ recurrere queat: nec ita facile ac semper aliis Principibus quæstionem remittere valeat. Conditiones sunt:

1. Ut geratur auctoritate nullum agnoscentis Superiorem: privatus enim ad propulsandam injuriam in promptu habet judicia.

2. Ut adsit causa justa et gravis, v. g., necessitas boni communis vel quietis publicæ conservandæ, coercitio perduellium, defensio innocentium, etc.; cum enim e bello tot mala et corpori et animæ proveniant, illud non nisi in extremis tentandum est: unde Augustinus relatus in jure ait: *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas*¹. Qui propterea bellum injustum indicunt, tenentur in solidum de damno per exercitum illato, cum sint causæ principales. Milites autem in bello evidenter injusto tenentur singuli de damnis quæ per actionem privatam (id est non qua milites) privatis intulerint; et singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, et unus etiam in defectu alterius; cum omnes agant simul conspirando; nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint.

3. Ut recta habeatur intentio, id est non odium, non amor partium, non invidia vel inanis gloriæ cupiditas imperium dilatandi.

Si adsint duæ priores conditiones, et desit tertia, ex bello non oritur obligatio restitutionis, quia adest causa, licet deficiat in modo.

77. Q. 2. *Quænam speciales obligationes Principum, Ducum quoad milites, et quæ obligationes ipsorum militum?*

R. ad 1: Principes et Duces tenentur sub gravi curare, ut milites præcepta Dei, atque Ecclesiæ (quoad potest) obser-

¹ Ideo etiam quia sine maximis expensis bellum sustineri non potest; quare ultra modum gravandi sunt subditi. Hac in re celebris est Bulla Clericis laicos Bonifacii VIII. anno 1296, et alia *Ineffabilis*, ubi excommunicantur qui ideo Clericos et Ecclesiæ bona taxa gravant, ut erat in usu et adhuc est.

vent: sunt enim sub eorum tutela ac cura: neque qua milites desinunt esse christiani: ideo et commodum et Sacerdotes ad id necessarios illis adsignare debent.

Item omnimode præcavere, ne populis scandalo sint vel damno; ideo debent illis stipendia persolvere, alioquin teneantur ipsi compensare damna et militibus, et etiam aliis, qui a militibus damna acceperunt; cum horum omnium tunc sint causa injusta et efficaciter movens.

Qua in re dicimus: peccant duces, tribuni, centuriones aliique officiales et tenentur ad restitutionem: 1. si pauciores habeant milites, quam exhibent in stipendiorum solutione, ut cum a commissariis lustrantur copiæ, ipsi non milites sub habitu militari vel bis eundem militem præsentent; 2. quando commeatus curæ præfecti dant militibus cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriuntur; 3. quando in transitu per regiones accipiunt pecunias a variis pagis, ne hic vel illic pernoscant: vel quando uni militi dant plures sygraphas ad domos diversas: vel stipendium militibus debitum subtrahunt, et permittunt, ut isti ab innocentibus extorqueant; nam tunc ipsi ad hoc ansam darent.

R. ad 2: Milites in tria maxime peccata impingunt, a quibus fortiter arcendi sunt: in *luxuriam*, tanquam gens militaris nata sit ad carnis petulantiam; in *blasphemias*, quasi non sit virilis animi qui sine imprecatione loquitur; in *furtis*, quasi omnia liceant arma ferentibus. Hac in re contra justitiam peccant et tenentur ad restitutionem milites, ut ait Gousset¹: « 1° Lorsque, sous prétexte que leur paye n'est pas suffisante, ils cherchent à se dédommager sur les citoyens, en prenant le bien d'autrui; ils n'ont aucun droit sur les biens des particuliers, qui payent à l'État ce qui est nécessaire pour l'entretien des troupes; 2° lorsque, étant logés chez les bourgeois, ils emploient la violence ou les menaces pour se faire donner plus qu'il ne leur est dû; 3° lorsqu'ils vendent les armes ou autres choses qu'ils tiennent du gouvernement, et dont ils n'ont que l'usage; 4° lorsque, de leur autorité privée, ils prennent des chevaux ou des voitures aux

¹ *Theol. Mor.*, t. I, n. 1005.

particuliers pour conduire leurs bagages : quand les troupes ont besoin de voitures pour leurs bagages, elles peuvent les demander sur la réquisition du chef qui les commande; mais on doit, à cet égard, se conformer aux réglemens; 5^e lorsque, par une négligence gravement coupable ou par lâcheté, ils laissent faire à l'ennemi des incursions dans le pays, et causer des dommages aux particuliers. »

78. Quid agere debent milites dubitantes de justitia belli?

R. Vel agitur de militibus subditis ei qui bellum indixit; vel de non subditis, qui nempe sponte alieno principi ad bellandum sese offerunt, quin ullum contractum inierint; vel agitur de militibus ab alieno principe conductis, inito contractu ac pacta mercede.

Si 1, tenentur illico milites obedire principi jubenti, donec de belli injustitia certi sint; subditi enim debent obedire suis superioribus ubi peccatum non est certum. Dein in proposito casu bellum præsumere debent justum, nec tenentur inquirere de ejus justitia (quamdiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium); nam certum est et possidet jus superioris; *ita ut*, dicente Augustino, *fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi*¹. Hac ratione carnifex mercede conductus ad justitiam ex officio exequendam, latam a judice sententiam juste exequitur, etsi de ejus justitia dubitet: ad ipsum enim non spectat discutere; sed in dubio tenetur parere legitimæ auctoritati, cui se obstrinxit.

Si 2, voluntarii nequeunt militiæ nomen dare, nisi prius certi de belli justitia; cum enim agatur de damno tertii gravissimo, honorum videlicet et vitæ, nequeunt illud inferre, antequam constet de justitia rei, cum aliunde nulla cogat et excuset necessitas obediendi.

Si 3, vel jam illi milites erant conducti ante bellum indictum, et idem dicendum ac de subditis; nam conductione subditi facti sunt. Vel post, et valet quod de non subditis dictum est; nam antequam quis ad aliquod opus manum admoveat, aut aliquo officio voluntarie mancipetur, oportet ut de illius honestate et justitia sit securus.

¹ Lib. XXII, *Contra Faustum*, c. LXXV.

79. Miles autem intelligens a viro prudenti bellum, in quo est, esse certo injustum, non potest absolvi, nisi velit quam primum potest, curare dimissionem; cum non liceat cooperari in malo cognito, manifesto et gravissimo; nam tot vitas obruncat. Interim tamen, ait Sporer, *quandiu ex bello sine gravi incommodo et periculo recedere nequeunt; aut a principe subditi in bello manifeste injusto coguntur bellare, excusantur quidem a culpa, et præstare tenentur quæ juste præstari possunt, ut vigiliis servare, stationem tenere, fodere, etc.; abstinere autem debent, quantum sine periculo æquali possunt, ab omni injusto damno ex injustitia belli proveniente, v. g. occisione, incendio, spoliatione, explodendo in aera; ita nimirum, ut totam partem defensivam sui principis teneant, non autem offensivam*¹.

80. Quid (addes) de militibus qui castra deserunt? Tenentur desertores sub gravi ad castra redire ex obedientia, seu egali justitia (imo si a Principe stipendio conducti sunt et contractu, ad id tenentur etiam ex justitia commutativa). Excipe nisi bellum sit injustum, vel si media necessaria ad vitam, ad salutem non haberent, vel si redeundo gravissimis pœnis essent plectendi; nemo enim videtur ultro teneri iisdem se subijcere.

Qui vero se locaverunt pro aliis, et dein militiam sine causa deseruerunt, tenentur insuper pretium acceptum restituere ei, a quo acceperunt; quia illud non fuit ipsis tributum, nisi sub onere militiæ.

81. Quid de illis, qui militiæ se subtrahunt exemptionem sine veris causis obtinendo? Qui pecunia, seductione aut protectione magistratus vel medicos corrumpunt, ad restitutionem tenentur, si non uti damnificatores, saltem simul cum corruptis, ut injustitiæ cooperatores; nam morali efficacia movent et directe publicos officiales ad inferendum damnum alteri, ei videlicet qui in eorum loco ad militiam vocatus fuit. Qui vero mendaciis, fraudibus, se mutilando, magistratus decipiunt et legem, an obligentur ad restitutionem, disputant: alii affirmant, quia juvenes exempti jus strictum habent, ne talia media in ipsorum præjudicium adhibeantur, cum ideo ipsi teneantur militare. Alii vero negant teneri sic

¹ Plura vid. *De cooperatione*.

decipientes ad restitutionem : etsi enim peccent tum in seipsum se mutilando sine causa, tum contra justitiam legalem gubernio non obediendo, ac ideo gravissime puniantur¹; non tamen videntur teneri ad restitutionem, quia non efficaciter influunt in alios vocandos, sed solum in se eximendos : deceptio enim directe ac per se non inducit magistratus ad alios adscribendos. Neque si deprehenduntur, ideo in ipsorum loco appellati dimittuntur, vel aliqua compensatio imponitur illis tribuenda.

Quidquid sit, in praxi non præstat valde urgere juvenes, qui hisce deceptionibus a militia se liberant; plerique enim ignorant, se committere injustitiam, et raro moniti obtemperarent; relinquuntur ergo in illorum bona fide. *Gousset, Gury, etc. (I).*

§ III. — De suicidio, duello et abortu.

82. Q. 1. An suicidium sit licitum?

R. Absque divina auctoritate nefas est seipsum directe interficere : est contra Stoicos, quorum errorem plures ex modernis pseudophilosophis instaurare conati sunt, præsertim Montesquieu, Rousseau, Voltaire, etc. Id sane repugnat charitati erga seipsum, et est graviter injuriosum tam Deo, qui solus est directus et absolutus dominus vitæ humanæ; quam societati et Reipublicæ, quæ injuste per suicidium privatur sua parte seu cive : ita Angelicus². Hoc prohibetur generali illo præcepto : *Non occides. Neque enim, ait Augustinus, qui se occidit, aliud quam hominem occidit*³; et hæresi 69 inter hæreticos recenset Circumcelliones, qui insana feritate se ipsos occidebant, et alios ad id inducebant. Id ipsum erudite probat more suo cl. Episcopus Scotti in suis Theorematis.

¹ Alii legem militiæ legi tributorum æquiparant et pari modo quæstionem resolvunt; si enim tributa sunt solvenda ad sustinenda onera regni, milites sunt dandi ad illud tuendum. Est quasi contractus : societas milites tribuit et princeps jura nostra tuetur; porro qui commoda sentit et incommoda sustinere debet : qui autem inservire debeat, illum non personarum accipio, sed sors designat; est ergo obligatio justitiæ.

² 2, 2, q. 74, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 366 et seqq.

³ l. I, *De Civ. Dei*, l. II, c. xx.

Ipsi gentiles hoc scelus detestati sunt; audiatur Tullius : *Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo desuisse videamini*¹.

Hinc lex ecclesiastica privat suicidam sacra sepultura ex Rituali Romano : quæ tamen pœna eos non complectitur, qui furore, amentia aut phantasia per gravissimam animæ tristitiam turbati, vitam sibi eripuerunt, vel qui ante mortem doluerunt (J).

Quid (dices) si de culpabili suicidio dubitetur? Si constet se quempiam occidisse, sed dubium sit utrum deliberate, an ex animo turbato id egerit et sibi mortem intulerit, in praxi sepultura Ecclesiastica privatur; nam opus externum semper præsumitur voluntarie positum, nisi ex circumstantiis contrarium colligi possit. Si vero dubitetur a seipso an ab alio fuerit occisus, nequit eadem privari; neque enim crimen tam atrox et contra naturam præsumitur, nisi adsint indicia manifestissima.

83. Q. 2. An liceat mutilare seipsum?

R. Negative : nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium : idque etiamsi fiat ad conservandam castitatem et sedandas tentationes. Solus enim Deus est vitæ humanæ dominus absolutus et directus; homo vero non habet, nisi convenientem usum. Diximus : 1. nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium; cum enim pars ordinetur ad totum corpus conservandum, tali urgente necessitate, poterit utique membrum aliquod resecari. Hinc licet probabilius sibi abscindere manum catena ligatam ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferen-

¹ *De Republ.*, l. VI. — V. Taparelli, *Saggio teoretico*, n. 270, ubi refert illud Socratis in Phædone : « Nous sommes placés par Dieu comme des sentinelles; or la sentinelle ne peut quitter son poste sans la permission de son chef. » Qui vi tormentorum delictum capitale falso confitetur, non est causa suæ mortis, etsi extra torturam id ratificet metu novæ torture quæ sit excedens; confessio enim illa non habet omnem voluntarietatem (Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 205). Attamen tortura, quæ olim erat in usu ad subsidium probationis, quando tamen delicti habebantur sufficientia indicia, hodie non amplius adhiberi potest.

dam : ita Billuart, Croix, Lugo contra alios; 2. *etiamsi fiat ad conservandam castitatem et tentationes superandas*; quia hoc remedium non est absolute necessarium, cum sint alia media. Imo neque utile, uti docent Basilius, Chrysostomus et Augustinus, cum potius tentatio fiat vividior, et facilis desperationi via aperiatur; privatio enim generat appetitum. Aliunde *peccatum subjacet voluntati*, ut ait Angelicus¹, non corporis membro.

Ex quo patet, quid sentiendum de puerorum eviratione ad vocem conservandam, licet consentiant pueri et absit periculum mortis; id non pauci permittunt ex consuetudine, et bono quod pueris obvenit. *Sed vicit apud plerosque*, ait Benedictus XIV, *et facta est communior opinio negans*²; nam conservatio vocis non est bonum tanti momenti neque conducens ad totius conservationem, ut liceat quod tantopere natura reprobatur.

84. Q. 3. *Quibus mediis tenetur homo vitam sibi servare?*

R. Tenetur mediis ordinariis : qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media quæ sunt facilia; secus idem esset ac sibi moraliter mortem inferre³. Sed non tenetur ad ex-

¹ 2, 2, q. 65. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 374; et *Homo Apost.*, tr. VIII, nn. 1 et seqq. Simul ab experientia constat, ait Stapf, § 282, per talem injuriam animum ipsum effeminari, atque totam indolem hominis non parum corrumpi. Imo natura ipsa conspectum talium quodammodo horrere solet. Exinde etiam Ecclesia eunuchos irregulares declarat.

² *De Syn. Dioc.*, l. XI, c. vii. Culpandi qui sevitiem in se exerceant, ut ab officiis solvantur, v. g., ne adscribantur militia, vel ut mutilato corpore largiorem stipem accipiant, etc.

³ Utrum autem necessaria ad vitæ conservationem remedia negligere dicendi sint qui nimis fidenter in locis difficillimis et arduis iter faciunt, venantur, natant, herbas colligunt, ligna vel frondes cadunt, arbores pertica concutiunt atque flagellant, tecta reficiunt, non ita facile est definire; usus enim, indoles, cautela ac cetera hujusmodi efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit, aut non nisi remotum. Item dicendum de excursoribus, aeronautis ac circulatoribus, qui miros saltus ac difficillima tentamina agunt. Item est tum de illis qui, validis ventis insufflantibus, aquis se committunt audacter : tum de illis qui ingentia pondera sustentant, atque humeris ferunt; tum de illis qui caulam ferarum ingressi, fidenter cum illis jocantur; tum de illis qui desuper tenso fune, de pinnaculo ad infimum, de infimo ad summum ambulant, etc. Quidquid sit, acriter sane sunt exprobrandi temerarii illi ausus, ac illa stolidi periculorum aditio, quæ vel ex vana sui

traordinaria, nempe quoties remedium durissimum est, vel pudori valde repugnans : nisi ejus vita bono communi sit omnino conducens. Hinc non tenetur quis abscissione cruris, vel alia ejusdem generis operatione dolores nimis atroces afferente, vitam sibi servare; cum id sit extra communes vires positum. Eo in casu in communi æstimatione censetur justa de causa mortem tantummodo permittere. Hinc puella cancro aliove morbo in verendis et secretis partibus laborans non tenetur admittere inspectionem ac curationem a medicis aut chirurgis, quamvis licite possit; ratio quia plerumque ab hoc abhorrent feminæ non minus quam ab ipsa morte.

Quid (quæres) de vigiliis, macerationibus, aliisque pœnis, quibus indulgere solent christianæ perfectionis studiosi? Pœnitentiæ istæ licent, si exercentur consilio prudentis Prælati vel Confessorii, et justa de causa, hoc est ad corpus in servitutem animæ redigendum, quamvis per aliquos annos vita brevior efficiatur : *et in hoc vera est Theologorum sententia, ea (opera) licite et cum merito fieri posse*, ut loquitur Benedictus XIV¹. Si enim licet fabris ferraris vitam sibi minuere laborando quotidie corpore prope ignem, a quo non potest non notabiliter consummari humidum illud naturale, quo tam indiget vita hominis : si licet studiosis sanitatem sibi labefactare ad scientias addiscendas; si licet militibus exponere vitam tot ærumnis atque mortis etiam periculis, cur non licebit religiosæ perfectionis amatoribus austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigere valeant?

Neque dici potest, qui ita agunt, se ipsos directe occidere : nam carnis tantum rebellionem directe coercent et effrænam illius concupiscentiam, permittentes indirecte, ut ob justum finem hujusmodi vita sua aliquantisper imminuat. Aliud profecto est procurare directe vitæ imminutionem vel

ostentationem, vel ex indigno quæstu, in juvenibus maxime, procedunt. Quibus fit, ut qui robustissimi erant, per illam improvidam agendi rationem nec sibi nec aliis amplius prodesse valeant. — V. Stapf, § 285. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 30, 32, 372. — It. tom. I, ubi *De obligationibus medicorum*.

¹ *De Canon. SS.*, l. III, c. xxix, n. 6.

mortem sibi positive inferre; et aliud illam permittere vel ejus subire periculum ob justam causam (K).

85. Q. 4. Quid est duellum?

R. Duellum (græca voce *monomachia* dictum) definitur: *Pugna inter duos vel paucos privata auctoritate et ex conducto inita, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.* Dicitur: 1. *pugna inter duos vel paucos*, ut distinguatur a bello, quod est multorum contra multos; 2. *privata auctoritate*; duellum enim initum auctoritate publica, quale fuit illud Horatorum cum Curiatis in historia profana, et illud Davidis cum gigante Golia in historia sacra, licitum est; cum paucorum pugna non minus licita sit, quam multorum: imo desideranda, quia paucorum cæde finitur bellum; 3. *ex conducto*, quod indicat locum ac tempus, sicque distinguitur a rixa, quæ non supponit pactum ullum præcedens; 4. *cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris*, ut excludantur pugnae ad gravem læsionem inferendam ineptæ, uti quæ fiunt virgis vel etiam levi baculo.

Duellum aliud *solemne* est, aliud *simplex*. Primum fit adhibita quadam speciali et designata forma circa tempus et locum, assumptis etiam testibus, sive ut vocant, *patrinis*; secundum absque dictis solemnitatibus exercetur. — Porro duellum sive solemne sive simplex, est prorsus illicitum, intrinsece malum et mortale: est contra Hobbesium aliosque pseudo-philosophos. Nemo sane potest seipsum privata auctoritate exponere periculo hominis occidendi vel mutilandi: jus enim necis non nisi Domini est, ac illius, qui Dei vice gerit. Duellum jus Dei usurpat, societatem offendit, justitiam lædit, rationem insultat, mores subvertit, ferocitatem fovet, leges omnes pessumdat, Religionem conculcat, animas perdit.

Quare Tridentinum fortiter ait: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur*¹. Et Alexander VII damnavit hanc sub n. 2 propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quod valet ex Benedicto XIV, licet aliunde officio

¹ Sess. xxv, c. xix de R. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 599.

et sustentatione privaretur; et licet certo sciat pugnam non esse secuturam, utpote ab alio impediendam; et licet id faciat ad bona conservanda¹: neque enim sunt facienda mala sub quacumque boni spe (L).

Si duellum suscipiatur ad veritatem indagandam, ad justitiam vel innocentiam detegendam, indueret etiam malitiam superstitionis.

86. *Quænam (quæres) sunt pænæ contra duellantes statuta?* Jure Ecclesiastico pænæ statuta in Concilio Tridentino, sunt: excommunicatio ipso facto incurrenda, dein Pontifici Maximo reservata ex Bulla *Illius vice* Clementis VIII (anno 1592), quam incurrunt etiam patrini: item duellum efficaciter consulentes, favorem eidem præstantes et locum exhibentes: item superiores, domini, magistratus qui illud permittunt, cum possint illud impedire: item spectatores, non quidem qui obiter transeundo casu ibi reperiuntur; sed qui de industria spectant et propria præsentia duellum quodammodo fovent et approbant, atque duellantes ipsos inflammant; 2. est proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia; hæc tamen pænæ non amplius viget; sicuti neque inderdictum papale emanatum a Clemente VIII in loca ubi duella a dominis permittuntur; 3. est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, si duellantes in conflictu ipso decedant, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa (imo *etiamsi extra locum conflictus Sacramentis muniti decesserint*, uti præcipit Benedictus XIV Bulla *Detestabilem*; quamquam hoc ultimum non sit in omnibus Diæcesibus receptum); 4. in Clericis adest etiam privatio beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda.

Advertendum autem est: 1. has pœnas incurri etiam ob duellum privatum seu sine patrinis, modo tamen agatur de duello stricte sumpto, id est *de conducto*, convento loco et tempore; non vero ob conflictum quemcumque improvisum, quamvis pugnantem ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum ex æquo perrexerint, prout declaravit S. Concilium

¹ Benedictus XIV, Bulla *Detestabilem* quinque propositiones damnavit circa duellum: has retulimus tomo I, ad appendicem primam. — V. Ferraris *Biblioth.*, vº Duellum.

Congregatio 5 oct. anno 1744; — 2. dictas pœnas, præter excommunicationem, non incurri, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis. Excommunicatio autem lata in provocantes et acceptantes duellum, incurritur, *etiam pugna non secuta*, ex citato Pontifice; 3. nisi duellum sit notorium aut deductum ad forum contentiosum, bene possunt episcopi absolvere ab excommunicatione ex capite *Liceat* (in Tridentino). Regulares vero extra Urbem et intra Italiam non possunt vi privilegiorum absolvere; possunt tamen in Urbe Romæ, et extra Italiam ex Decreto S. C. C. 16 nov. 1602, mandante Clemente Papa VIII.

An (inquires) *provocans ad duellum teneatur restituere, si provocatus occumbat?* Negative: provocans probabilis non tenetur restituere, si provocatus occumbat; licet enim peccaverit contra charitatem provocando, non tamen peccavit contra justitiam pugnando (nisi illum induxerit vi aut gravibus iniuriis, sicque quasi coegerit). Nam statim ac constat provocatum libere acceptasse duellum, uterque ad invicem sibi facultatem facit: at volenti nulla fit injuria damnosa. Idem dicendum est de invicem rixantibus: imo si duobus rixantibus, ultro quis occurrat ad rixam impediendam, si et ipse occidatur, rixantes principales ad nihil tenentur; quia, ut ait Alasia, illius homicidii non efficax causa fuerunt, sed simplex occasio¹.

87. Q. 5. *Quid est abortus, et quale peccatum?*

R. Ad 1: Abortus definitur: *Ejectio fetus immaturi*. Quare ad abortum requiritur, ut fetus conceptio et animatio vere præcesserit. Fœtus autem ex communi Doctorum et antiquorum physicorum sententia, atque ex praxi tam S. Pœnitentiariæ, quam fori, dicitur animari spatio 40 dierum si masculus, 80 si femina. — Sunt tamen medici, qui hodie pro certo habent ex innumeris experimentis fœtum, nulla facta sexus distinctione, ab ipsa conceptione animari, statim ac nempe ipse incipit formari²: quod quidem fere statim a

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 401 et 658; l. VII, n. 220; et *Homo Apost.*, tr. VIII, n. 28.

² Quando porro agitur de pœnis et irregularitate, utique res dijudicanda est juxta praxim S. Pœnitentiariæ. At hodie non ita, si de peccato queritur; sed illico ac merito homicidam dicimus (ex doctrina peritorum) qui abortum curat a conceptione, homicidam, inquam, peratrocem, qui et corpus et animam perdit. Quo maxime sensu accipienda sunt quæ hic discutiuntur.

coitu evenire censent. Hic obiter notandum, ab Innocentio XI damnatam fuisse hanc sub n. 35 propositionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali*.

R. Ad 2: Quicumque malitiose in se vel in altero directe abortum procurat, graviter peccat sive fœtus animatus sit sive non. Etenim in primo casu est verum homicidium: in secundo tendit in homicidium, et est contra naturam generationis; cum proxime impediatur vitam hominis: *Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet: homo est qui est futurus; etiam fructus hominis jam in semine est*, ait Tertullianus¹. Strictè tamen homicidium non est; nam fœtus inanimis non est complete et simpliciter homo. Hinc ex communi et omnino tenenda sententia², non licet matri quamvis morbo extremo laboranti remedia sumere directe ad expellendum fœtum, etsi inanimem; quia directe abortus procuraretur: et si illicitum est directe expellere semen, etsi ex ejus abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere fœtum qui est propinquior vitæ humanæ. Neque potest dici pars viscerum, cum sit inchoative distinctum individuum humanum; neque vitæ aggressor, cum ex se mortem non intentet, sed ea per accidens eveniat.

Hoc tamen intelligendum: 1. de vero fœtu; nam si sit corruptus, licet expellere, quia potius est massa putrida; 2. de fœtu, qui jam sit in uteri possessione. Ex quo resolvitur, quod mulier oppressa poterit se vertere, coitum interrumpere, semen repellere ac prohibere ne immittatur; cum tunc per accidens ex viri malitia effundatur. Non tamen poterit expellere, si jam illud receperit; quia jam tunc esset in pacifica possessione, uti recte ait Croix et alii.

Diximus: *Directe abortum procurat*; nam indirecte tantum

¹ Apolog., c. ix. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 394.

² Est contra D. Antonium, qui probabiliter ait: *Si autem puerperium nondum est animatum, posset tunc et deberet (medicus) talem dare medicinam; quia licet impediret animationem talis fetus, non tamen esset causa mortis alicujus hominis, et hoc bonum sequitur, quia liberat matrem a morte*.

procurare seu permittere, subministrando videlicet matri morbo gravi laboranti remedia fœtui etiam animato nociva, utique licet sub certis conditionibus; nam tunc per accidens et citra intentionem abortus evenit. Sunt autem conditiones: 1. ut agatur de morbo lethali; nam remedia periculosa tantum in extremis sunt tentanda; 2. ut remedia non sint per se fœtui nociva, ut esset dilaceratio uteri; tunc enim esset directe abortum tentare, neque intentio mutat remedium. Remedium igitur debet esse per se ad morbum curandum directe et immediate efficax: talis esset moderata corporis purgatio, scissio venæ, etc.; 3. ut nulla sit spes fœtui illi per Baptismum vitam æternam procurandi; tunc providendo matri non fit deterior salus prolis: neque enim ideo prolis periculum crescit.

Quid si fœtus sit animatus, et dubium sit, an pereunte matre, proles supervivere possit et baptizari? Vel periculum abortus est æquale tam si medicina sumatur, quam si non sumatur; vel periculum illud medicinam sumendo fit majus. Si 1, poterit mater medicinam suscipere; quia sic vitæ suæ juste consuleret sine majori fœtus periculo. Si 2, minime poterit; nemini enim fas est ad tuendam vitam suam temporalem exponere positive proximum periculo mortis æternæ. Hoc autem semper intelligendum, si aliqua vera spes adsit salvandi vitam prolis post mortem matris: secus non videtur charitas obligare matrem in extrema necessitate positam ad vitam suam negligendam abstinendo se a remediis ob exiguam et remotissimam spem vitæ prolis.

Ceterum etsi medici scrupulis non sint agitandi circa pharmaca, quæ prægnanti præbent, cum rarissime ipsa proles ei supervivat, quia lethalis morbus et humores corrumpit et prolis alimentum contaminat; attamen neque id negligendum est, quia etiam accidit, quod ob peritiam chirurgorum statim ac spiritum exhalaverit mater, inciso ejus utero, proles viva extracta fuerit et baptizata¹.

88. Q. 6. Quid de pœnis in procurantes abortum?

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 26. An autem licita sit parenti ætheris inspiratio, ne partus doloris sentiat (quoad invexit primus omnium medicus Simpson, anno 1847), alii affirmant, quia experientia constat id sine læsione fœtus evenire, et cum matris levamine; alii negant, tum quia est contra Dei præceptum, qui vult ut mulier cum dolore pariat (Gen. iii); tum quia res est semper admodum periculosa. Alii tandem spectatissimi medici concludunt, id non licere in casibus ordinariis, licere autem in casibus extraordinariis, si dolores nimium intensi, si partus admodum difficilis, etc.

R. Sixtus V Bulla *Effrænata* (anno 1588) omnes scienter procurantes abortum fœtus tam animati quam inanimati, et quomocumque in eum consentientes, vel mulieribus præbentes venena sterilitatis, gravibus subjecit pœnis. Sunt (habita ratione diversitatis personarum):

1. Privatio privilegii Clericalis cum degradatione; item ejuscumque dignitatis, officii ac Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum consequenda. Quod pertinet ad privationem, ad eam incurrendam requiritur sententia saltem declaratoria criminis, cum sit expoliatio juris acquisiti; at non ita est de inhabilitate, sed ea statim incurritur, cum non privet nisi jure acquirendi. Hæc autem privatio et inhabilitas omnino tenemus contra plures non posse auferri ab episcopis, cum sit lex papalis; inferior autem nihil potest in lege sui superioris¹.

2. Irregularitas et excommunicatio ipso facto incurrenda, effectu secuto: utraque Pontifici reservata. Cum autem Papa loquatur *de scienter abortum procurantibus*, icecirco a pœnis illis excusat ignorantia etiam crassa, nec tantum juris, scilicet latæ censuræ ignorantia; sed etiam facti, ignorantia scilicet effectus, qui potest sequi a propinatione medicinæ. Verum Gregorius XIV Const. *Sedes Apostolica* anno 1591 sustulit irregularitatem et excommunicationem pro abortu fœtus inanimati, ac utramque limitavit tantum ad abortum fœtus animati². — Porro ab hac excommunicatione episcopus potest

¹ Nec obstat Glossa in cap. *Nuper de sent. excomm.*, ubi habetur ab excommunicatione papali posse absolvere episcopum, nisi *specialiter* sibi Papa eam reservaverit. Valde enim differt absolutio a censuris ab absolute ab aliis pœnis, ut sapienter notat Suarez; nam apud omnes consuetudine receptum est quod censuræ non reservatæ, præsertim excommunicationes ab episcopis non solum, sed etiam ab approbatis confessariis absolvantur; at diversa omnino res est, si agatur de aliis dispensationibus et absolutionibus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 191.

² *Quid in dubio de animatione?* Verius eo in casu excommunicatio non incurritur, quia versamur in odiosis: multo minus irregularitas, ut nobis certum videtur; nam jure Canonico habemus eam non incurri, nisi in lege sit expressa (c. *Is qui de sent. excomm.*, in 6): de hoc porro casu nihil habetur expressum. Hinc concludunt valde probabiliter non censendum irregularem saltem in foro externo, qui intra 80 dies a fœtus conceptione abortum procuravit. Diximus *intra 80 dies*; quia etiam in dubio an fœtus sit

absolvere etiam per specialiter ab ipso delegatos, cum talis sit facultas illis a laudato Pontifice tributa. Quod tamen pertinet ad irregularitatem, ea ab unico Pontifice auferri potest, sicut abortus sit occultus, ut patet ex Tridentino ¹ (M).

In Synodo Novariensi procuratio abortus relata est inter casus reservatos sub n^o 3: *Sive factus sit animatus, sive inanimatus, et licet irritum effectu tentatus*. Et hic observandum est: cui deputatur facultas ab hoc casu absolvendi, illi est quoque ab Episcopo deputata facultas absolvendi ab excommunicatione Papali reos abortus fetus animati (pag. 319).

Etiam lex civilis procurantes abortum punit².

§ III. — De vitæ, pudicitia, honoris, et bonorum aggressionem.

89. Q. 1. An liceat injustum vitæ aggressorem occidere?

R. Quilibet injustum vitæ suæ aggressorem occidere potest; cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Ita unanimiter Theologi cum Angelico, qui thesim suam confirmat ex eo, quod Exodi 22 furem nocturnum occidere licet; ergo multo magis, ait, *licitum est defendere propriam vitam*³. Deinde notum est, quod *vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt*⁴.

Denique ipsa natura docet, esse in homine verum jus vitam propriam defendendi, si injuste oppugnetur, eamque præferendi vitæ aggressoris, qui ex propria malitia in tale periculum se conjecit. Hoc (ait Tullius pro Milone) *et ratio indoctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent*. — Quod probat etiam valere non solum pro sæcularibus, sed etiam pro ipsis Clericis et Religiosis; jus enim defensionis est unicuique a

masculinus vel femineus, potius præsumitur femineus: cum ex frequentiori eventu amplior sit numerus feminarum, quam masculorum; at in dubio res resolvenda est juxta quod crebrius contingit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 596.

¹ C. *Liceat* vi, in sess. xxiv.

² Cod. pen. Gall., art. 317.

³ 2, 2, q. 64, a. 7. — ⁴ Cap. xviii, *De homic.*

natura inditum: si secus esset, injustitiæ, bonorum cædi, rerum publicarum eversioni arma ministrarentur. Hinc Catechismus Romanus hoc jus omnibus tribuit indiscriminatim.

Diximus *potest*; non enim tenetur quis aggressorem occidere; nam (si non agatur de eo, cujus vita sit omnino necessaria bono communi, quo in casu tenetur seipsum defendere ratione publici boni), actus virtutis est sui occisionem permittere, ne alter vita temporali simul et æterna privetur. Ad dimus *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut scilicet in tuendis nostris juribus illud moderamen servemus, quod nequeat culpari. Hoc autem juxta omnes importat:

1. Ut occisio aggressoris non fiat ad vindictam, cum hæc privatorum non sit; neque ex odio, cum hoc charitati adversetur. Et en quo sensu Christus præcipit, ne rependamus malum pro malo ¹: *Hinc autem dictum est* (ait Augustinus), non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo pascit animum*². At occisio utique licet, si fiat solum ad vim propulsandam, seu ad sui tantum defensionem;

2. Ut qui aggressionem patitur, non utatur majori violentia, quam necesse sit ad mortem vitandam. Ideoque si ab injusto aggressore liberare se queat clamando, fugiendo vel vulnerando tantum, non potest occidere; alioquin occideret injuste, et teneretur ad restitutionem, cum jus tunc excederet a natura tributum³;

3. Ut aggressio sit injusta. Hinc non licet reo occidere ministros justitiæ, a quibus ad supplicium trahitur: nec contra illos se defendere, cum juste ipsum aggrediantur: non enim in jure datur jus juri oppositum;

¹ Matth. viii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 580.

² *Epist. ad Publ.* cxxxiv; it. l. I, *De Ser. Domini*, c. xix.

³ Hoc tamen in casu, juxta plures, qui moderamen excedit, non teneretur ad totum damnum, sed tantum ad illud, quod proportionatur excessui defensionis, quia dumtaxat talis excessus injustus est: hoc Collet dicit communissimum esse. At notandum quod hisce in accidentibus non adeo facilis est consilio locus atque moderationi; aliquando enim excitato clamore vel tumultu, facile putamus non posse aggressorem abigere; at aliquando ita subito tanto timore percutimur, ut juxta nostrum captum de nobis actum sit, nisi subito percutiamus, quod evenit maxime, si nocturni fures armati nos aggrediantur, vel ex insidiis in nos præcipientes ruant.

4. Ut aggressio actu moraliter inferatur, id est ita impendens sit, ut non possit, nisi adhibita vi, eam repelli; si enim aggressionem vix probabilem feriendo vel occidendo præveniamus, vitæ alienæ aggressores nos ipsi efficiemur, non defensores nostræ.

90. *An (inquires) liceat occidere ebrium, vel amentem aggressorem?* Affirmant probabilius cum Gury, nisi constet eum in statu peccati mortalis versari; ratio est quia quamvis ebrius vel amentis non sit aggressor tuus formaliter injustus, est tamen materialiter injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Quod si certo scias eum in statu peccati lethalis versari, salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferre debes. Secus autem, si sui ipsius satis compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

An (quæres) liceat occidere justitiæ ministros, vel falsum accusatorem, testem, aut judicem, a quo imminet injusta sententia? — Negative, nam injuria propulsari potest ordine judicii servato; adde, hoc semel admissio, via aperiretur cædibus: nam quisque potest facile sibi persuadere se accusari injuste. Hinc ab Alexandro VII damnata est hæc sub n. 18 propositio: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Ratio est tum quia defensio in hoc casu est omnino excessiva, cum directe non procedat damnum ex defensionis omissione, sed ex iniqua sententia; tum quia hoc semel concesso, turbarentur publica judicia cum gravi reipublicæ detrimento.

91. *An liceat prævenire aggressorem eumque occidere?* Alii cum Sylvio negant; quia prævenire non est se defendere in actuali aggressionem; alii cum Lugo affirmant; nam qui hic et nunc paratus est lædere, jam est aggressor. Alii vero cum Roncaglia et Salmanticensibus sententias quodammodo conciliantes distinguunt; negant id posse qui certo non scit, sed tantum suspicionem, seu dubium timorem habeat de invasione; impium enim et injustum est ob dubiam violentiam proximum vita privare. Affirmant autem, si ex aliqua manifesta actione quis certo moraliter novit aggressorem jam esse determinatum ad invadendum, v. g., si videat jamjam ipsum catapultam parantem, vel gladium evaginantem; et invasus nequeat aliter effugere ac salvari, quam occidendo; si enim expectare teneretur aggres-

sionem, jam mortem subiret, nec posset uti jure, quod omnia jura cuique concedunt, nempe tuendi propriam vitam. His tamen non obstantibus censeo hanc sententiam, illa etiam distinctione supposita, vix in praxi posse sequi, propter hallucinationis periculum, quod in hujusmodi re adesse potest: et hoc maxime si aggressio non sit ita proxime insidians, uti si sciam Titium mandatum dedisse servo ut me circumveniat, ac de medio tollat¹.

92. Q. 2. *An nobis liceat injustum aggressorem occidere ad defendendam vitam proximi?*

R. Affirmant communiter; si enim licet ad defendendam vitam propriam, item licebit ad defendendam vitam proximi innocentis, quem debemus ex divino præcepto diligere sicut nos ipsos. Hoc modo S. Thomas defendit Moysen, qui occidit Ægyptium²: *Potest dici, quod Moyses occidit Ægyptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatae tutelæ.* Imo communiter docent Lessius, Lugo, Salmanticensis etc., id locum habere, quamvis aggressus velit pati occidi: tunc enim non defenderes jus quod habet aggressus se tuendi, cui cessit; sed jus ad vitam, cui cedere nequit.

Sed (quæres) an sit etiam obligatio defendendi vitam proximi innocentis cum occisione aggressoris injusti? Certum est ad id teneri Principes, Magistratus et milites, qui specialiter conducti sunt ad civium defensionem. Isti tenentur etiam cum periculo vitæ propriæ, ubi agatur de avertendo a civibus malo publico; sed ubi agitur de vita dumtaxat alicujus privati, non tenentur cum tanto incommodo eum tueri. Ad alios autem quod attinet, probabilius est cum Lessio, Lugo et Tournely, saltem generatim loquendo, eos non obligari ad talem innocentis defensionem cum occisione aggressoris injusti; tum quia præceptum charitatis eo in casu non videtur rigore obligare, cum potius præstet evitare mortem æternam aggressoris; tum quia in alterius occisione non potest evitari incommodum grave, v. g., timorem inimicitiarum

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 587. — Sporer, *In V decal. præcep.* qui plura exempla ponit.

² 2, 2, q. 60, a. 6.

aut publicæ justitiæ, vel horrorem qui concipitur fœdando manus nostras sanguine humano.

Diximus *saltem generatim loquendo*; nam excipe: 1. si invasus esset necessarius ad bonum publicum, ad quod curandum quisque tenetur sub gravi; 2. si ipse sit pater, filius, uxor aut frater, quos pietas ipsa obligat omnino tueri: 3. si sit ebrius et in statu peccati mortalis; quia tunc iste vere esset in extrema animæ necessitate, cui subveniendum est etiam cum ipso corporis detrimento.

93. Q. 3. *Quid dicendum de injusto aggressore pudicitia?*

R. Mulier in omnium sententia non potest suum oppressorem occidere vel mutilare, si aliter eum repellere valide potest, v. g., verberibus, unguibus, etc. Hæc si non prosint, utrum puella possit illum occidere, vel graviter mutilare ad se liberandum, disputant. Alii negant cum Antoine, Ballerino, Dens, etc.; quia pudicitia cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet: ideoque nemo eam formaliter potest auferre, nobis invitis. Materialis autem pudicitia non est tanti faciendæ, ut propter illam liceat in invasorem ita insurgere. — Verum nos cum Anacleto, Cuniliati, Elbel, Filliocio, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sporer, et aliis communiter dicimus fas esse mulieri, quæ injustam pudicitia suæ aggressionem patitur, seipsam defendere cum ipsius aggressoris occisione. Rationem affert S. Antoninus: *Mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti suæ providere, quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati permittendo se opprimi.*

Et sane si licet ex S. Scriptura occidere invasorem bonorum, quanto magis invasorem pudicitia; cum sit bonum superioris ordinis? Unde quamvis puella invasorem occidere non teneatur, sed possit passive se habere, quia castitas invite non amittitur; ad id non obligatur, tum quia ipsa materialis corporis integritas maximum est bonum, ita ut quis mallet mori, quam vel solum materialiter violari; tum quia adest periculum pudoris, *quod bonis feminis morte gravius est*¹.

¹ S. Ambrosius, l. III, *De officiis*. Imo licet etiam ex charitatis suasionem interficere invasorem *pudicitia alienæ*, si aliter defendi nequeat. Intellige

Neque valet reponere quod potior est vita proximi, quam materialis nostri corporis integritas. Nam hoc semel indiscriminatum admissio, neque fas esset occidere invasorem vitæ nostræ; quia invasor occisus amittit etiam vitam æternam, quæ quidem est potior vita nostra temporali: hoc tamen vel ipsi adversarii non timentur. Dicendum ergo tunc habendam esse rationem proximi vitæ, quando in vitæ discrimen illum conjicit necessitas, non autem ejus voluntas. — Hic autem bene advertunt, quod non solum licet puellæ aggressionem propulsare actu, quo eandem patitur; sed etiam postea aggressorem potest percutere alapis, pugnis, fuste, baculo et similibus ictibus minime periculosis, ut sic displicentiam suam atque constantiam ostendat, et aggressor facilius discedat, nec revertatur. Id porro (modo fiat immediate post acceptam injuriam et nunquam ad vindictam) non tantum permittendum, sed etiam consulendum est.

94. *Quid si mulier oppressa sit, et clamando possit se liberare?*

Non est damnanda sententia eorum, qui censent puellam, si non sit in periculo consentiendi, non teneri ad clamandum ob periculum nimia verecundia testes vocando, cum aliunde se modo passivo habere non sit consentire. — Contraria tamen sententia in praxi est omnino suadenda, quia mulier difficulter poterit se eximere a periculo consensus; clamando vero, testes potius vocat suæ pudicitia. Eadem ratione docent, puellam debere potius mortem subire, quam pati violari, casu quo invasor mortem ei minetur, si non acquiescat. Unde Suzannam imitetur, quæ malis tentatoribus respondit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini: et clamavit voce magna*¹. Hinc in Deuteronomio dicitur lapidibus obruenda puella virgo, quæ uni desponsata, vi oppressa concubuerit cum alio, si non clamavit, cum esset in civitate²: quamquam id potius pertineat ad externum judicium, in quo præsumitur consensus in non clamante.

95. Q. 4. *An liceat occidere invasorem honoris?*

R. Plurimi negant cum Alasia, Antoine, Concina, Patuzzi, etc., licitum esse occidere invasorem honoris, si ve

modo invasa suum invasori consensum non præbeat, sed *positive* eidem resistat; alioquin invasorem occidere non esset vim vi repellere, cum non detur injuria ubi est consensus. Excipiunt nonnulli, si persona invasa sit tibi valde propinqua: Tunc (aiunt) ante factum adhuc potes invasorem occidere, quamvis aggressa consentiat: eo enim in casu injuriam propulsas, quæ in te redundat.

¹ Dan. XIII.

² Deut. XXII. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 578 et 586.

honor sumatur *radicaliter*, qui est excellentia illa, ob quam unus alteri præfertur: sive sumatur *formaliter*, qui est bona æstimatio, quam homines concipiunt de aliquo ob dictam excellentiam, ac foris signo aliquo manifestant. — Primo scilicet modo honor, nobis invitis, non amittitur: secundo modo non est tanti habendus, ut ad illum tuendum liceat invadere vitam hominis. Hinc Innocentius XI hanc damnavit sub n. 30 propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

Sed plurimi cum Azorio, Cardenas, Filiucio, Laymano, Lessio, Lugo, Molina, Navarro, Roncaglia, Sylvestro, Vasquez et S. Antonino tuentur, licere viro nobili et laico, speculative loquendo, occidere ad se defendendum ab eo, qui tentat eum graviter offendere in honore; et non jam verbis (quia verbis potest occurrere verbis, v. g., respondendo illum mentiri); sed factis, v. g., calcibus, colaphis, etc. Quibus tamen semel illatis, non potest amplius percutere; quia tunc non esset defensio, sed vindicta¹: et hac de causa dicunt fuisse damnatam supradictam propositionem, quia nempe vindictam permittebat, et etiam, quia erat nimis generalis. Pontifex solum damnat, ait clarissimus Viva², quod possit occidi impingens alapam, si fugiat; nam fugiendo non defert secum honorem sublatum, ut possit recuperari, sicut fur, qui fugiendo secum defert furtum. Ratio hujus sententiæ est regula illa generalis: *Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt*: aliunde honor pluris æstimatur, quam ipsæ divitiæ. — Verum est, quod nemo tenetur eo jure uti, quia culpa tantum officit animæ: imo melius est non uti, et illi qui nos percutit *in dexteram maxillam, præbere et alteram*, juxta Dominicum consilium³. Non videtur tamen improbandus qui velit eo uti jure, quod omnia jura permittunt, ad tuendum nempe bonum in æstimatione omnium hominum magnum, quod *melius est, quam divitiæ multæ*⁴.

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 14.

² In Prop. xviii Alex. VII. — ⁴ Matth. v. — ³ Eccli. xlii.

Diximus: 1. *nobili et laico*; quia hoc non licet neque plebeis, quibus probrum non est fugere: neque Clericis, quibus pariter non dedecet fugere, cum armorum usum non profiteantur; 2. *speculative loquendo*; nam quoad praxim hæc sententia parum aut nihil deserviet etiam respectu sæcularium nobilium; ut enim sapienter aiunt Sylvius, Lessius ac Viva, impossibilis aut valde rarus est casus, quo id liceat si de solo honore agatur, nisi forsitan cum Principe res sit; cum generatim fuga videatur in casu potius prudens dicenda, quam ignominiosa: et de facili honor ordine justii judicii recuperari possit: et in communi sensu ista occisio habeatur non jam licita honoris defensio, sed exorbitans ac privata vindicta. En solida praxis.

96. Q. 5. *An liceat occidere aggressorem bonorum fortunæ?*

R. Antoine, Billuart et Collet cum aliis bene multis negant, licere occidere injustum aggressorem bonorum fortunæ, cum nulla sit proportio inter rem quæ defenditur et vitam invasoris.

Verum in sententia nostra, si bona fortunæ sint magni momenti, et non possent aliter defendi aut recuperari, nisi per ipsius aggressoris occisionem (v. g., si fur admonitus fuerit, ne raperet, nisi vellet occidi, et ille obstinate resistat) tunc licita erit illius occisio. Ita passim docent Cajetanus, Croix, Elbel, Ferraris, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sotus, Stapf, Suarez et Viva, freti auctoritate SS. Antonini et Raymundi. Ratio generalis et decretoria est, quod præceptum charitatis (quod unice movet adversarios) tunc tantum obligat præferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in extrema necessitate; non vero quando ipse de se et sponte et ex malitia propria periculo mortis occurrit, prout in casu nostro contingit¹.

¹ a Cette opinion (ait doctissimus Gousset) nous semble plus probable que l'opinion contraire; car, en laissant de côté tout autre motif, ce serait rendre plus audacieux les voleurs pour tenter de plus grands désordres, si l'on établissait que l'homme est obligé de se laisser voler toutes les fois qu'on lui demande la bourse ou la vie. Il est nécessaire que le scélérat sache qu'on a le droit de lui résister, et que dans le cas où il ne redoute pas la justice de Dieu ni celle des hommes, dans l'espérance de pouvoir éviter

Neque facessit, quod nulla sit proportio inter bona fortunæ et bonum corporis: et persona hominis superet omnem æstimationem pecuniæ. Nonne longe superioris ordinis est vita spiritualis proximi nostri respectu vitæ propriæ corporalis? nonne vita animæ superat omnem æstimationem vitæ corporis? Attamen licet vitam spiritus injusto aggressori adimere etiam in adversariorum sententia pro nobis servanda vita corporis. Quare? quia non necessitate, sed voluntate aggressor in illud discrimen se committit: unde per ipsum tantummodo stat, si velit perire. Hujus autem sententiæ communis ac probabilissimæ est certe S. Thomas, qui eam supponit ex illo Exodi: *Sive effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Hinc subdit: Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum*¹.

Diximus, si bona fortunæ sint magni momenti; etenim non expedit pro conservandis vilibus et transitoriis rebus tam acriter in alios excandescere: hæc sunt verba juris Canonici, quibus damnantur duo Religiosi, quorum unus interfecerat duos latrones vestes tantum ipsis eripere conantes². Porro generatim loquendo bona illa censentur magni momenti, quibus ablatis, deficeret alicui sustentatio pro se et suis. Gravis autem notæ Theologi, inter quos Lugo, docent etiam hoc nomine donari posse illa, quorum jactura damnum notabile afferret domino juxta qualitatem personæ. Hic tamen notamus propositiones sub Innocentio XI proscriptas: 1^a Re-

cette dernière, il ne pourra pas entreprendre impunément de dépouiller un honnête homme. »

¹ 2, 2, q. 64, a. 7. Neque obstant verba, quæ post allata leguntur in eodem Exodo (cap. xxii), nimirum: *Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Nam bene respondet hic Cornelius a Lapide, quod id non dicitur ibi, quia post lucem abest periculum mortis; sed quia alto jam meridie fur melius agnoscitur, et sic facilius bona recuperari possunt in judicio, quin a se jus faciat: et insuper quia, orto sole, melius potest fur repelli, invocato vicinorum auxilio. Alia, quæ ex jure, et Patribus opponuntur, facile resolvuntur si totus legatur contextus; res enim est vel de occisione animo vindictæ suscepta, vel de quacunque re etiam parva defendenda, vel de excessu in defensione, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 385. — Sylvius, *In 2, 2, q. 46, a. 6, D. Thomæ.*

² C. *Suscepimus*, de homicid.

gulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei; 2^a non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus; 3^a licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impediendum, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam contra earum possessionem injuste impediendum (sub nn. 31, 32 et 33).

Art. II. — De stupro et adulterio.

97. Q. 1. Quid hic intelligitur nomine stupri?

R. Stuprum quamvis, si proprie sumatur, sit illicita defloratio virginis invitæ; improprie tamen et lato sensu in jure ecclesiastico sumitur pro illicita virginis defloratione quacumque, sive virgo in sui deflorationem consentiat sive non¹: illicita, id est extra legitimum conjugium.

Ut dignosci possit ad quid teneatur in conscientia stuprator, variis distinctionibus opus est: nempe vel stuprator virginem defloravit libere sibi consentientem; vel eam vi, minis aut fraude seduxit. In utroque casu vel id fecit absque ulla matrimonii promissione; vel hanc promissionem ad scopum suum adhibuit.

98. Q. 2. Ad quid tenetur stuprator, qui puellam defloraverit consentientem; sed absque ulla matrimonii promissione?

R. Stuprator, qui defloravit puellam consentientem, absque ulla matrimonii promissione, ad nihil tenetur erga ipsam puellam; volenti enim et consentienti non fit injuria². Utrum vero teneatur ad aliquam satisfactionem erga parentes violatæ puellæ, si illa sub eorum potestate adhuc sit, negamus cum stuprum est eis occultum; nam tunc eos exterius non dehonora- vit, neque tenetur prodere turpitudinem suam.

Si vero stuprum notum sit parentibus, utrum illis satisfacere debeat pro dehonoratione in ipsos redundante, puta per veniæ petitionem, humilem sui submissionem, honoris exhi-

¹ De gravitate hujus peccati et pœnis V. *De peccatis*; et Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 640.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 641.

bitionem, etc., adhuc negant Lugo, Lessius, Suarez et alii; quia nullum eorum jus strictum fuit violatum, cum puella libere cessit juri in corpus suum. Affirmant vero Navarrus et Salmanticenses cum S. Antonino et D. Thoma: peccavit enim stuprator (sicut et puella) non tantum contra castitatem, sed etiam contra justitiam in parentes, quorum puella est commissa custodia; ideo tenetur illis honorem ablatum restituere; nisi parentes præsumentur talem nolle satisfactionem.

Quid vero (dices) si ob secutum stuprum teneantur parentes augere dotem ad filiam in matrimonio collocandam? — Antoine, Habert, Collet et alii obligant stupratorem ad damnum reparandum; violavit enim jus strictum, quod parentes habebant, ut filia sua decenter nubere posset. Sed communissima sententia negat cum Billuart, Laymano, Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez, Soto, Suarez et Vasquez, stupratorem ad aliquid tribuendum teneri; nam sicut puella cum libere possit quascumque nuptias respuere, nullam parentibus injuriam irrogat, si ad illas se reddat minus idoneam consentiendo in sui deflorationem, ita iis nullam irrogat injuriam deflorator. Excipe tamen:

1. Si vir facinus ipse propalando puellam infamaverit; tunc enim tenetur ex justitia omne damnum ex tali infamatione proveniens compensare tam puellæ ipsi quam ejus etiam parentibus; cum illa iniqua manifestatio vera sit et efficax causa damnorum; — 2. si stuprator sit valde dives et puella pauper; tunc aliquam ad minus partem dotis eidem tradere debet, etiamsi non promiserit; quia censetur in hoc casu puella sub hac spe, et quasi implicita conditione consensisse (quamquam alii id dicunt esse tantum de consilio et æquitate); — 3. si judex defloratorem ad aliquid condemnaverit ob injuriam parentibus illatam; superiori enim obtemperandum est: et bene contra ipsum competit parentibus actio pro injuria.

99. Q. 3. *Ad quid tenetur stuprator, si virginem dissentientem seduxerit, nempe vi, minis, fraudibus; sed sine matrimonii promissione?*

R. Distinguendo: vel crimen illud manifestum est, vel occultum.

Si 1, tenetur stuprator tam puellæ, quam parentibus omnia reparare damna honoris atque fortunæ; cum eorum sit vera causa injusta et efficax. Ita est definitum jure Canonico¹: hinc ob dehonorationem debet veniam petere a parentibus; puellæ vero dotem augere tenebitur ita, ut bene nubere valeat perinde ac si minime violata fuisset. Non tenetur autem illam sibi ducere in uxorem, cum id non promiserit, nisi forte damnum aliter reparari non possit, vel nisi intercesserit sententia judicis, quæ ipsum damnaverit ad puellam ducendam: quod judex peragere profecto potest in pœnam criminis².

Si 2, id est si crimen sit occultum, ubi puella æque nubat, ad nihil tenetur seductor: non pro violatione virginitatis, quæ probabilius non est pecunia commensurabilis: non pro damno, quia ex hypothesi nullum adest: non pro periculo nuptias non inveniendi, quia inventæ sunt: non pro injuria parentum, qui deflorationem ignorant. Sunt tamen qui volunt etiam in hoc casu stupratorem teneri aliquid puellæ suppeditare arbitrio prudentis, propter mœrorem videlicet, et periculum vexationis tolerandæ a viro, si ejus turpitudinem cognoscat.

Sed quid (quæres) si stuprator loco fraudis, vis ac metus adhibuerit preces repetitas et importunas, vel dona et similia? R. Communissime dicunt, eo in casu stupratorem generatim ad nihil teneri; preces enim, dona et similia non tollunt, quod virgo sponte et libere consentiat, cum facile possit molestias illas excutere et propulsare. Excipe 1. si una cum precibus jungatur metus reverentialis; intenta enim sexus fragilitate, contradictio tunc evadit moraliter impossibilis; 2. si preces adeo essent importunæ, frequentes et molestæ, ut puella majoris faceret vexationem illam, quam virginitatis jacturam; hæc enim sollicitatio esset cum ipsa vi comparanda. Id tamen non potest contingere, nisi rarissime, cum

¹ C. *Si culpa*, de injur. — Ferraris, v° *Stuprum*.

² C. 1. *De adult.* Si seductor puellam ducere velit, sed ipsa renuat, tunc eam dotare debet, ut sic illata damna valeat reparare. Quod tenet etiam in dubio num puella fuerit ante ab ipso violata, an ab alio; quia semper præsuntur inviolata, donec contrarium probetur.

femina quælibet possit facile, sancta concepta ira vel alio modo, a sollicitatore se liberare, si velit; 3. si seductor jam incipiat vim puellæ irrogare tactibus, osculis aliisque similibus, etiamsi postea consentiat; quia per vim illam antecedentem vir censetur eam constituere in periculo proximo consentiendi. Item si nollet vir discedere, et virgo consentiat, ut postea statim discedat; quia timet infamari, si ab aliis sola cum solo inveniatur: tunc habetur quasi moralis coactio. Ita Lugo, Navarrus, Roncaglia, Salmanticenses, etc.

In his tamen casibus et similibus violator tenetur tantum ad partem damnorum, cum proprie puella omnino invita non sit.

100. Q. A. *Ad quidnam tenetur stuprator, qui virginem seduxerit per fictam matrimonii promissionem?*

R. Stuprator qui virginem sive consentientem sive dissentientem seduxit per fictam matrimonii promissionem, juxta aliquos satis est, si damnum reparat, eam dotando; quia non tenetur eam ducere ratione promissionis cum sit nulla; tenetur ergo tantum ex damno illato; ideo sufficit sit illud resarciat. Sed sententia communis cum D. Thoma¹ et omnino tenenda docet, quod stuprator in casu, si potest, tenetur generatim promissionem implere et sic virginem seductam sibi in uxorem suscipere; tum quia aliter non potest restituere ad æqualitatem, neque damnum adæquate reficere; tum quia in contractibus innominatis *do ut des, facio ut facias*, quando unus suam partem implevit, tenetur et alter implere suam. Idque ex justitia, quamvis fecte contraxerit²; clamat enim ipsum naturæ jus, omnem fraudem a contractibus esse eliminandam.

Diximus: *Si potest*; nam *si aliam jam duxerit*, ita Angelicus, *sufficit si ei de nuptiis provideat*. Addimus *generatim*: sunt enim casus, in quibus stuprator ab ea servanda promissione excusatur, nempe:

¹ Suppl., q. 46, a. 2. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 641.

² Ergo multo magis, si vere consenserit: ceterum valde utile foret ad hujusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam juramento firmata, invalidæ declarentur ab Episcopis; si enim hoc scirent puellæ, non facile seductioni cederent.

1. Si femina ex verbis aliisque conjecturis facile cognoscere poterat malam promittentis fidem et deceptionem; in hoc enim casu ipsa censetur libere consensisse. Hinc Lessius docet, quod si vir vel inconstanter fuerit allocutus, vel adhibuerit verba ambigua, vel nimis exaggerata, non teneatur ad matrimonium¹.

2. Si stuprator nobilitate vel divitiis valde superet conditionem mulieris, et hæc talem disparitatem non ignoraverit, ut valde probabiliter dicunt; ipsa enim conditionum disparitas de se ingerit motivum prudenter dubitandi de veritate promissionis: quo in casu probabilius nec tenetur stuprator de damnis. — Quod si mulier nullimode animadvertit, per accidens res se habet, atque suæ negligentiae imputandum est: *Servet promissum*, ait S. Antoninus de viro stupratore sub promissione matrimonii, *nisi nimis distans esset eorum conditio*. Idque tenet, etiamsi promissio fuerit juramento firmata; etenim juramentum non obligat, nisi secundum ipsam intentionem promittentis².

3. Si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella sit nimis levis; vel timeantur magna scandala aut rixæ inter contrahentium consanguineos; vel dedecus familiæ viri. Putamus tunc stupratorem non teneri ad virginem violatam

¹ Imo S. Antoninus, Lugo, Sancius, etc., probabilius docent illum in hac hypothesi ne teneri quidem ad damnum compensandum; quia deest actio externa injusta per se apta ad dampnum inferendum; poterat enim puella facillime deceptionem percipere, et sic sponte decipi voluit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 645. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v. Stuprator.

² *Quid vero, si puella dictam conditionis disparitatem ignoraverit?* — Affirmant probabiliter Lessius et Busembaum, tunc stupratorem teneri ad matrimonium; nam mulier non potuit deceptionem cognoscere. Verum adhuc valde probabile est illum non teneri, ut dicunt Lugo, Viva, Salmanticenses alique; nam stuprator non debet obligari ad restitutionem, nisi ad æqualitatem injuriæ illatæ: sed compensatio injuriæ illatæ in hoc consistit, ut ipse servet quod mulier rationabiliter petiit, et propter quod crimini perpetrato consensit. Quid porro rationabile petiit mulier ignorans dictam conditionis disparitatem? Non aliud profecto, nisi ut alter ejusdem conditionis vel parum excedentis eam duceret in uxorem; ergo si vir conditionis multo melioris illam duceret, redderet aliquid supra injuriam illatam, quod nec petiit nec petere intendit ipsa mulier: unde tunc satis est aliter damnum reparare. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 645.

ducendam, etsi vere promississet, imo nec etiam ad damna; quia hæc promissio nulla esset, utpote de illicito. Ita S. Antonius, Layman, Roncaglia¹, etc.

4. Si vir fœminam cognoverit existimans esse virginem, sed corruptam invenerit: idque magis, si fœmina se virginem finxerit, cum tamen non esset; nam tunc deceptio deceptione compensatur. Idem dicendum putat Sanchez pro quocumque alio notabili errore viri. — Si autem ante patratum crimen vir jam sciverit fœminam jam ab alio cognitam, tenebitur quidem eam ducere, si sit bonæ famæ et cognita in conjugio, quia id non habetur dedecori: si vero extra conjugium fuerit cognita, non tenetur nisi ad damna, uti si forte ex copula illa infamiam mulier contraxisset; nam matrimonium cum fœmina inhoneste corrupta longe pejus habetur quam copula extorta, prout verius dicunt Salmanticenses ac Lugo.

Quid (dices) si stuprator exhibeat consensum ad matrimonium quod promisit, et puella renuat? Ad nihil tunc stuprator tenetur; cum per ipsum non stet, quominus matrimonium contrahatur. Quod si puella non recuset, sed contradicant parentes, tunc alii dicunt adhuc ad nihil stupratorem teneri; cum etiam per ipsum non stet. Sed alii verius illum obligant ad damnum reparandum; nam matrimonium principaliter ad damnum compensandum promisit: et licet per ipsum non stet quominus nubat, cum neque id stet per puellam, ideo ista semper urgere potest, uti sibi compensetur damnum.

101. Q. 5. Quid si stuprator, qui virginem seduxerit vel vera vel falsa matrimonii promissione, voto aut castitatis aut etiam ingrediendæ Religionis sit ligatus?

R. Si stuprator votum illud emisit post promissionem, docent communiter illum teneri ad conjugium: nam votum nullius est ponderis, cum emissum fuerit in injuriam puellæ deceptæ. Si vero emisit ante promissionem, Concina et Layman negant stupratorem ad conjugium teneri. Sed sententia probabilior et tenenda recte tradit adhuc ipsum obligari:

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 644; l. VII, n. 851.

quia damnum deflorationis nunquam adæquate reparatur, nisi per ipsum conjugium. Nec obstat votum; nam debita onerosa sunt communiter præferenda gratuitis, quibus nempe semper inest conditio: *Dabo, si status rerum non mutetur*. Hinc si quis voverit, v. g., dare bona sua Ecclesiæ et postea damnum alicui inferat, prius tenetur resarcire damnum et postea implere votum.

Censent (merito probabiliter) Lugo hoc valere, etiamsi virgo violata fuerit conscia voti; quia cum post copulam facile posset obtinere voti dispensatio, potuit fœmina intelligere sibi promitti dispensationis procurationem: quam ideo curare tenetur stuprator. Quod si eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum: ita Lessius, Lugo, Sanchez, Sporer et Vasquez, certe et longe probabilius contra Laymanum, Navarrum, atque Salmanticenses (N).

102. *Quænam (quæres) stupratoris et stupratæ obligatio erga prolem si nascatur?* Si agitur de stupro violento, jure naturæ stuprator tenetur ad omnes ventris expensas, ut vocant, nempe ad proles alimoniam, quamdiu hæc victum sibi per se valeat comparare ac sibi sufficere, cum solus fuerit causa damni. Attamen ejus defectu tenetur mater etsi culpam non admiserit; nam mater est: sed tunc habet regressum in stupratorem, qui omnes expensas ei refundere tenetur.

Si agatur de stupro voluntario, cum uterque in culpa sit, mulier si potest, tenetur prolem ex jure Romano alere pro primo triennio¹. Postea obligatio transit in stupratorem, ita ut si ultra mulier prolem aluerit, jus semper habeat adæquatam compensationem a stupratore repetendi: vel ab hæredibus, si ille moriatur. Idem dicendum, si ipsa neque lac

¹ L. IX Codicis de patria potest. « Suivant le droit romain, la mère est tenue de nourrir l'enfant jusqu'à l'âge de trois ans; après quoi le père demeure chargé de son éducation. Cette jurisprudence se trouve modifiée par la législation française. Parmi nous, le père et la mère sont obligés conjointement et solidairement, chacun selon ses moyens, de contribuer à l'éducation de leur enfant, soit légitime, soit naturel, jusqu'à ce qu'il puisse se suffire à lui-même. La distinction du triennium que nos anciens théologiens mettent entre le père et la mère, relativement à cette obligation, n'existe plus; nos jurisconsultes ne la reconnaissent point. » Gousset, *Théol. mor.*, t. I, n. 594. — Not. edit.

præbere possit, neque expensis suis nutricem conducere, licet voluntarie in stuprum consenserit; uno enim deficiente, onus ad alium damnificatorem transit.

103. Q. 6. *Ad quid tenetur adulter?*

Vel proles ex adulterio non est nata; vel proles nata est; vel dubitatur utrum nata proles ex ipso adulterio nata sit, neene¹.

Si proles certe nata non est, nulla erit ex hoc capite obligatio restitutionis. Imo si crimen marito occultum sit, ad nihil tenebuntur neque erga eundem adulteri: cum non teneatur se infamare. Quod si ei innotuerit, debent personalem injuriam compensare per veniæ petitionem, per signa doloris et per alia hujusmodi.

Si proles ex adulterio nata est, tunc si uxor omnino invita (v. g., vi, minis, aut dolo) ad adulterium fuit inducta, damna omnia reparare tenetur adulter, utpote qui solus est eorum causa efficax et injusta: nempe tenetur restituere filiis legitimis tam hæreditatem suæ proli relictam, quam alimenta huic exhibita, et expensas pro ejus educatione procurata, etc. Quæ restitutio fieri utique potest occulte vel per confessarium vel per aliam personam fidelem². — Si vero uxor libere om-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 651, etc. — De enormitate adulterii V. t. I, *De pecc.* Utrum autem adulter et adultera teneantur restituere quæ ab ipsorum consanguineis dantur aut legantur spurio, quia legitimum reputant, alii affirmant cum Molina, quia donatio ex errore circa personam nulla est; hujus autem erroris causa sunt adulteri: ergo illi de restitutione tenentur. Alii cum Lugo (quod probabilius est, et in praxi admittendum ex Bouvier) negant; nam nemo tenetur de damno, quod per accidens et præter intentionem ex actione sua evenit, ut contingit in præsentis casu. Attamen observat Billuart, quod spurio si talem se certo cognoscat, non potest illas donationes sibi retinere; quia revera nullæ sunt. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 657.

² Ceterum mulier adhuc teneretur ratione maternitatis ad curandam prolem eam lactando si potest, cum hoc sit matris officium; attamen sine ulla expensa, de qua semper teneretur adulter utpote solus reus, uti supponitur. Si tamen adulter impie reueret prolem curare, ipsa adultera, etsi innocens deberet providere infantulo suo impotenti, non quidem ratione culpæ, sed ex officio pietatis; est enim ille caro de carne sua; sed haberet semper jus repetendi ab adultero omnia damna et expensas. *Quid si mulier nec omnino invita nec omnino consentiens fuerit; sed fuerit precibus, suasionibus, etc., seducta, ut plerumque evenit; teneturne adhuc ad medie-*

nino adulterio consenserit, tunc cum uterque sit æque principalis causa, uterque tenetur in pari gradu, et in solidum ad alendam adulterinam prolem quousque valeat sibi per se providere. Quod item pertinet ad alia damna tam marito quam filiis legitimis obvenientia ex introductione prolis illegitimæ in familiam, uterque pariter tenetur illa resarcire; et una persona deficiente, obligatio devolvitur ad aliam. At si adultera uxor nequeat prolem adulterinam alere extra domum, nec damnum familiæ alia ratione compensare absque gravi dispendio famæ, vel rixarum periculo, etc., tunc debet aliis industriis omnino uti, v. g., diligentius curare rem familiarem, cultum sui corporis minuere, adulterinum filium inducere ut Religionem ingrediatur, si sit ad illam idoneus; et si adultera bona propria habeat, plus legitimis quam spuriiis tribuere per donationes manuales, per contractum, legata, testamentum, etc.

Si dubitetur an nata proles, nata sit ex adulterio (puta, quia tempus partus correspondet etiam tempori adulterii, vel quia maritus antea filios ex uxore non genuerat), tunc alii cum Antoine, Billuart, Laymano, etc. dicunt restituendum esse pro rata dubii: æquum enim non est, ut maritus totum onus habeat prolem alendi, quæ forsitan non est sua. Sed communis sententia cum Azorio, Concina, Continuatore Tournely, Croix, Elbel, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Sporer, etc. adulterum liberat ab omni restitutionis obligatione; tum quia stante tali dubio, possidet matrimonium, et filius semper reputatur legitimus, donec constet oppositum (nec rarum est, ut qui steriles videbantur, tandem filios in sperato obtineant); tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus se non tenetur privare pro obligatione incerta et dubia.

tatem damnorum? Non conveniunt theologi; sed sat probabiliter ex Talento quidam asserunt, æquitati consonum esse inducentem teneri ad majorem partem, quia duplici titulo nocuit, ut scilicet movens ad damnum et ejusdem damni executor. — Si autem adulter promiserit se suscepturum omnia onera ex adulterio secuta, ad id utique obligatur. At si renuat stare promissis, adhuc tenetur adultera, neque enim ob privatum pactum fas est non compensare damna illata.

Idem dicunt Gobat, Filliucius, Lessius Lopez, Sanchez, Zacharias aliique contra plures, si dubium sit inter duos adulteros cujusnam sit proles; per accidens enim esset, quod a nullo tunc restitutio fiat. Hæc sententia spectata ratione et absolute loquendo, probabilior est; nemo enim tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse damni causam: nec sufficit ut posuerit actionem aptam ad damnum, sed insuper requiritur, ut illud revera intulerit; neque enim semper actio de se injuriosa damnum causat, ut argumentatur Angelicus¹. Excipe nisi duo illi ex communi consilio adulterium patnaverint; vel si posterior sciat adulterium jam factum ab altero; tunc ipse esset causa incertitudinis prolis, ideo vera causa ne a primo possit exigere compensatio (O).

104. An adulteri (quæres), stupratores, fornicarii divites, qui prolem ad hospitale delulerint, teneantur expensas eidem compensare?

R. Universim affirmant Antoine, Billuart, Lessius, Lugo, Salmanticensis, etc., quia xenodochia solum pro sustentatione pauperum sunt instituta: neque sunt præsumendi eorum fundatores voluisse divites ab expensis eximere². Layman idipsum docet, casu quo hospitale sit pauper; quia non pauper divitem, sed dives pauperem alere debet. Verum plures alii cum Dicastillo, Henriquez et Renzio universim negant teneri divites parentes ex rigore justitiæ reficere hospitali ex-

¹ 2, 2, q. 62, a. 7. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o Adulterium.

² In hac sententia quid restituendum? Ut quantitas restituenda determinetur, videndum an proles certo vixerit; vel certo mortua sit; vel an res sit dubia. Si vixerit, restituendi sunt hospitali omnes sumptus qui apud nutricem fieri debuerunt et dein in ipso xenodochio usque ad annum 12, quo sufficienter laborare supponitur puer ad lucranda absolute necessaria ad vitam et vestitum: qui omnes sumptus æstimantur moraliter 1000 franchi. Si proles mortua sit, sumptus restituendi a die expositionis ad diem mortis erunt computandi franchi 84 circiter pro singulis annis: quæ restitutio fieri potest per confessarium vel alium fidum ac secretum. Si vero deprehendi non possit an proles sit mortua, an vero adhuc vivat (prout ordinariè contingit) quid in hoc casu tribuendum sit, non potest, ait Gury, certa regula definiri; solutio enim pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta plus vel minus, aut a morte præmatura pueri. Vix (ajunt) sexta pars illorum puerorum ad ætatem annorum duodecim pervenit: unde dicunt, satis esse si parentes pro rata dubii 200 vel 150 franchi nosocomio solvantur (Bouvier vult 500).

pensas pro nutrienda propria prole, si illi eam exponant, etsi hospitale pauper sit.

Hoc porro putamus probabilius; quia hospitalia hujusmodi erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus qui a parentibus abjiciuntur, sive parentes divites sint sive pauperes. Neque obstat quod subsidia a gubernio vel a municipio istis parvulis præbeantur; quia hæc pro parvulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Adde: hujusmodi nosocomia instituta sunt eo fine, ut infantes et illegitimi liberentur a periculo mortis tum æternæ tum temporalis, qui maxime exponerentur, nisi in iis piis locis susceperentur. Quod enim parentes impios et barbaros infamiæ metus adegit sive ad abortum prolis procurandum, sive ad necem ipsi inferendam, porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrerent¹.

Ceterum pro praxi omnes, uti par est, conveniunt enixe, atque ut ita dicam opportune et importune adhortandos, urgendos genitores divites saltem titulo poenitentiae, ad aliquid hospitali tribuendum; tum ut tanti facinoris gravamen sentiant; tum maxime quia hodie ob nimiam morum undique dissolutionem, expositorum numerus crescit in dies, adeo ut expensæ continuo augendæ sint, quin tamen sufficiant. Sæculi nostri opprobrium! en quo ducit non fræno cohibita licentia; sed ita est, quo magis decrescit pietas, eo magis crescit corruptio.

CAPUT SECUNDUM

DE BONIS FAME ET HONORIS

105. Q. Quid est fama et honor?

R. Fama (a *fando* dicta) hic sumitur pro opinione publica de alterius excellentia: honor autem est ipsa testificatio alienæ excellentiæ, prout animo excepta est. Ex quibus patet discrimen famam inter et honorem: fama potissimum consistit in opinione interiori de alterius excellentia; honor in testificatione externa, quæ fit verbis aut factis. Fama fertur de absente: honor exhibetur præsentem vel in se vel in alio qui illum repræsentat, sicuti Rex honoratur in suo legato vel

¹ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 659. — Gury, *De just. et jure.* — Bouvier, *De jure*, etc.

statua. *Fama læditur vel interius per dubitationem, suspicionem, opinionem et iudicium temerarium; vel exterius per detractionem: honor autem maxime per contumeliam læditur.* — Oportebit igitur utrumque in Confessione explicare, quia continet diversam speciem malitiam læsio famæ ab ipsa læsione honoris.

106. *An (quæres) committit diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit, adeo ut debeat explicare in particulari mala, de quibus accusavit?*

Negant Lugo, Molina et alii, quia materialiter quidem distinguuntur speciem diversæ detractiones et contumeliæ, at non moraliter; cum semper unam famam et honorem lædant. Sed affirmant probabilius Concina et Croix cum Sylvio, quia læduntur diversa jura quæ alteri competunt, quæ quidem diversa sunt in genere morum; per hoc enim quod quis est diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio. Hinc si quis furto est diffamatus, novum peccatum esset eum accusare libidinis: sic femina de uno tantum adulterio diffamata, nequit sine novo peccato de alio occulto diffamari; quia unum non dicit connexionem ad alterum, nec pravam consuetudinem importat. Excipe, nisi revera crimina illa sint connexa et unum præ se ferat affinitatem cum alio; quia tunc non censetur nova infamia gravis inferri vel augeri, ut si dicas de ebrio rixari cum uxore. Item recte excipiunt mulierculas et plebeios, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se dehonorent; nam in communi æstimatione hæc convicia non habentur uti gravia, et audientes nullam ipsis præstant fidem, putantes illa potius proficisci ex impetu iræ, quam ex animo et rei veritate: et ideo ut plurimum rixantes excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent¹.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, nn. 48 et 49. Quod de detractione (atque de illam culpabiliter audiente), idem dicunt de iudicio temerario: alii volunt esse explicandam materiam, in qua iudicatur, cum bona existimatio circa unam virtutem sit diversa a bona existimatio circa virtutem aliam. Sed alii contendunt satis sufficere, si dicatur: *Temere iudicavi in materia gravi de Titio*, cum bona existimatio de aliquo una sit ejusdemque speciei

*An (addes) qui detrahit alicui in una tantum re, sed coram pluribus, plura committat peccata? — Disputant: affirmat Croix, quia tot jura is lædit, quot sunt personæ, apud quas alter infamatur. Sed probabiliter negat Lugo, quia jus ad famam est unicum apud omnes, non autem multiplex: est ideo tantum circumstantia aggravans, et ideo in Confessione sufficit dicere: *Detraxi in tali re coram pluribus.**

Art. I. — De læsione et reparatione famæ.

107. Q. 1. *Quid de dubitatione, suspitione et opinione temeraria?*

R. Dubitatio temeraria est *suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili*. Suspicio temeraria est *assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo suo*. Opinio temeraria dicit *assensum in illud iudicium, sed infirmam de opposito formidinem habentem*. — Hæc inter se discrepant, ut patet; sed quia parva est distantia, in moralibus promiscue usurpantur: imo Angelicus eas sub uno tantummodo suspicionis nomine includit¹.

Dubitatio, suspicio et opinio temeraria regulariter loquendo non videntur nisi peccata venialia, præsertim si procedant ex errore intellectus. Sane *suspicio* in se non est, nisi

in genere moris. Utrum sit indicanda qualitas personæ per detractionem vel iudicium temerarium læsam, adhuc disputant: aliqui negant quia hoc esset nimis onerosum, neque est in usu. Aliqui vero affirmant, si agatur de persona arctissimo vinculo conjuncta cum lædente, ut si læsus sit pater; tunc enim læditur et pietas. Hoc tamen non valeret de conjunctis remotioribus; neque de Confessario, quia extra Confessionem inter pœnitentem et Confessarium tanta relatio non habetur, ut detraçtio novam addere debeat malitiam mortalem; et sane communiter non attenditur ut gravis talis culpa. Attamen etiam dato, quod ratione sui non sit explicanda qualitas personæ per detractionem læsæ; plerumque illa videtur necessario indicanda ratione consecratorum, ad quæ forsitan plures non animadvertunt: quoties, v. g., detrahendo superioribus, maxime ecclesiasticis, auditores avertuntur ab obedientia, a religione, ac rebelles fiunt, et ad extrema deveniunt!

¹ 2, 2, q. 70, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 962 et seqq. — Ferraris, vº *Fama*.

quædam animi concitatio ad assensum: *dubitatio* est simplex animi suspensio in partem neutram inclinantis: *opinio* tandem est cum formidine oppositi. Ergo manet adhuc in mente aliqua bona proximi existimatio, neque illi proinde gravis infertur injuria, neque in possessione famæ suæ graviter perturbatur; uno verbo fama læditur tantum, non tollitur: quod ipse docet S. Thomas¹.

Diximus: 1. *regulariter loquendo*; quia sententia probabilior docet esse mortale, si suspicio, dubitatio vel opinio temeraria fieret de peccatis gravissimis, ut si de Religioso temeraria fieret suspicio, dubitatio vel opinio, quod sit hæreticus: vel de viro communiter uti catholico habito, quod sit judæus, turca vel atheus; tales enim suspiciones, dubitationes et opiniones majorem quodammodo videntur iisdem injuriam inferre, quam si certum haberetur eorum judicium de delictis gravibus ordinariis; — 2. *præsertim si procedant ex errore intellectus*; nam si orirentur ex malevolentia, et in iisdem graviter temerariis quis pertinaciter immoraretur, mortale vix effugeret ob injuriæ gravitatem.

108. *Sed (quæres) an omnia dubia semper sint in meliorem partem positive interpretanda?* Generatim sufficit dubia de personis explicare negativo modo, nempe ipsas nec bonas nec malas judicando; tum quia non est necessitas judicii; tum quia per se nemo tenetur ad illum assensum, in quo se exponit errandi formidini; tum quia licet judicare pro modo objecti: objectum cum neutrum sit, neutrum erit judicium.

Si tamen non placeat, aut non liceat suspendere judicium, tunc vel agitur de damno vitando, vel non.

Si 1, possumus dubia pejorem in partem accipere, non quidem definiendo, ut ait Angelicus², sed tantum supponendo,

¹ 2, 2, q. 60, a. 5. — « Interdum hæc animi ad suspiciones propensio vel ex indole hominis, vel ex præteritis illius factis aliquam excusationem admittit: e. g., ab ætate senili, vel dum quis iterato ab hominibus quos fidissimos arbitrabatur, se deceptum vidit. At pessima illorum conditio est, qui ut fieri consuevit, ideo dumtaxat de aliis quidvis mali suspiciantur et credant; quia sibimet nullius virtutis conscii sunt. » Stapf, § 399.

² 2, 2, q. 60, a. 4.

nempe ita nos gerendo quasi illa persona sit revera mala: in tanta hominum corruptione (ad rem Stapf, § 398) talis circumspectio regulis justæ prudentiæ consentanea est, et nemo obinde tanquam de injuria sibi illata conqueri potest; non enim alios magis, quam nosmetipsos diligere jubemur. Hinc Job licet nihil suspicaretur de filiis suis, offerebat tamen holocausta pro iis, *ne forte peccaverint*. Neque ideo aliquod verum damnum irrogatur personis, cum sit simplex suppositum. Hinc qui ignotum domi recipit, potest ita se gerere, quasi esset fur: hinc superior se gerere potest, ac si subditi revera delinquant, cum hoc sit ad cautelam. — Si 2, debemus dubia positive interpretari in meliorem partem, nempe positive asserendo proximum non deliquisse; jus enim habet ad famam: *Neque in dubio est præsumendum delictum*. Neque proximus sine causa a possessione suæ integritatis dejiçendus est: et melius est errare bene, quam male judicando.

Quid (dices) si dubia sint de rebus? Si dubia sint de rebus, v. g., an talis contractus si licitus, non necessario sunt ea in meliorem partem interpretanda, sed res est suis æstimanda momentis: quia in his solum agitur de eo, ut veritas attingatur; nec ideo alicui irrogatur injuria. Unde si audio aliquem propositionem hæreticam proferentem, propositionem hæreticam judicabo, quia est judicium de rebus; sed ipsum qui eam profert, hæreticum esse non ita subito dicam, cum possit ex inadvertentia vel ignorantia id evenire, non autem ex pertinacia: *Etiamsi*, ait S. Bernardus, *perperam actum quid deprehendas, ne sic judices proximum; magis autem excusa; excusa intentionem, si opus non potest, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum*¹.

109. Q. 2. *Quid est judicium temerarium et quale peccatum?*

R. Judicium temerarium est *firmus animi consensus, quo quis absque rationabili fundamento judicat malum de proximo suo*. Si sit cum plena advertentia conceptum de gravi proximo malo, communiter loquendo erit mortale; gravem enim proximo injuriam irrogat, cum violet jus quod ipse ha-

¹ Sermo xl. in Cant. — V. Ferraris, v⁴ *Judicium temerar., Suspicio, Dubitatio*.

bet, ne absque justa causa reprobis judicetur. Hinc legimus: *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et alia hujusmodi*¹.

Diximus communiter loquendo; nam tale iudicium erit veniale: 1. si habeat quis magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem; certitudo enim moralis et magna probabilitas non adeo distant, ut gravis censeatur injuria tenere uti pene certum, quod est valde probabile: v. g., si quis iudicet hilarem juvenem inventum solum cum puella in cubiculo, inhonesta tractasse; 2. si malum quod iudicatur, non sit adeo grave; iudicium enim informatur a sua materia; 3. si quis advertat quidem se male de proximo iudicare; sed minime advertat signa sic iudicandi non esse sufficientia, neque ullum de iisdem dubium gerat; 4. si iudicium sit tantum de indeterminata vel ignota persona, tunc per se loquendo injuria gravis irrogaretur nemini².

110. Q. 3. Quid est detractio et quale peccatum?

R. Detractio est *famæ proximi extinctio vel imminutio injuste facta in ejus absentia*. Dicitur 1. *proximi*; qui enim propriam lædit, ordinaria injustus non est, cum sit illius dominus; 2. *injuria*, quia ob justam causam, servatis debitis modis, licet culpam proximi manifestare; 3. *facta in ejus absentia*: quia si fit in præsentia, superadditur contumelia.

Detractio ex genere suo est lethalis; nam superat furtum, quod utique lethale est, fatentibus omnibus; lædit videlicet proximi famam, quæ est majus bonum, quam opes et divitiæ; etenim *fama bona impinguat ossa*³. Iterum Scriptura:

¹ Matth. vii. — Iudicium temerarium specie differt a detractioe, et ideo hæc seorsim constitanda sunt: qui enim temere tantum iudicat, bonam existimationem per se temperare potest; qui vero detrahit, deberet insuper audientem suadere ne fama, quæ fuit radicitus et exterius sublata.

² « Il suit de là que ces jugemens sont difficilement considérés comme mortels, soit que le plus souvent le jugement soit estimé suffisant, ou bien ces jugemens ne sont pas des jugemens, mais des soupçons, qui (quoique téméraires) sont excusés ordinairement de faute grave, s'ils ne sont pas des énormités comme le seraient des soupçons d'hérésie, de parricide ou autre chose. » S. Alphonsus, *Il Confessore diretto*, cap. xi, n. 4.

³ Prov. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 966.

*Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit: abominatio hominum detractor; neque maledici... Regnum Dei possidebunt*¹. Et D. Hieronymus: *Non putent religiosi se esse securos dicentes: grandia crimina non facimus, non adulteror, non furtum facio, non homicidium: grande scelus est, quando detrahis fratri tuo*². Videlicet unico ictu detractio tres interficit lethaliter ex D. Bernardo, detractum, detrahentem et audientem detractioem. Quod peccatum ideo etiam infandum est, quia difficulter fama semel læsa ex toto restauratur: hinc illud axioma vere satanicum: *Calumniare audacter; aliquid semper hæret*. — Porro si alicui detrahatur, crimen verum aperiendo, dicitur simplex *detractio*: si aperiendo falsum, dicitur *calumnia*, quæ est gravior et differt specie a simplici detractioe, quia detractio mendacium superaddit proximo perniciosum: *Os autem quod mentitur, occidit animam*³.

Attamen sive detractio sive calumnia potest esse tantum venialis, vel ex levitate materiæ, si grave damnum non inferat; vel ex defectu deliberationis: *Peccata quæ committuntur in proximum, ait Angelicus, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferunt, quia ex hoc habent rationem culpæ: tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur*⁴ (P).

111. Q. 4. Quot modis fieri potest detractio?

R. Octo modis hisce versibus ab Angelico expressis:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut reticet, minuit laudatve remisit*⁵.

¹ Eccli. x; Prov. xxiv; I Cor. vi.

² In Ps. cxlix. — ³ Sap. i. — ⁴ 2, 2, q. 75, a. 5.

⁵ Non ideo tamen excusaretur a gravi culpa qui sine animo lædendi, sed ex levitate graviter detraheret, si id deliberate agat. Non enim officit quod detractio directe non intendatur; nam est implicite solita, cum voluntarie dicantur ea, ex quibus illa provenit.

⁶ Quatuor primi detrahunt directe, alii indirecte: omnes autem hi modi per se sunt ejusdem speciei: quia omnia respiciunt unum bonum famæ. Attamen novam possunt speciem addere ex accidenti, ut si detrahas alicui in ejus præsentia, esset enim et contumelia; vel si inde prævideas detractum esse amissurum sua bona, etc., tunc accipiet aliam speciem injuriæ

Primus omnium gravissimus est falsi criminis impositio, et dicitur *calumnia*, vel etiam *contumelia*, si contingat in præsencia illius, cui falsum crimen imponitur. Secundus est criminis veri *amplificatio*, quæ quoad augmentum calumnia est. Tertius est *revelatio* criminis occulti. Quartus *sinistra interpretatio* boni operis: si quis, v. g., dicat, eleemosynam mulieri pauperi fuisse quidem datam a Titio, sed ad pravum seductionis finem, vel ex hypocrisi. Quintus boni operis *negatio*. Sextus *reticentia* et silentium in iis circumstantiis, in quibus facile intelligi queat proximum nostrum vel non esse laude dignum, vel non tantam sibi mereri¹. Septimus alienæ virtutis *extenuatio*. Octavus *frigida commendatio*, ex qua adstantes intelligant frigide laudantem non bene sentire de illo, quem ipse laudat².

112. An (quæres) *susurratio idem sit ac detractio*? Susurratio est *verbum seminans inter amicos discordias*. Convenit cum detractioe ex parte materiæ, quia utraque malum de proximo dicit; sed specie differt ex parte finis, quia susurratio insuper dissolutionem amicitiae intendit. Et ideo est ex genere suo mortalis, specie diversa ac gravior detractioe; unde in Confessione est exprimenda, ut notat Angelicus³.

in bona fortunæ, quod ideo in Confessione de necessitate explicandum est. Lugo. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Detractio.

« Un domestique, par exemple, garde le silence lorsqu'on loue ou qu'on blâme son maître en sa présence. Il fait clairement entendre par là qu'il croit que son maître ne mérite point les louanges qu'on lui donne, ou qu'il mérite les reproches qu'on lui fait. Cependant, pour ce qui regarde les reproches, le silence d'un domestique, d'un ami ou de toute autre personne peut, en certains cas, être attribué à la timidité, à la prudence ou à la crainte d'un plus grand mal. » Card. Gousset, n. 1069.

² Huc revocantur (ex Stapf, § 400), qui vultu vel nutibus calumniantur; ubi aliquis laudatur, malitiose subrident, humeros attrahunt, sermonem brevi interjectione abruptunt, etc., e. g., *Titius est quidem vir probus, verumtamen...* Imo qui tali interruptione, vel ad alienas laudes subridendo proximum vituperant, plerumque ejus famæ multo magis nocent, quam si certum aliquod vitium ipsius aperte designassent; tunc enim dum tacent aut rident, vagis et quibuslibet suspicionibus porta aperitur. « Alii (ait S. Bernardus, *Serm. xxiv in Cantica*) quodam fuce simulatæ verecundiae malitiam adumbrare conantur, mittunt alta suspiria; vultu mesto et voce plangenti egreditur maledictio, » etc. Quæ ista sunt? pestes detractioe.

³ 2, 2, q. 74, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72.

Quot malorum sint causa susurrones in familiis, in communitatibus, in universa societate, haud dici potest. Hinc illud Ecclesiastici: *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes; verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris*¹.

113. Q. 5. An peccet peccato detractioe qui grave crimen revelat; sed uni vel alteri tantum, qui illud sub secreto continebit?

R. Cum distinctione: vel revelatio fit ad leniendum offensæ dolorem; vel revelatio fit ex levitate et sine causa. — Si 1, communissime docent revelationem delicti factam uni vel alteri tantum non esse peccaminosam, durum enim videtur, ut quis prohibeatur solatium quærere suum dolorem amico manifestando. Neque tunc malum est ab ipsa natura, a qua habemus, ut dolor communicando dimidiatur: atque id fieri per amicorum compassionem docet Angelicus². Hinc excusant saltem a mortali famulos, qui referunt injurias sibi a domino illatas, uxores quæ referunt impropria mariti, matres quæ referunt offensas filii, etc.

Si 2, alii cum Busembaum censent esse mortale uni etiam crimen revelare: quisquis enim ægre fert, quod apud virum cordatum dehonoretur. Adde: in omnium sensu judicium temerarium est mortale, licet unus tantum illud concipiat de aliquo. Multi tamen cum Cajetano, Covarruvia, Lessio, Navarro, etc., satis probabiliter negant esse grave; nam fama consistit in opinione multorum: unde non est infamatio, si crimen uni vel alteri viro prudenti reveletur. Huic sententiæ adhæret aperte Angelicus: *Ita tamen*, addit, *ut non prove-niat inde aliud vel infamia vel vituperium proximo delinquenti*, id est nisi alter alteri sit crimen manifestaturus (quod observatu difficile est), et dummodo semper excludatur animus nocendi³. Nec tenet paritas judicii temerarii, quia in hoc habetur falsi criminis impositio; sed in nostro casu est tantummodo nuda veri criminis manifestatio.

¹ Cap. xxviii; et Prov. xxvi, v. 20 et 22; et Eccli. vi.

² 1, 2, q. 58, a. 2.

³ Quodl. xi, a. 15. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 975.

114. *Sed quid si detrahatur quidem coram pluribus, sed relicta persona, dicendo, v. g., in tali ac tali loco esse qui male vivunt?* Grave peccatum non est generatim loquendo hic dicendi modus; in omnibus enim locis ordinarie sunt homines mali: unde per se propria dicta infamia nulli inuritur. Diximus *generatim loquendo*; nam aliter esset, si inde aliqua infamia alicui redundaret: sic, v. g., peccat qui detrahit Ordini religioso, vel nominat Monasterium, in quo quis grave peccatum occultum commiserit; id enim toti Ordini graviter nocet. Excipit Concina, si agatur de aliquo Ordine amplo, neque sit strictioris observantiæ, cum in quolibet amplo loco ferme semper sint aliqui discoli. Hic venit graviter reprehendenda prava illorum consuetudo, quæ hisce temporibus adeo invaluit, ut nempe, si quis fortasse de Clero scandalose deliquerit, universus Clerus traducatur uti criminatus: hoc injustitiam simul et odium in Religionis ministros plane ostendit¹.

Quid (addes), si nominetur persona, sed non notentur ejus peculiare defectus, ut si dicas tantum: Multa scio de illo, sed patefacere prohibet charitas, scit me illum posse ad tacendum cogere? etc. — Id per se videtur mortale; nam sic gravis suspicio ingeritur in audientium animis. Si tamen nominetur defectus, sed in genere dicendo talem esse avarum, iracundum, etc., ex se non videtur mortale; quia, ut plurimum, audientes id interpretari solent de quadam propensione tantummodo naturali ac quasi involuntaria. Ceterum ipsa personarum qualitas hic est attendenda: etenim erit mortale de optimi nominis Prælato dicere mendacis esse assuetum, aut de Ecclesiastico, quod duellum commiserit vel sit amans puellarum. Non est autem grave sæpe id asserere de milite, aut de juvene mediocris famæ; nec dicere de puella, quod sit garrula, superba, impatiens, etc.

Quid (repones) si nominentur quidem defectus, sed illi defectus naturales sint? Per se mortale non est illos defectus

¹ V. *Civiltà Cattolica*, t. VIII: I complici del regicida. — Martinet, *La science sociale au point de vue des faits*, l. II, c. x. — Mura, *Il Clero, e la società moderna; ossia esame critico di alcune laguanze della società moderna contro del Clero, e contro i suoi diritti*. Roma, 1826.

nominare; cum enim a voluntate non profluant, animam non afficiunt, neque sunt dedecori. Poterit tamen esse mortale, vel ratione magni mœroris, ut si proferantur in faciem, v. g., si dicas de aliquo, ipsum esse spurium; vel ratione præjudicii quod inde evenire potest, ut si quis dicat de viro honorabili fuisse vile mancipium¹.

115. *Quid vero si nominentur quidem defectus morales; sed defuncti jam sint, quibus detrahitur?*

R. Detrahere defunctis ultro concedimus, ceteris paribus, non adeo grave esse ac detrahere vivis; cum defuncti non amplius fama indigeant ad recte vivendum. Dicimus tamen adhuc mortale esse ipsis detrahere in re gravi: nam juxta communem hominum æstimationem semper in fama sua vivere censentur. Unde scriptum est: *Mortuo non prohibeas gratiam*²; et proverbium habet: *De mortuis nisi bene*. Hinc historiographi ignominiam notam memoriæ defunctorum sine sufficienti causa inurentes occulta manifestando, cognita exaggerando, nec actam pœnitentiam referendo, graviter peccant, atque ad restitutionem tenentur: neque hæredes condonare eam possunt, cum famæ aliorum domini non sint. Idque valet, licet defuncti sint damnati; nam adhuc sunt nostri proximi secundum naturam: ideo neque licet ipsis duplex formentum desiderare, ut ait Roncaglia.

116. Q. 6. *An liceat revelare crimen, quod semel publicum est?*

R. 1: Triplici modo crimen publicum dici potest: 1. *publicitate juris*, cum nempe de eodem publice constat vel per iudicis sententiam, vel per ipsam rei confessionem, vel per legitimam testium depositionem in iudicio secutam; 2. *publicitate facti*, cum id publico loco coram multis patratum est, ita ut non amplius possit neque ulla tergiversatione celari, neque ullo excusari juris suffragio; 3. *publicitate famæ*, quando fama criminis pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas ejusdem, ut, spectatis omnibus circumstantiis, fieri nequeat quin ad notitiam majoris etiam

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72.

² Eccli. vii. — V. Manno, *Opuscoli*, articolo: della libertà dei giudizi storici sopra i morti.

partis deveniat. Nos porro dicimus, ad hoc, ut crimen dici possit publicum sufficere, quod si communitas constet octo personis, illud sciant quatuor; si centum, sciant quindecim; si mille, sciant viginti circiter diversarum familiarum¹. Publicum autem erit in aliqua vicinia 40 personarum, si sciant 8 ex diversis familiis; item si in oppido 5000 civium, sciant 40 per illud dispersi. Addunt autem crimen dici *famosum*, si illius fama pervagatur per majorem partem oppidi, communitatis, viciniae vel Paroeciae. Item dicunt infamatum in Regno, qui jam est infamatus in Curia principis, vel in alio loco illustri, ex quo facile in Regnum fama dimanat.

R. 2: Nullum peccatum est neque contra justitiam neque contra charitatem, si verum alterius crimen reveletur in loco, ubi sive juris, sive facti, sive famae publicitate jam notum: *Si palam res est, repetitio injuria non est*, est juris adagium. Imo expedit ad bonum publicum, ut unusquisque cognoscatur qualis publice cognitus est: hoc etiam consuetudo confirmat, dum historiae mandat crimina publica.

Item certum videtur non peccare saltem mortaliter, qui verum alterius crimen in uno loco publicum revelat in altero, ubi tale non est, sed quo brevi tempore ejus notitia perventura sit; non enim infamatus aliquam per hoc patitur injuriam saltem gravem, cum sit tantum quaedam anticipatio, et aliunde fama spoliatus existat. Nisi tamen ex ista anticipatione sequantur ei gravia damna, v. g., in suo officio; tunc ex charitate teneretur abstinere a revelatione: quod magis dicendum si anticipatio manifestationis vergeret in damnum tertii, v. g., puellae quae sit cum reo propinquitate conjuncta, cui ideo imminens matrimonium impediretur (Q).

117. Q. 7. *An aliquando liceat alterius crimen occultum revelare?*

¹ Notandum est, crimen in una tantum familia vel monasterio notum non posse dici absolute publicum; ac proinde non posse manifestari ne in alio quidem monasterio ejusdem Ordinis, quia est semper privatorum notitia, cum una familia habeatur ut unus homo. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XI, n. 12; *Op. Mor.*, l. III, n. 974. Billuart tamen id iudicio prudentis remittit, si nempe attentio communitatis numero, hominum garullitate et aliis circumstantiis, iudicet vix possibile, ut res secreta maneat.

R. Si notitia sit habita ex Confessione sacramentali, in nullo casu licet alterius crimen revelare, quamvis sit levissimum, atque agatur de ipsa morte vitanda; nam semel data contraria suppositione, retraherentur fideles a Sacramento. Si vero notitia aliunde habita sit, illud revelare fas est *propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis*, ut ait S. Thomas¹. Unde dicimus cum Concina, licere revelare verum et occultum alterius crimen:

1. Ut proximus emendetur illud deferendo judici aut prelato aut domino aut parenti, modo ex tali revelatione majus eidem damnum minime contingat. Ideo tanto magis licet crimen revelare ad consilium petendum pro delinquentis emendatione; bonum enim animae spirituale praefendum est bono temporali famae, uti habet S. Basilius².

2. Ut publicum damnum evitetur: quo in casu quisque per se loquendo crimen manifestare tenetur; nam bonum communitatis vincit bonum particularis, ac quaelibet pars tenetur ad bonum totius conferre. Hinc detegenda sunt crimina quae in Religionis aut Reipublicae ruinam vertunt; si enim unusquisque tenetur de proximo suo, quanto magis si de plurimorum bono curando agatur!

3. Ut salvetur vita hominis innocentis, v. g., si innocens accusetur de homicidio, erit revelandus homicida; cum potior sit conditio innocentis. Etiam licet (imo aliquando necesse est) alterius occultum crimen revelare ad vitandum grave damnum proprium, vel alienum, etiam in bonis fortunae, quia nocens non habet jus ad famam suam cum gravi damno innocentis, et ex lege charitatis bonum proprium, vel alterius innocentis bono nocentis est utique praefendum³.

¹ 2, 2, q. 73, a. 2. — ² In Reg. brev.

³ « Ainsi on peut avertir un maître que son domestique est infidèle, un supérieur que tel ou tel inférieur n'est point digne de sa confiance; souvent même on y est obligé par charité. Ce n'est point médire non plus que de donner sur quelqu'un des renseignements peu avantageux, mais conformes à la vérité, lorsqu'on est consulté par des personnes intéressées à la connaître, parce qu'il s'agit d'une alliance, ou de toute autre affaire importante pour laquelle on craint d'être trompé. » Gousset, n. 1070. — « Hinc (ad rem bene addit *Lyonnet*), a peccato exulant: — 1. illi qui superiores, aut patresfamilias monent de subditorum, filiorum, aut famulorum vitiis, ut eos

Hæc omnia tamen tunc tantummodo obtinent, cum damnum non potest aliter evitari, et damnum satis proportionatur amissioni famæ; et dummodo nec amplius nec pluribus crimen manifestetur, quam oporteat ad avertendum damnum, quod in seipso quis pertimescit. Unde sapienter monet Suarez ex Angelico: *Charitas obligat ad subveniendum communi bono cum minimo damno privato; ergo si potest illud defendi et hoc vitari, utrumque faciendum est*¹. Quare eo in casu per se liberum non erit Superiori interrogare (R).

118. *Sed licetumne erit (quæres) revelare alterius crimen occultum simul narrando penitentiam peractam?* Negative: neque enim manifestatio hæc compensatur per subsequentem penitentiam; semper enim quadam sinistra opinio in aliis ingeritur. Unde si quando id factum legimus, divina Providentia id factum est ad horrorem vitii injiciendum, ad veritatem factorum conservandam, ad peccatores alligandos, atque ad divinam misericordiam patefaciendam.

119. *An (inquires) sit mortale referre crimina uti audita ab aliis, v. g., si dicas: Fertur, narrant, audi vi de Titio hoc vel illud?*

Si referens crimina audita prævidet gravem infamiam ex sua relatione proximo non esse obventuram, quia alii non sunt credituri, non peccat mortaliter hoc ipso, quod damnum grave non inferat; secus peccat ob rationem contrariam. Quod si referens prævideat audientes credituros ex propria malitia, non peccat contra justitiam, quia non esset damni illius causa efficax et directa, sed per accidens. Peccaret tamen contra charitatem, quia tenetur quilibet grave proximi damnum impedire quantum commode potest. Imo et adhuc contra justitiam; 1. si ita referat ipse per se, ut audientes probabiliter et merito sint credituri, v. g., si asserat audivisse rem a persona fide digna. Tunc nempe aderit peccatum grave etiam contra justitiam; quia dat rationem sufficientem credendi malum; 2. si referat crimen alterius valde enorme, ut hæresim, rebellionem, tametsi dubitanter; quia sola horum criminum suspicio solet valde infamare.

120. Q. 8. *Quid de iis, qui detractionem audiunt?*

R. Si gravem detractionem audiens ipsi cooperatur, v. g.,

reprehendant aut coerceant; — 2. qui medici, advocati, confessarii, magistris, aut famuli inscientiam, aut pravitatem detegit iis quorum interest ista cognoscere; — 3. qui juvenes admonet de vitiis quorundam sociorum, ut periculosam eorum societatem fugiant. »

¹ De charitate, diss. viii, sess. vi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 969; l. IV, n. 247.

detractorem excitando, laudando, interrogando, certo peccat contra charitatem et contra justitiam: cum efficiatur vera causa damni, quod proximus patitur, injusta et efficax. Si vero detractionem audiens illi non cooperatur, tunc vel se cum ipse de illa gaudet, vel non gaudet.

Si audiens detractionem secum de illa gaudet, peccat mortaliter in materia gravi contra charitatem, et affectu etiam contra justitiam; cum delectetur de gravi damno proximi sui, et de actu injusto. Unde monet Scriptura: *Linguam nequam nobi audire: detrahentia labia sint procul a te; cum detractoribus non commiscearis*¹. Imo peccaret contra justitiam etiam effective, si delectationem suam exterius manifestaret; cum tunc se habeat, uti laudator detractionis. Exciipiunt aliqui casum, quo quis non delectetur de detractione quatenus est proximi damnum, sed tanquam de auditione rei novæ, seu de curiosa cognitione criminum alienorum. Alii addunt etiam casum, quo delectatio sit de ipsa quoque detractione; sed non ex odio vel gaudio de alterius damno, bene vero ex simplici animi vanitate seu curiositate: id deducunt ex S. Thoma, qui tunc tantum docet esse grave peccatum, quando placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur².

Si vero audiens detractionem de illa non gaudet, non peccat: modo 1. ipse eam impedire conetur, si commode potest; se enim tunc haberet modo tantum passivo; 2. modo non sit superior, quia tunc specialis obligatio resistendi ei incumbit.

121. *Sed (quæres) adestne obligatio gravis detractionem impediendi, si commode potest?* Si detractionem audiens est superior, utique tenetur illam impedire; cum ratione officii peculiariter adstrictus sit ad occurrendum subditorum damnis. Utrum vero obligetur ex justitia, ita ut in defectu detractoris, ipse teneatur restituere famam læsam, alii affirmant de superiore infamantis, quia superior tenetur ex officio curare, ne subditus alteri noceat. Alii affirmant de superiore infamati, quia pariter ex officio tenetur damnum subditi impedire. Alii vero forte probabilius cum Lugo, Soto aliisque

¹ Eccli. xxviii; et Prov. iv et xxiv.

² 2, 2, q. 73, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 979.

de utroque negant: et 1. de superiore infamantis, cum non teneatur invigilare bono non subditi (licet peccet contra justitiam in ipsum subditum, quatenus eum corrigere debet); 2. de superiore infamati, quia ipsi non incumbit bono temporali subditorum prospicere. Hæc tamen ratio probat illum utique ex justitia teneri, si in temporalibus esset præpositus.

122. Quod vero pertinet ad *personam privatam*, certum est, quod si detractionem audiens eam non impediatur, contra justitiam non peccat; quia nulla ei obligatio ex officio incumbit. Imo neque contra charitatem, si vel inutiliter corrigeret juxta illud: *Ubi auditus non est, non effundas sermonem*¹; vel si non posset sine gravi incommodo, quo cum non obligat charitas; vel si dubium sit, an delictum jam evaserit publicum; non enim supponitur malus qui crimen patefecit.

Tota ergo quæstio est de casu, quo detractio sit certo injusta: an scilicet peccet graviter persona privata, quæ cum commode possit, tamen detractorem non admonet? Censet sapientissimus Lugo corrigere sub gravi æqualem raro, inferiorem rarissime teneri; imo absolute dicunt Salmanticenses cum communi Thomistarum, non nisi leviter peccare privatam, qui ex verecundia, timore, negligentia detractioni non resistit; quod eruunt ex Angelico, qui id libenter admittit, si tamen ultra infamiam aliud proximi damnum non timeatur². Hæc communissima sententia rationabiliter sustineri potest, tum quia in hac materia difficillime constat monitionem fore profuturam; tum quia facillime offenduntur detrahentes coram aliis corripit, et periculum est quod potius augeant vel confirmet detractionem. Excusantur autem etiam a veniali illi, qui advertendo detractionem vel discunt, vel sermonem ad alia industrie divertunt, vel faciem tristem ostendunt, vel referunt bona de illo cui detrahitur. Ratio est quia istæ actiones sunt veræ correptiones juxta illud: *Dissipat... facies tristis linguam detrahentem*³.

¹ Eccl. xxxii. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XI, n. 17.

² 2, 2, q. 75, a. 4.

³ Prov. xxv. Expediit raro detrahentem ab initio sermonis abruptum, quia sæpe non nisi communia et publica facta asseruntur; et aliunde talis interruptio ad attentionem detrectantibus conciliandam inserviret. *Lyonnet*. Vid. Stapf, § 405.

123. Q. 9. *An sub gravi facienda sit restitutio famæ?*

R. Sub gravi fama restituenda est, si graviter læsa: si enim gravis est obligatio reparandi damnum grave in divitiis, a fortiori urgebit hæc obligatio, quando agitur de recuperanda fama; nam *melius est bonum nomen, quam divitiarum multæ*¹. Hinc ad rem Gregorius IX: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata... jure super his satisfacere te oportet*. Nec juvat dicere bono publico expedire, ut delicta detegantur: id verum est, si directe in damnum vergant communitatis. Secus non; sic enim et pax et tranquillitas turbaretur, frænum tolleretur ad alia crimina vitanda, ac cædes inveherentur sæpe. Imo Confessarius curet, ut hujusmodi restitutio ante absolutionem fiat; quia ceteroquin difficulter postea implebitur, quamvis hæc ordinarie sit minoris difficultatis, quam restitutio pecuniæ.

Hic tamen advertendum est facile evenire, quod audientes nullam fidem habeant detractori, quia loquitur ex ira vel alia passione non probando delictum; tunc nulla proprie esset læsio.

124. Q. 10. *Quomodo fieri debet restitutio famæ?*

R. Cum distinctione: vel restitutio famæ facienda est ob revelationem criminis veri, sed occulti; vel ob imputationem criminis falsi:

Si 1, debet infamans, quo magis potest, opinionem de eo ab audientibus conceptam abolere, dicendo, v. g., *se male dixisse, vel injuste diffamasse*. Quia tamen hic modus, uti dicunt, vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices, ideo convenientius erit dicere, *se falsum dixisse, errasse, se deceptum vel mentitum fuisse*. Neque hæc verba mendacia sunt, sed vere amphibologica; nam ipsa peccata, inquit Angelicus, *falsitates dicuntur in Scripturis secundum Psalmum*: *Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium*²?

¹ Prov. xxii. — Si fama leviter tantum sit læsa, sub levi reparanda est; nam justitia sive in magnis sive in parvis vult æqualitatem. In praxi tamen difficile est obtinere, ut restitutio famæ, si leviter sit læsa, fiat directe per retractationem: unde sufficit si restitutio fiat indirecte, videlicet bene loquendo de persona læsa, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 991; *Homo Apost.*, tr. XI, n. 18.

² 1 p, q. 17, a. 1.

Ego soleo hoc consilium dare, ait S. Alphonsus, *ut dicant: Ex capite meo hoc erui* (vulgo: « Je l'ai tiré de ma tête; ») æquivocando nempe; quia omnia verba a mente, pro qua accipitur caput, procedunt¹. At si prudenter judicetur restitutionem sic factam potius fore noxiam, quam utilem, maxime apud nasutos et intelligentes, qui talem modum jam sciunt, melius erit eam agere indirecte, videlicet offensum pluries serio et data occasione honorando, vel de eo bene loquendo.

Si 2, infamans tenetur crimen illud falsum aperte retractare, adhibito etiam, ubi sit opus, juramento; nam qui intulit damnum, ad totum id tenetur, quod necessarium est ad injuriam reparandum, si adeo difficile non sit, uti non est juramentum. Neque obstat, quod ipse tunc diffametur; potior enim esse debet conditio innocentis. — An vero teneatur etiam testes adhibere, si juramento fides non habeatur, videtur negandum, nisi in aliquo casu raro; nam id revera uti valde arduum habetur. Aliunde quid magis agere debet detractor, quam Deum vocare in testem? unde restitutio nimium tunc damnum excederet, ut tenent Dicastillus, Navarrus, Salmanticenses et Trullenchus contra Bonacinam et Lugo, qui etiam testes requirunt.

125. Sufficitne damnum retractare apud auditores immediatos? Verius non sufficit, ut dicunt Concina, Croix, Lessius, Roncaglia, Salmanticenses, etc.; sed retractatio est facienda, quantum moraliter est possibile, etiam apud mediatos, quibus nempe crimen revelatum est ab auditoribus immediatis, si saltem in confuso præviderit detractor, hos crimen esse aliis revelaturos, et simul videat eos retractationem negligere. Ratio quia ipse fuit prima et efficax causa damni; at secundis causis deficientibus, semper remanet obstricta causa prima.

126. Q. 41. An simul cum redintegratione famæ adsit obligatio reparandi cetera damna, si quæ ex detractatione secuta sint?

R. Si ex læsione famæ ortum est alteri damnum fortunarum, ut si læsus privatus est famulatu, officio, pensione, si

¹ Homo Apost., tract. XI, n. 18; et Op. Mor., l. III, n. 892.

excidit spe matrimonii divitis, dotem amisit, etc., tunc et fama reparanda est, et damna illa juxta æstimationem prudentum compensanda sunt, si saltem in communi fuerint prævisa, ut ordinarie prævidentur; qui enim aliquam liberam causam posuit, tenetur de illius effectibus. Adde, quod hæc damna compensandi obligatio ad hæredes detractoris transit; cum habeat respectum ad illius bona¹. Nulli autem dubium est, omnia damna esse reparanda, si evenerint ex propalatione delicti falsi.

Quæstio esse potest, si manifestatum sit delictum verum; occultum tamen. Negat Sotus, qui vult detractorem tunc tantum teneri ad partem damni, cum damnum non solum proveniat ex manifestatione, sed ex ipso crimine commisso. Sed omnino tenendum cum Croix, Laymano, Lugo, Salmanticensibus aliisque etiam in eo casu integre damnum inde secutum esse reparandum; quia hic et nunc injusta revelatio est causa vera et unica damni, dum sine ipsa illud omnino abfuisset².

127. Q. 42. Quænam causæ excusant a famæ restitutione?

R. Quinque causæ excusant a famæ restitutione:

1. Impotentia physica vel moralis: physica quidem, ut si nulla omnino ratione possit quis restitutionem peragere; moralis vero, ut si eam peragere nequeat sine damno longe majori, ceteris paribus: hæc nempe physicæ comparatur; at impossibilium nulla obligatio. Qui autem restituere non potest totum, tenebitur saltem ad partem, quam potest; neque enim restitutio consistit in indivisibili.

2. Si crimen quod erat antea occultum, alia via evadat publicum; jus enim ad famam jam esset amissum.

3. Si prudenter judicetur res jam oblivione deleta; nam longe periculosius est renovare memoriam per retractationem, quam retractationem ipsam omittit³.

¹ Non tamen transit ad hæredes obligatio compensandi famam; nam hæc in re præstanda non consistit, sed in actione pure personali, que cum ipsa persona extinguitur.

² V. Liguori, Op. Mor., l. III, nn. 615, 994 et 996.

³ Quid (queres) in dubio, utrum oblivio illa existat necne? Si agitur de crimine vero, non est facili in memoriam revocandum; cum potius attenda-

4. Si adsit infamati expressa, vel tacita condonatio: imo quandoque sufficit præsumpta, sive interpretativa ejusdem voluntas, si, v. g., ita sit bonus et animo affectus, ut si rogaretur, certo condonaret; tunc enim non est invitus, et quilibet est suæ famæ dominus. Attamen aliquando læsus illicite condonat, si ejus fama videlicet inserviat ad proximi ædificationem; ex charitate tunc illam curare tenetur. Aliquando etiam invalide, si quando fama ei necessaria sit ad damnum alterius præcavendum, quod avertere tenetur ex justitia, ut si esset superior; nam jus habent subditi, ne sui infamia ipsorum bonum impediatur¹.

5. Si fama aliis modis sit recuperata, v. g., judicis sententia, veritatis evidentia, testimonio prudentum; nam tunc nullum damnum.

6. Si auditores mihi alterius crimen narranti fidem non adhibuerint; eo in casu damnum non fuisset illatum.

Quæ causæ continentur hisce versiculis:

*Impos, publicitas, oblivio, cessio, fama
Si reparata fuit, si data nulla fides.*

Art. II. — De modo quo læditur et reparatur honor.

128. Q. 1. Quid est contumelia?

R. Contumelia est læsio honoris alterius absque justa causa, quæ fit in ipsa ejus præsentia; vel in ejus absentia, sed eo fine, ut alter resciat. Differt a simplici detractioe non solum quod illa honorem, hæc famam respiciat; sed etiam quod contumelia fiat aperte instar rapinæ contra presentem, detractio vero instar furti occulti contra absentem.

tur ad delictum, quam ad retractationem. Excepe nisi adsit periculum evidens, ne infamia illa ex alia via in hominum memoriam sit reditura. Si de crimine falso, revocanda est infamatio, nisi certo constet de oblivione; cum enim res vera haud sit, nullam proprie dictam infamiam per se importare poterit.

¹ « Cependant, si la réputation de celui-ci intéressait le public, s'il s'agissait, par exemple, d'une calomnie dirigée contre un pasteur, un prince, un magistrat, la condamnation ne dispenserait point de l'obligation de faire cesser le scandale qui résulte de la diffamation. » Card. Gousset, n. 1080.

Contumelia autem multipliciter fit: 1. omissione, si, v. g., cultus superioribus debitus denegetur; 2. factis, si, v. g., superiorum imago conculcetur; 3. dictis: hoc vero contingit vel obijciendo alicui naturales defectus, et dicitur *convicium*; vel defectus morales, et simpliciter appellatur *contumelia*; vel ejus indigentiam, et habetur *improperium*. Si vero quid jocando ei obijciatur, ut erubescat, dicitur *derisio* vel *irrisio* vel *illusio*. Quæ omnia sub uno contumeliæ nomine accipi solent, et eandem speciem habent, si excipias derisionem, qui sane modus ab aliis specie differt ex parte motivi; nam ex Angelico alii intendunt honorem deprimere, hic pudorem et verecundiam causare¹.

Contumelia est peccatum ex genere suo mortale, sicut detractio; nam quemadmodum detractio proximum lædit in fama, ita contumelia lædit eundem in honore, qui est bonum præstantius divitiis quibuscumque: hinc Apostolus contumeliosos a Regno Dei excludit²; et Christus dicit illos reos gehennæ³. Erit autem multo gravior contumelia, si fiat in superiorem, cui detraheretur non parum. Sed erit aliquando tantum veniale, aliquando nullum peccatum. — 1. Venialis erit contumelia, tum ex imperfectione actus, tum si sit leve *convicium non multum hominem dehonoreans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonoreandi*, ut ait S. Thomas⁴; — 2. nullum erit peccatum ex eodem Angelico, si *convicium aliquod leve proferatur causa delectationis ac joci, si debite circumstantiæ serventur*; id enim pertinet ad eutrapeliam. Idem est, si *convicium dicere proficiat ad correctionem: Hoc modo Dominus Discipulos vocavit stultos, et Apostolus Galatas insensatos*; sed raro expedit, quia ex Augustino sæpius subditos ad iram excitat⁵.

¹ 2, 2, q. 75, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 554, 966 et 984.

² Rom. I. — ³ Matth. v.

⁴ 2, 2, q. 72, a. 2.

⁵ L. II, *De serm. Domini in monte*, c. XIX. « Etsi tamen honorem nostrum curare præstat (monet *Stapp*, § 552), cavendum ne sub specie virtutis putidum egoismum sequamur. Item caute in educanda juventute nos versari oportet, ne dum stimulum honoris provocamus, animi juveniles dominantis ambitioni in prædam cedant. » — Aliud monitum gravissimum pro

129. Q. 2. *An reparandus honor per contumeliam ablati?*

R. Honor ablati reparandus est; est enim vera læsio et ejus alterius violatio, gravior ipso furto; nam bonum nomen magis permanebit, quam mille thesauri magni, et pretiosi¹. — Excipe: 1. si recte credi possit læsum reparationem recusare, ne memoria acceptæ injuriæ renovetur; 2. si adsit periculum, ne renoventur odia in actu illo; 3. si manifesta appareat injuriæ condonatio, ut si offensus sponte ad offensorem accedat, cum eo familiariter loquatur, jocosè conversetur, etc.

Porro si honor fuit publice ablati in præsentia aliorum, restitui debet coram illis; vel saltem per modum, quo satisfactio ad illorum notitiam queat facile pervenire: alioquin non restitueretur integre. Sufficit autem id agere etiam per aliam personam: qui enim per alium facit, per se facere censetur. Si vero ablati fuit in præsentia tantum contumelia affecti, tunc satisfactio privata sufficit; nam pro modo peccati fit restitutio.

Brevius: ad restitutionem honoris illa satisfactio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad integrandam æstimationem juxta conditionem personæ offensæ: sic, v. g., si dehonoriatus fuit superior, sufficit, si honorabiliter dehonoriatum salutet, domum invitet et benevolentia excipiat; si enim amplius ageret, non satis consuleret suæ dignitati. Unde aiunt raro superiorem teneri veniam petere a subditis, episcopum a clerico, herum a famulo, virum ab uxore, principem a subdito, ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas². Si vero dehonoriator fuerit æqualis vel inferior, requiritur sa-

is ex nobis, qui hominum æstimationem nimium curant, urget, § 530 : « Etiam in cura admodum delicati esse debemus, ne aut populi aut magistratum potentiorumque gratiam mediis indignis captemus, qualia forent nimia celeritas in faciendo Sacro, laxitas in Confessionali, turpis adulatio, conversatio justo familiarior, approbatio abusuum, qui alieni invaduerunt, etc., etc. Quoties hominum favor non nisi per media indigna acquiri potest, illius nos meminisse decet, quod ait Apostolus: *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* » (Gal. I.)

¹ Eccli. xli.

² S. Augustinus, *Epist.* cxxi, alias 100.

tisfactio major, v. g., ut locum ei cedat, salutando præveniat et similia peragat, quibus prudenter judicetur satis reddi ablati honor¹. — Aptior modus est veniæ petitio; quæ tamen non est necessaria, nisi quando aliter satisfieri nequit. Ceterum aliquando et veniæ petitio necessaria est et illa est expostulanda aliquo modo extraordinario, v. g., flexis genibus, vel aliam similem humiliationem ostendendo, si injuria fuerit gravissima, uti si subditus superiori alapam impingat².

130. *Quid vero (dices) si offensus jam vindictam sibi sumpserit de contumelia sibi irrogata offensorem percutiendo, vulnerando, injuriis afficiendo? Sententia communis tradit offensorem tunc ab omni onere liberari: tum quia offensus per illam vindictam jam censetur sibi per se satisfacisse; tum quia offensus ipse vindictam patienter in se ferendo videtur culpam suam recognoscere, et sic offenso satisfacere (excipe si vindictam inter et offensam discrimen valde notabile existeret). Hac ratione communiter a famæ et honoris reparatione eximuntur rustici, si inter ipsos facta fuerint æqualia convicia aut impropria; quia statim compensatio datur. Quod idem Lugo censet probabilissime, si a iudice pro honore ablati jam poena inflictæ sit; in hominum enim æstimatione videtur satis honor reparatus³.*

131. Q. 3. *Quomodo se gerere debet contumelia affectus?*

R. Omnes tenemur contumelias patienter ferre animi præparatione, quatenus abjiciamus omnem vindictæ amorem exemplo Christi ac Sanctorum; nam vindicta Domini est. — Diximus animi præparatione; non enim semper actu contumeliam silentio ferre tenemur: sic ipse Christus cum suscepisset alapam, dixit: *Quid me credis?* Igitur oportebit contumeliam illatam repellere: 1. propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut ejus audacia reprimatur, neque magis insolenscat, dicente Scriptura: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne*

¹ Non autem reparatur honor per communia signa postea ab offensore exhibita; quia hoc est pro præsentem honore, non pro damno præterito, quod tandiu perseverat, quandiu non reparatur per specialem satisfactionem.

² Quoad proximi diligenter advertendum, quod multoties expedit, ut confessarius omittat monere penitentem in bona fide existentem qui alium inhonoravit, de satisfactione præstanda, si prævideat monitionem non profuturam; imo potius obfuturam, dum experientia constat quod penitentes facile tales satisfactiones promittunt; sed difficulter in facto indempnent, ob roborem quem postea in hoc sentiunt vel apprehendunt. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 988.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 990. — ⁴ Joann. xviii.

*sibi sapiens esse videatur*¹, 2. propter bonum aliorum, ut si Prælati eam tolerando redderetur subditis contemptibilis. Unde Gregorius dicit²: *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere.* Idem fere Angelicus³.

SCHOLIUM. — *De Secreti manifestatione, et Libello infamatorio.*

132. Q. 1. *Quid est, et quotuplex secretum?*

R. Secretum, quod est *notitia rei occultæ*, triplex distinguitur: *naturale, commissum et promissum.* Naturale est illud, quod ab ipsa natura imponitur: ut si quid sciam, quod manifestare nequeam sine gravi alterius læsione in honore vel bonis. Quod si sciam ex alterius levitate vel casu, dicitur *naturale simplex*; si de industria, *naturale extortum*⁴. — Commissum seu rigorosum est, quando quis alteri quidpiam manifestat, eidem committens silentium circa illud. Id autem fieri potest vel expresse, si expressis verbis silentium committatur; vel tacite, si ab ipsa rei manifestatæ natura id deducatur: uti contingit medicis, advocatis, theologis aliisque, ad quos nempe vel pro remedio vel pro consilio fit recursus. — Promissum est quando non modo ille, qui rem manifestat, silentium exigit; sed etiam quando accipiens illam notitiam silentium observare promittit.

An (quæres) peccet qui violat secretum sine causa? Affirmative, quia aperte violat jus alienum: *Qui ambulat fraudulenter* (ait Sapiens), *revelet arcana*⁵. Imo per se loquendo id mortale est, cum sit contra bonum proximi; nam loquendo de secreto naturali ipsa naturæ lex jubet illud servari sub mortali et ex justitia, quoties ex illius revelatione graviter læditur ille, cujus est secretum: quisque enim jus habet, ut secretum suum nemini manifestetur sine causa. Quod magis valet de commissis et promissis: nam in commissis tacite, in

¹ Prov. xxvi. — ² Homil. ix in Ezech. — ³ 2, 2, q. 72, a. 3.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 970.

⁵ Prov. xi. — V. Cod. pœn. Ped., art. 587. — Cod. pœn. Gall., art. 57 et 418.

promisso expresse promittitur secretum non revelari; et revelans tenetur de damnis, si quæ sequantur; cum injusta revelatione fuerit causa vera et efficax.

Diximus *per se loquendo*; a gravi etenim peccato excusatur parvitas damni in secreto naturali ac commissis; et in promisso excusatur si nempe promittens, tantum sub levi se obligaverit.

133. Q. 2. *Quando manifestari potest secretum?*

R. Casus, in quibus sine peccato secretum commissum potest manifestari, hoc versiculo continentur:

Res, consensus, inadvertentia, justa causa.

1. Quando res sub secreto commissa vel est parva, neque ex revelatione damnum timetur; tunc enim non videtur posse saltem gravem obligationem inducere: vel aliunde jam cognita est aut publica; tunc enim non detegitur secretum. Imo Azorius, Lugo, Mazzota et Roncaglia probabiliter tuentur mortale non esse, rem gravem sub secreto commissam revelare sub eodem secreto uni vel alteri probo, sed modo hic sub secreto contineat, nec alteri revelet, secus de uno in alium, res tandem aperiretur omnibus, ut non raro evenit; item modo non detegatur cui specialiter celari voluerit ille, qui secretum commisit; tunc enim adhuc res potest dici secreta in illis rerum adjunctis.

2. Quando adest præsumptus consensus ejus, qui illud commisit; consentienti enim nulla injuria.

3. Quando manifestatio contingit vel ex inadvertentia, vel ex indeliberatione, vel ex animi persuasione, quod res non sit gravis.

4. Cum adest justa causa, si nempe secretum servare verteret in grave damnum publicum vel innocentis vel ipsius committentis. Imo tunc etiamsi jurasses servare, ex ordine charitatis illud recte revelas: est commune. Et idem probabilius ac communius dicendum, si agatur de proprio damno vitando; neque enim præsumitur quis se voluisse cum tanto onere obligare. Elbel, Layman, Lessius, Lugo, Roncaglia, Sotus, Sporer, etc.

134. *Sed quid (dices) si quis promiserit se etiam cum vitæ*

dispendio secretum esse servaturum? Tunc etiam cum gravi suo damno tenetur promittens stare promissis. Imo valide probabile et communius est cum Croix, Molina et aliis teneri ad secretum servandum cum ipso vitæ periculo, uti promisit; quia hoc non esset sibi mortem directe inferre, sed vitam minime tueri: quod licitum est ob justam causam, v. g., ad fidelitatem conservandam, cum id sit bonum virtutis.

135. Q. 5. *An liceat aperire et legere litteras alienas?*

R. Litteras alienas aperire licet: 1. si sciamus eas in nostrum injustum damnum fuisse conscriptas, vel in nostram injuriam cedere, quam intendimus a nobis propulsare; hoc enim ad jus propriæ defensionis pertinet. Sic Princeps potest aperire litteras non tantum hostium; sed etiam aliorum omnium, quæ tempore belli a locis hostium finitimis circumferuntur. Item ministri publici, si id bono publico expediat.

2. Si habeatur consensus expressus, aut saltem tacitus illius, a quo vel ad quem litteræ mittuntur, neque id speciali lege prohibeatur; ubi enim consensus adest, nequit esse injuria.

3. Si communitatis vel Instituti regulæ, aut legitima consuetudo id sinunt: sic Superior religiosus litteras aperit subditorum suorum; id enim valde confert, imo necessarium est ad disciplinam sustinendam. Quod etiam de Superiore in Collegiis et Seminariis affirmandum est ob eandem rationem¹.

4. Si id necessarium sit, vel expediens ad avertendam injuriam alteri imminens, modo non plus legatur, quam quod ad talem finem necesse sit: atque ille, cui imminet damnum, jus habeat litteras aperiendi ad malum illud propulsandum; quia proximo nostro consulere licet contra injustum damnificatorem.

¹ Excipit Goussset, n. 1090: « A moins qu'il ne s'agisse d'affaire de conscience ou de secret de famille. Il suffit, pour prévenir tout abus, qu'un supérieur sache que l'inférieur écrit réellement à son directeur ou à ses parents. Pour la même raison, nous pensons qu'un père de famille peut décacheter les lettres d'un enfant qui est encore en tutelle. Il en est de même pour un tuteur à l'égard de son pupille. » Semper tamen excepto, si res sit conscientia, ut supra. — V. Liguori, Op. V, n. 70.

Exceptis hisce casibus, erit mortale contra charitatem et justitiam legere litteras alienas (sive sigillo clausas sive non), si existimetur in iis contineri res gravis momenti; veniale vero, si contra: ideoque semper peccatum est. Sane quilibet ita jus habet ad suum secretum, ut ipse solus sciat, vel communicet cui voluerit. Quod si ille, a quo vel ad quem litteræ mittuntur, prævideatur id pro gravi sibi injuria habiturus, erit adhuc mortale contra charitatem, etiamsi res in litteris illis sic lectis non sint nisi levis momenti, idque ratione gravis tristitiæ inde orituræ. Dicimus *contra charitatem*, quia materia utpote in se levis, non est apta ex natura sua, nisi ad levem injuriam afferendam contra justitiam (S).

136. *Quid vero de illo (quæres) qui furtim scripta aliena legit, invito domino?* Sic legens peccat duplici ex capite: 1. peccato curiositatis, etiamsi faciat animo discendi et sine ulla damni suspitione; cum hic discendi appetitus non sit secundum ordinem; 2. peccato injustitiæ; quia quilibet habet jus secreti suis in scriptis, quæ aliis non vult esse communia. Peccatum autem poterit esse etiam aliquando mortale, si nempe contingat cum notabili proximi damno (quod erit reparandum), vel cum magna et gravi ejusdem pœna et animi conturbatione.

Sed quid (inquies) si dominus litteras dilaceravit, in publicum abjecerit, et alter colligat, jungat et legat? Quæ sic in publicam viam dejiciuntur, pro derelictis habentur; eaque tunc legere ex curiositate veniale est. Secus nullum peccatum, et quisque potest quæ legit, convertere in sui utilitatem, absque injustitia; si enim dominus ea legi nolisset, debuerat comburere, non in publicum dejicere: ita plures cum Lugo et Roncaglia. Sed Croix et alii probabilius contradicunt; hoc enim ipso, quod dominus illas minutatim dilaceravit, satis ostendit haud velle, ut legantur; ex industria ergo colligere est agere fraudulenter.

137. Q. 4. *Quid est libellus infamatorius?*

R. Libellus infamatorius seu famosus est *scriptura vel signum ad aliquem publice infamia aspergendum*. Dicitur *scriptura*, sub quo nomine venit quidquid vel manu exaratur vel typis imprimitur. Vel *signum*, sub quo nomine veniunt

quæcumque emblemata, imagines, figura hominem dedecorantes (vulgo *caricatures*, *pasquinades*). *Publice*, ut enim reatus habeatur, scriptura vel signa publice sunt affigenda aut distribuenda et diffundenda. Varios diffusionis modos habet sequens versus :

Signa, manuscripta, atque emblemata, schedula, imago.

Libelli famosi auctores et complices graviter peccant, si occulta fratris publicent, licet vera; gravissime vero, si falsa, quia tunc detractiōni superadditur calumnia. Ceterum etsi vera promulgent, semper gravius peccant quam alii, qui verbis tantum detrahunt; nam scripta ac signa evulgantur facilius et manent diutius: unde tunc ut restitutio sit efficax atque ad æqualitatem, fieri debet per publica scripta, vel publica revocatione.

In auctorem autem, et complices libelli famosi animadvertit tum lex civilis multa pecuniaria ac carcere; tum lex Canonica, ex qua pœna est excommunicatio ferendæ sententiæ, si tamen clare indicetur injuriatus, libellus fiat publicus, considerabile delictum contineat, et animo injuriandi publicetur, sine nomine injuriatoris. Quas quidem conditiones requirunt ad constituendum libellum famosum, adeo ut locum habeat ferenda excommunicatio: quæ autem est latæ sententiæ, non reservatæ, si sit libellus contra Papam aut Cardinalem; imo latæ sententiæ et reservatæ, si libellus sit contra Ordines religiosos Prædicatorum aut Fratrum Minorum; non vero si sit tantum contra aliquem religiosum particularem¹.

V. Constitutio Alexandri IV, quæ incipit *Ex alto*; item jus Canonicum caus. 5, 9, 1, cap. II et III; et cap. 1, habetur: *Qui in alterius famam publice scripturam aut verba contumeliosa confixerit, et respectus scripta non reprobaverit, flagelletur* (quod hodie et quoties flagellandi!); *et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 995. — Ferraris, *Biblioth. canon.*, etc., v^o *Libellus famosus*.

CAPUT TERTIUM

DE BONIS FORTUNE

Art. unicus. — De furto.

138. Q. 1. Quid est furtum?

R. Furtum communiter definitur: *Ablatio occulta et injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito.* — Dicitur 1. *ablatio*, ut distinguatur a simplici damnificatione, quæ fieri solet absque ablatione rei, uti contingeret in eo, qui domum alienam incenderet. Hic tamen intelligitur etiam iniqua retentio; nam *detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocenti habet cum acceptione injusta*¹; — 2. *occulta*, ut distinguatur a *rapina*, quæ cum ipsa rei ablatione includit violentiam, domino scienti et invito irrogatam; — 3. *injusta*, aliquando enim qui alienum accipit, non furatur, imo actum virtutis exercet: esset si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis indulgeat; aut vinum, ne ebrietur; aut librum perniciosum, ne pervertatur. Prudenter tamen hic agendum est, ne dum unum peccati genus impedire quærimus, aliud gravius excitemus nimium provocantes alterius indignationem; — 4. *rei*, quo nomine non corporales tantum res, sed etiam incorporea jura intelliguntur, ut census, credita, etc.; — 5. *alienæ*, etenim in re propria furtum non committitur. Nihil autem refert sive res sit aliena absolute et perpetuo; sive sit talis ad tempus tantum, uti in commo-

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 66, a. 5. Ex qua parte non videmus, quomodo a furti macula se valeant purgare *tum* illi qui finito opere, inanibus subterfugiis de pacta mercede fere semper aliquid subtrahunt operariis, qui non consentiunt, sed consentire debent; *tum* illi, qui modo apud unum, modo apud alterum couponem divertunt edentes et bibentes, nihil tamen solventes: ac inde gloriantur, cum male fecerint; *tum* illi, qui pensionis solutionem, quam collegiis, seminariis vel aliis contubernariis debent, recusant: vel ne solvent, infinitas prætexunt causas, propria auctoritate rem delinquentes, nec parcimonie student, nec aliquid sibi subtrahunt, ut valeant propriæ obligationi facere satis, quasi agatur de supervacanea illis facta donatione, non de stricto debito justitiæ. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 508.

dato et usufructu determinato; — 6. *domino rationabiliter invito*: ratio nempe furti in eo posita est, quod alterius jus violetur per ejusdem rei ablationem; atqui jus hujuscemodi non violatur, quando dominus rationabiliter tenetur in ablationem illam assentiri. Sic, v. g., nemo furem diceret Titium qui gladium ab ebrio, vel a mente capto, se ipsum aut alium interfecturo surriperet.

139. Furtum aliud est simplex, aliud qualificatum. *Simplex* non habet aliam malitiam specie distinctam ab ipsa malitia furti. *Qualificatum* habet malitiam peculiarem sibi adjunctam ex aliqua circumstantia speciali: et aliud est 1. *sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, vel rei profanæ patratum in loco sacro; 2. *peculatus*, quo aufertur pecunia vel res ad Fiscum Principis aut Reipublicæ pertinens; 3. *plagium*, quo surripitur servus alienus vel etiam homo liber: sic dicitur quia de hoc crimine convictus damnabatur ad plagas; 4. *abigeatus* a verbo abigere, quo abducuntur animalia e grege alieno.

Iterum ex lege civili furtum uti qualificatum habetur: 1. *ratione personæ*, v. g., si persona quæ furatur sit famulus, hospes, caupo; 2. *ratione temporis*, si, v. g., noctu sit commissum in habitatione; 3. *ratione loci*, v. g., si fiat in Ecclesia vel Regiis dominiis: ut tale etiam habetur furtum animalium e stabulis vel agris; 4. *ratione mediolorum*, si adhibeantur arma, claves adulterinæ, etc.; 5. *ratione rei*, ut esset res sacro cultui dicata surrepta in ipso loco sacro; idem pecunia regia⁴.

140. Q. 2. *Quale peccatum est furtum?*

R. Furtum est peccatum ex genere suo mortale, idque probatur tum Scriptura; Apostolus enim scribit: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt*²; tum ratione quia per furtum violatur justitia, cujus præceptum est, ut *nemo lædatur, et jus suum unicuique servetur*; atqui justitiæ præcepta obligant per se sub gravi. Adde: per furtum maxime perturbatur atque subvertitur pax et tranquillitas Reipublicæ; unde S. Thomas ait, quod si passim homines sibi invicem

Cod. poen. Gall., ab art. 381 ad 401. — Ferraris, vº *Peculatus*.

² I Cor. vi. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº *Fur*, Furtum, ubi plura.

furarentur, periret humana societas¹; hinc Catechismus Romanus: *Quam grave scelus furtum sit, ipsa naturæ vis et ratio satis ostendit*. Imo ne dum furtum, sed vel ipsum furti desiderium graviter prohibetur decimo Decalogi præcepto²: contra quod proinde peccant tum mercatores, qui rerum penuriam expetunt, ut suas merces carioris vendant et sic aliorum miseria ditescant; tum milites qui bellum exoptant, ut impune aliena diripiant; tum medici qui ideo morbos, judices qui ideo lites, advocati qui ideo contentiones concupiscunt, ut ditescant; est enim concupiscere alienum sine justa causa.

Diximus *ex genere suo*; nam furtum peccatum erit veniale vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus. Si furtum grave est, gravis erit obligatio restituendi; si furtum est leve, erit levis obligatio; justitia enim exigit, ut omnibus reddatur usque ad ultimum quadrantem, atque ut pro mensura illata injuriæ sit reparationis ratio³.

141. Q. 3. *Quænam censenda gravis et notabilis materia furti?*

R. Materia furti potest esse gravis et notabilis, absolute et relative: 1. dicitur *absolute* gravis, quando in communi hominum sensu per se censetur sufficere ad constituendum peccatum lethale. Tunc autem censetur constituere lethale peccatum, quando res ablata juxta judicium prudentum potest unicuique afferre gravem utilitatem: id autem censetur talem utilitatem afferre, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti, seu mediocriter divitis requiritur et sufficit.

¹ 2, 2, q. 66, a. 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 518.

² Quod sapienter actum est: — 1. ut nemo de sui justitia sibi blandiatur, dum abstinet ab omni exteriori peccato, sed interim peccatum tenet in corde; — 2. ut significetur, Deum esse cordium scrutatorem, simulque demonstraretur excellentia divinæ legis supra humanas, quæ non possunt interiora dirigere; — 3. ut peccatum in sua radice destruat; prava enim cupiditas et peccatum est et omnium peccatorum fons, cum ex corde exeant omnia delicta atque scelera.

³ Rustici, præsertim parvuli, mortalia ex errore conscientie sæpe reputant furta in se levia, et in Confessione non raro reticent: ideo interrogandi.

2. Dicitur *relative* gravis, quando respectu quorundam, v. g., pauperum, quibus res furto auferitur, censetur gravis; respectu vero aliorum, v. g., divitum, censetur levis: *In amissione unius gallinæ, aut Angelicus, plus (pauper) gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis*¹. Patet autem, quod determinatio materiæ absolutæ ad iudicandum de peccati gravitate, tunc tantum debeat habere locum, quando ignoretur status ac conditio personæ damnificatæ; sed in aliis casibus habenda est ratio materiæ relativæ.

Antiquitus rigidiores erant auctores in assignanda materia furti gravis; cum tunc pecunia esset rarior. At hodie communiter non ita severiores sunt; nam pecunia hisce temporibus utpote in humano commercio abundantior, non ita habetur pretiosa; ideoque Theologi majorem summam requirunt ad mortale furtum constituendum. Porro in hac re (quæ magnopere pendet a prudentum æstimatione) major auctoritas majorem constituit probabilitatem, ut ait Alphonsus noster.

Si igitur agatur de summa absolute gravi, eam determinant ad quinque aut sex circiter libellas (vulgo *francs*). Si vero agatur de materia gravi relative spectata, attentis præcipuis Europæ locis et temporum nostrorum adjunctis, ad eam ex Gury requiri videtur: 1. circiter valor unius franci relate ad pauperes, et non raro miuus pro majori necessitate; 2. circiter duo vel tres franci relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant; 3. circiter quatuor vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites; 4. circiter sex vel septem franci relate ad divites ordinarios; 5. tandem a peccato gravi nunquam excusabitur qui novem vel decem francos subripuerit apud ditissimos, vel etiam apud Principes² (T).

¹ Opus de erud. Princ., l. VII, c. viii.

² • Respectu Regis assignatur summa 40 libellarum; respectu mediocriter divitum tres libellæ sufficerent; respectu artificum triginta circiter solidi (libella cum dimidia); respectu operariorum una libella; respectu mendicantium decem prope solidi (dimidia libella); • ita Talento. Hæc regula potest etiam attendi, si placet; sed fortum excipe respectu Regis, quod, nostra sententia, nimis exorbitat.

142. Q. 4. *An et quando minuta furta constituent grave peccatum?*

R. ad 1: Certum est etiam per minuta furta mortaliter posse delinqui, si nempe illa ad notabilem quantitatem pervenerint, etsi sint facta diversis dominis (modo inter illa non interponatur magnum intervallum). Esto quod tunc domini non sint graviter læsi formaliter; sed læsi sunt quasi radicaliter, scilicet in hoc quod nisi graviter prohibeatur, magnum sequeretur inconveniens contra bonum publicum et indemnitate singulorum. Si enim liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno, fraudando mensuras, falsificando merces, et alia hujusmodi faciendo, quænam esset facies Reipublicæ? quænam securitas? qui mores?

Sed notandum est, quod ad constituendam gravem materiam major quantitas requiritur in furtis minutis, quam in aliis; minus enim in istis, quam in aliis solent certo domini esse inviti. Hinc si minuta furta fiant eidem personæ diversis vicibus, aut personis diversis eodem tempore, ad materiam gravem requiritur et sufficit (nostra quidem sententia) unum simplex cum dimidio: v. g., si sint materia gravis scuta quatuor, per furta minuta requiruntur sex. Si vero hujusmodi furtula fiant diversis personis et vicibus diversis, putamus requiri duplum, scuta nempe octo; quia tunc gravitas non tam exurgit ex damno illato, quam quod ille ditescat de alieno. — Item in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus secus vias et ligna in sylvis, ad gravitatem major requiritur materia. Quod idem ordinarie docent de furto esculentorum ac poculentorum; ac de furtis uxorum et filiorumfamilias.

R. ad 2: Minuta furta tripliciter possunt contingere: *Vel quando unus multum furatur in globo (seu toto simul considerato), sed parum singulis personis*: sic mercator, qui utitur statera dolosa, parum a singulis fraudat, sed multum ab omnibus simul sumptis. *Vel quando plures furantur uni, singuli parum, sed simul sumpti multum*: ut si plures latrones ingrediantur domum alienam, et parum singuli surripientes domum expolient. *Vel quando unus pluries furatur uni, sed parum singulis vicibus*, ut famulus vel filius qui quotidie

parum a domino vel patre sustulit ad ludum. Hoc posito :

1. Qui pluribus personis furatur, parum quidem singulis, sed multum in globo, peccat graviter; quia dolose ditescit de re aliena gravi. Hinc Scriptura : *Non habebis in sacculo diversa pondera : statera dolosa abominatio est apud Dominum*¹.

2. Si plerique simul uni furentur pauca, quæ simul collecta damnum grave proximo irrogent, tunc si id agant communi consensu atque consilio, singuli graviter peccant; quia singuli suo consilio atque consensu cooperantur moraliter in totum damnum, ideoque etiam singuli tenentur in solidum ad restitutionem. Quod si agant independenter unus ab alio, nemo eorum peccat mortaliter, neque ullam contrahit restituendi obligationem gravem : quia tunc nemo esset causa formaliter injusta gravis damni. Imo probabilissimum est, neminem eorum peccare graviter, etiamsi sciant per minuta illa furta grave damnum domino irrogari; semper enim verum est neminem esse causam efficacem totius damni, sed per accidens ab aliis obvenit domino. Ita Habert, Lessius, Sanchez, Sotus alique plures.

3. Qui uni pluries furatur, sed parum singulis vicibus, si non intendat inferre grave damnum, neque paulatim ditescere, in singulis furtis levibus non peccat graviter, quia tunc nulla est ratio, qua latro possit damnari de mortali : non res furtiva quæ, ut supponitur, modica est; non animus furis, qui non habet conscientiam nisi de levi. Excipe casum, quo furta levia simul sumpta pervenerint ad notabilem quantitatem, quin inter illa notabile intervallum intercesserit; tunc simul uniuntur non quidem statim et ex animo, sed ex re accepta : unde fur sub gravi tenetur ad restitutionem, etiamsi illa furtula singulis vicibus consumpserit; tenetur enim eo in casu non quatenus illa retinet, sed quatenus accepit. Aiunt tamen Lugo, Layman, Roncaglia, Sanchez, Viva, etc., furtula moraliter non coalescere, si inter illa notabile adsit intervallum, v. g., saltem duorum mensium, et absit animus amplius furandi; nam tunc ex hominum acceptione non amplius

Deut. xxv; et Prov. xi.—V. Martinet, *Philosophie du catéchisme*, l. III.

videntur constituere unum et idem objectum in genere moris¹.

143. *Quomodo (quæres) restituenda quæ per minuta furta ablata sunt?* Certum est ea sub gravi esse restituenda cum ad notabilem quantitatem pervenerint. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 38 propositio : *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis*. Porro si domini incerti sunt, ea restitutio sub gravi facienda est pauperibus aut locis piis, juxta præsumptam videlicet dominorum voluntatem². Si vero domini certi sint, tunc singulis sua portio sub gravi tribuenda est, si portio singulis ablata per se materiam gravem constituat : hoc patet per se.

Quid (addes) si singuli domini non sint graviter damnificati? Tunc etsi adhuc dominis videatur facienda restitutio juxta regulam generalem, quod nempe res quælibet sive parva, sive ingens sit, semper clamet ad dominum; nihilominus Alphonsus noster putat probabilius cum aliis doctis, quos consuluit, non peccare graviter qui restitueret pauperibus loci; nam fur in eo casu non intulit damnum grave dominis, sed Reipublicæ; hæc vero merito præsumitur non ita esse graviter invita, si restituatur partibus magis indigentibus. Hinc licet communissimum sit, quod tabernarii pro minutis furtis per se loquendo debeant restituere civibus, qui minutas merces emunt; excusarentur tamen a gravi ex dicta ratione, si restituant pauperibus aut Iustitiis et piis locis : imo etiam a veniali, accedente aliqua rationabili causa, puta si urgeat necessitas pauperum, vel infamia timeatur³.

144. Q. 5. *Quid de iis, qui ligna in sylva Communitatis cedunt?*

R. Certum est Communitati cuilibet fas esse ob bonum publicum sub aliqua pœna vetare, ne quis ligna in sylva cædat,

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 550.

² Ex *Decr. Greg.*, l. V, t. XIX, *De usur.*, c. v. — Quæ distributio fieri debet pauperibus loci, ubi læsio facta est, si verosimiliter speretur, quod ita res sit ad dominos perventura.

³ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 28; et *Op. Mor.*, l. III, nn. 595 et 554, quæst. 2^a.

dummodo aliunde oppidani possint sibi commode providere. Ilac tamen prohibitione data, communiter docent cum Bonacina, Filliucio, Laymano, Lugo, Molina, Salmanticensibus, Sanchez et Soto, quod non peccat, saltem graviter, incola in eadem communitate contra prohibitionem illam ligna cædens: neque tenetur ad restitutionem, nisi magnam fecit lignorum stragem, sed tenetur tantum ad pœnam post judicis sententiam; talis enim prohibitio habetur uti pure pœnalis, sicuti fert communis atque recepta consuetudo¹.

Diximus: nisi magnam faciat lignorum stragem; tunc enim excederet in jure suo particulari et restituere deberet communitati læsæ (nempe pauperibus vel pio instituto loci ipsius, cum restitutio ordinarie alio modo nequeat fieri). Hæc tamen ut magna dicatur non est attendenda gravitas materiæ in se, sed damnnum quod ipsi infertur Communitati. Hinc videtur non peccare saltem mortaliter qui sibi comparat unam sarcinam singulis diebus pro uso proprio, vel duas singulis hebdomadibus etiam ad vendendum; quia quod dives accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum, ut vivat (U).

145. Q. 6. Quid sentiendum de furto uxoris?

R. Uxor furti rea non est subducendo aliqua pro victu, vestitu, ceterisque familiæ necessariis, quæ sæpe mariti non intelligunt, vel nolunt intelligere; et ideo frustra ab illis peterentur, vel non nisi cum rixarum periculo; imo etiam consuetudo tale jus eidem concedit². Sane uxor non est mancipium, sed socia viri; ergo plane expers esse non debet administrationis domesticæ; etiamsi viro uti capiti subjecta sit.

tamen esse debet in ea mensura, quam proprius status concedit, et quam communiter tenere solent ejusdem con-

¹ Id tenet etiamsi quis ligna cædat de sylvâ alterius Communitatis vicinæ, ut Filliucius, Lugo et Molina docent; quia illa communitas videtur esse contenta illius pœnæ, quam a cædentibus exigit; et hoc præsumitur cum læsa silet, neque damni per lignorum cæsuram sibi met irrogat, compensationem curat. Quod autem dictum est de sylvis quoad scissionem arborum, dicitur etiam de agris ac pratis quoad pascenda animalia. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 529. — Ferraris, v^o *Pascua*.

² Recte monent, ne Confessarius in concedendis ejusmodi expensis, quæ viro nesciente fiunt, facilis sit, eo quod uxores propensæ sint ad jura sua plus æquo extendenda. *Stapf*, § 443.

ditionis timoratæ uxores; nam si uxor, marito rationabiliter invito, vel ejus voluntate non satis prudenter præsumpta, frumenta, pecunias et hujusmodi in notabili quantitate impenderet in eleemosynas, donationes, itinera, ex bonis nempe, quæ subjacent administrationi mariti, peccaret graviter; cum præter injuriam, quæ marito ipsi irrogaretur, familiæ etiam præjudicium non leve ex nimia illa liberalitate certo impenderet.

Neque dicas uxorem et maritum æque posse administrare, cum jura sint æqualia. Respondet enim Angelicus: *Quamvis mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad dispositionem domus pertinent, vir caput est mulieris secundum Apostolum I Corinthiorum n^o 11.* Verum ut teneatur ad restitutionem uxor, major bonorum quantitas sublata requiritur, quam in aliorum furtis extraneorum; cum maritus non adeo sit invitus.

Quid si uxoris pater, mater vel proles ex alio matrimonio suscepta egeat? Ubi maritus nolit ipsis opitulari, poterit id facere uxor etiam ex communibus bonis, si propria non habeat; jure enim nature tenetur eosdem alere, et maritus debet consentire. Hanc facultatem extendunt etiam ad fratres et sorores Lessius, Lugo, Molina, Sanchez alique³; adde jus civile⁴. Neque uxor hæc bona in tali necessitate tributa referre debet, cum venerit in mariti hæreditatem, vel cum dotem suam recuperaverit, si sint parvi momenti; quia tunc habentur ut eleemosynæ communes. Si tamen sint alicujus momenti, tenetur ea recompensare filiis secundarum nuptiarum.

146. Quid (dices) si maritus ipse notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendat; teneturne ad restitutionem?

Prima sententia probabilis affirmat. Ratio est, quia licet maritus habeat administrationem bonorum; uxor tamen habet dominium dimidiæ partis illorum, et proinde jus illud violatur, si ipsa rationabiliter invita pars illa a marito dissipetur. Secunda sententia etiam probabilis negat generatim, nisi maritus excedat limites juris ipsi a lege concessi. Ratio

¹ 2, 2, q. 52, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 541.

² V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 53; *Op. Mor.*, l. III, nn. 539 et 546.

³ C. Ped., art. 119. — C. G. 206. — C. S. 192. — C. P. 109. — C. M. 152.

est, quia uxor ex lege non habet jus strictum, nisi ad suam partem bonorum, quæ, soluto matrimonio, extabunt; nec tenetur maritus reddere rationem suæ administrationis. Unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios; non tamen peccat contra justitiam proprie dictam, quæ restitutionis obligationem inducit.

Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem per facultatem quæ ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postulando; et interim bona caute abscondere, ut in utilitatem familiæ servet.

147. Q. 7. *Quid de furtis filiorum familias?*

R. Filiifamilias graviter peccant, si invitis parentibus, ex bonis domesticis sibi surripiant summam notabilem; non enim sunt bonorum illorum domini. Hinc in Scriptura legimus: *Qui subtrahit aliquid a patre suo et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*¹. Unde si cohæredibus noceant notabiliter, tenentur sub gravi ad restitutionem ex bonis castrensibus vel quasi-castrensibus, si quæ habeant; vel quantitatem rei ablata conferendo in divisionem hæreditatis post mortem patris, nisi pater ipse expresse aut facite restitutionem remiserit, et remittere potuerit: quod præsumitur juxta Lessium, si furtum jam si consumptum, nec ideo filius ditescerit.

Quod si filius sit solus, neque habeat cohæredes, Sanchez eum liberat ab omni onere restitutionis, quia pater in hoc

¹ Prov. xxviii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 543; *Homo Apost.*, tract. X, n. 52. Parentes in hac re delinquentes filios graviter puniant, atque ipsis continuo invigilent; pessima enim ac probrosa furandi consuetudo difficile rumpitur, atque tristissimos exitus habet. Hinc reprehendendi genitores illi, qui aliquid domum deferentibus eorum filiis, leviter acquiescunt ipsorum futilibus rationibus: principiis fortiter obstant, neque sinant, ut vel quid minimum surripiant quocumque pretextu. « Les vols (ita in *Metodo per la direzione delle anime*, ecc.) que les fils de famille font à leurs parents sont non-seulement des péchés d'injustice, mais ils ouvrent la voie à des fautes plus grandes: on les commet ordinairement pour satisfaire à la vanité, à l'intempérance, au jeu, aux orgies et autres excès; le curé en inspirera l'horreur aux jeunes gens et cherchera à les en préserver. Il s'éleva aussi avec force contre ceux qui achètent ou recèlent les objets dérobés par les fils de famille. »

casu censetur minus invitus, et aliunde filius est aliquid patris.

Sed quænam summa (dices) erit in furtis filii censenda tanquam notabilis? Dicunt Lessius, Navarrus et Filiucius, etc., non peccare graviter filium, qui patri diviti furatur duo, aut tria scuta; imo dicit Bannez quod a patre valde opulento non est mortale furtum, nisi ascendat ad 50 scuta; sed hoc rationabiliter respuunt De Lugo et La Croix, nisi esset filius Principis. Et idem dicit Holzman, qui contra admittit non esse grave surripere decem scuta a patre nimis divite; Sanchez admittit usque ad sex. Si vero pater mitteret filio, qui alibi studeret, centum scuta, dicunt probabiliter Sotus, Navarrus, Layman, etc., filium posse impendere quinque eorum in honestas recreationes.

Ex lege civili non datur actio pœnalis patri vel marito in filiorum furtis, aut uxorum, et vicissim. Item neque in furtis inter fratres et affines in eodem gradu qui simul convivant. Cooperatores tamen extranei a lege puniuntur⁴.

148. Q. 8. *Quid sentiendum de famulorum furtis?*

R. Si famuli esculenta et poculenta domo exportent in materia gravi, aut divendant, graviter peccant et tenentur ad restitutionem; cum domini graviter et jure sint inviti. Si vero domi consument, facilius excusantur, nisi sint pretii extraordinarii; quia dominus, maxime si non sit ita tenax, in his, ut plurimum, esse solet magis invitus circa modum illum occultum, quam circa rerum substantiam; sciunt enim domini id communiter evenire, attenta humana fragilitate: ad modum quo operarios in vineam conducens scit, uvas ab iis esse comedendas ad saturitatem: nam quis bovi trituranti os alligabit?

Si famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, peccant mortaliter; nec major quantitas requiritur, quam in aliorum furtis. Imo eorum furtum qualificatum est, ac jure civili gravius punitur²; cum domini sint maxime inviti, et famuli ipsorum abutantur confidentia.

Sed quid (quæres) si famuli non impediunt furta in rebus

⁴ Cod. pœn. Gall., art. 580. — ² Cod. pœn. Gall., art. 586.

dominorum? Tenentur ipsi restituere, si furtum fiat ab extraneis; nam ex officio tenentur rem dominorum tueri: ac ideo valde probabiliter omnes obligantur etiam in solidum. Si vero furtum fiat ab aliis domesticis, adhuc tenentur, si res sit ipsi commissa specialiter, vel se obligaverint, vel teneant præsidentiam totius domus; nam tunc habent determinatum onus. Si secus, licet alii item affirmant cum Bouvier generali ratione famulatus; alii tamen negant communius et probabilius cum Lessio, Lugo, Holzman, Salmanticensibus, Vogler, etc., quia res domini tueri a domesticis ex justitia non obligantur, sed solum ex præcepto generali charitatis, justitia enim respicit extraneos¹.

Quid vero, si famuli equis armentisque quæ curanda suscepunt, clam et invito domino, melius largitusque pabulum præbeant, ut eadem vegeta et pingua conservent? Equidem probi famuli est, ut quandum ad res sibi concreditas non nisi voluntatem domini exequatur; si tamen portio, quam dominus determinat ex judicio peritorum aperte insufficiens videatur ad fines quos dominus ipse intenderit, assequendos, famulus generatim excusari potest, si ea tantum surripiat quæ videntur necessaria. Ast sæpe stulto quodam amore erga animalia ducti contra certam domini voluntatem plura illis præbent quam oportet, sicque veri nominis furtum committunt. *Stapf*, § 446.

149. Q. 9. *Quænam excusant a furto?*

R. Duo a furto excusant: necessitas atque compensatio.

1. Nominè *necessitatis* a furto excusantis non intelligitur necessitas ordinaria, quam communiter patiuntur pauperes hostiatim viventes; alioquin nihil esset magis commune quam furtum. Neque gravis, si grave nempe secus damnum timeatur, v. g., gravis infamia, dedecus, aut e proprio statu juste acquisito decidendi periculum; hanc enim facile quisque fingere potest. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 56 propositio: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

Tantum extrema necessitas hic intelligitur, et est quando vita ipsa perichitatur; quod tamen raro evenit: at si quando eveniat, eum qui tali laborat necessitate, posse per se alie-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 344 et 345.

num surripere quantum satis est ad se liberandum ab illo mortis discrimine (quin teneatur petere), docent communiter cum Lugo, innixi auctoritate et ratione D. Thomæ. Sane tunc omnia bona sunt communia; jus enim gentium, quo bonorum divisio facta fuit, non potest derogare juri naturali, quod cuique competit vivendi in extremis de quibuscumque bonis¹. Et idem dicunt de necessitate proxima extremæ, aut illi æquivalenti; qui enim in ea constitutus est, potest sibi mediis quibus valet, providere, cum in moralibus parvi non habeatur æstimatio. Talis esset necessitas illius, qui vel est in probabili mortis periculo, aut amittendi membrum aliquid principale, aut aliquem sensum, puta oculum, vel est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem sive pœna trimium, in gravissimam aut perpetuam infamiam ac morbum. — Id autem quod licitum est auferre pro necessitate propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum. Quidam addunt fratres et sorores si adhuc isti sint in tenera ætate, et sibi aliter providere nequeant².

2. *Compensatio* impropria, quæ definitur: *Acceptio rei alienæ sibi debitæ, inscio debitore*³, licita est sub debitis conditionibus; sic enim redditur unicuique suum. Conditiones sunt: — 1. ut debitum sit ex justitia; si enim esset ex charitate vel gratitudine, non esset rigorosum debitum justitiæ; — 2. ut nequeat recuperari neque via juris neque alio modo sine notabili damno et molestia, aut sine gravi offensione aut inimicitia; secus bono publico expedit, ut nemo sibi jus di-

¹ *Quæ sunt juris humani non possunt derogare juri naturali, vel juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina Providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem et appropriationem ex jure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus.* Angelicus, 2, 2, q. 66. — V. plura, ut infra.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 51; et l. III, nn. 520 et 701. Probabilius hæc extrema necessitate non laborat qui ob inopiam est in periculo prostituendi filiam; quia potest alia via, v. g., mendicando suæ necessitati subvenire. Si vero vir honoratus puderet laborare vel mendicare, an possit de alienis surripere, disputant, videtur probabilius posse, si pudor esset tantus, ut potius mortem subiret.

³ Quoad compensationem propriam vid. dicta de *Restitut. in genere*, c. v

cat. Hoc tamen omittere est tantum veniale; quia defectus non esset nisi in modo; — 3. ut sit liquidum, nempe clarum, certum et sine exceptione; alioquin semper melior est conditio possidentis; — 4. ut compensatio fiat in re debitoris. Secus esset cum damno tertii: uti contingeret, si fieret in re deposita vel commodata; — 5. ut debitor quantum fieri potest moneatur de debiti sui extinctione, ne ipse vivat in conscientia erronea.

Attamen cum hæc res sit plena periculi et hallucinationis, bonum erit, si numquam fiat sine consilio Directoris vel Confessarii, cui innotescant singulæ circumstantiæ, personarum præsertim et rerum¹.

150. An (quæres) possit famulis permitti, ut sibi occulte compensent in bonis domini, si non satis sibi tribui prætendant?

R. Negative generatim loquendo; hoc enim semel admissio, furta passim inducerentur. Unde Innocentius XI hanc sub n. 37 damnavit propositionem: *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Quare non facile famuli audiantur, qui fere semper solent conqueri ac propriam miseriam exaggerare. — Diximus generatim loquendo; nam Salmanticenses hanc Pontificis condemnationem explicando docent: 1. quod famulus nihil quidem possit sibi occulte compensare, si absque necessitate libere convenit cum domino de stipendio minori: tunc dominus illi dicere potest: *Nonne ex denario convenisti mecum?* Possit tamen aliquid, si ex necessitate, id est si ad levandam miseriam convenit de salario notabiliter minori, quod injustum sit; non enim Pontifex intendit obligare contra justitiam²;

¹ « Verum etiamsi (notat ad rem toties relatus *Stapf*, § 449), omnes hæc conditiones adsint, leges tamen civiles tali compensationi parum favent, utpote quod ordo juris negligitur, atque discussio causæ ad privatum exactoris judicium defertur. Unde etiam in Confessionali, ubi hujus generis casus exponuntur, nos cautissimos esse oportet, ita ut eam vix unquam consulere et raro permittere expediat. At vero compensationi jam factæ, si quidem nullæ ex necessariis conditionibus desiderantur, eatenus connivere licet, ut penitens ad restitutionem haud obstringatur. »

² Quod tamen ita accipiendum est, tum quod dominus alios famulos pro

2. quod famulus, si ex sui electione operas augeat, nihil possit sibi compensare: tunc censetur operam suam condonare ad domini benevolentiam conciliandam. Si vero operas augeat ex domini voluntate expressa vel tacita, compensatio erit concedenda; quia *dignus est operarius mercede sua*.

151. MONITUM pro confessariis circa furta. Inquirant Confessarii a fure: 1. quantitatem; 2. intentionem plus furandi, si habita fuerit; 3. damnum extrinsecum, seu lucrum cessans et damnum emergens; 4. si revocavit intentionem furandi, et adhuc furatus sit; vel si revocavit intentionem rem alienam retinendi, sed adhuc retinere voluit, ac retinet; 5. ex Billuart an a paupere, vel divite furatus sit. At non præsumant animarum Directores individuales casus certo resolvere, hoc est mortale, hoc veniale, nisi id constet aperte; sed plerumque expedit cum S. Augustino suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re a penitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiunt¹.

152. An autem sit explicanda circumstantia filii, si ille a patre furatus sit, negandum cum Lugo, quia furtum non opponitur regulariter contra id quod filius debet peculiariter patri, id est non opponitur graviter et directe contra virtutem pietatis, reverentiæ et amoris parentibus debiti, sicut opponitur contumelia, vulneratio, odium et similia. Diximus regulariter; nam aliquando potest utique graviter opponi, v. g. si filius auferret a patre tantam substantiæ partem, ut paler reduceretur ad egestatem, vel si pater pateretur multum hac de causa circa statum et conditionem suam.

eodem parvo pretio juste non invenerit, tum quod famulus seipsum ultro non obtulerit pro pretio illo, eumque dominus non susceperit ex pietate, et ex bona quadam animi indulgentia: unde in hac re caute procedendum est. Etsi autem satis sit probabile, quod famulus ipse, si prudens, et timoratus, vere aptus sit ad recte judicandum de justitia compensationis, hoc tamen non ita subito ac facile admittendum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 522 et seq.

¹ *Examen raisonné*, vol. I.

APPENDIX

DE JUSTITIÆ FILIABUS AC CETERIS VIRTUTIBUS
CARDINALIBUS

CAPUT PRIMUM

DE PRÆCIPUIS JUSTITIÆ FILIABUS

Art. I. — De pietate, observantia, obedientia
et veracitate.

153. Q. 1. Quid pietatis et observantiæ nomine?

R. Ad 1: *Pietas* late idem sonat ac *vitiæ bonitas et morum integritas*, ita ut ille *pius* dicatur, qui probitate et innocentia præstat: est etiam Spiritus Sancti donum, pro prompte movemur ad Dei cultum. Si vero pietas strictè accipiatur, ex D. Thoma est *virtus moralis, qua bene animo afficimur in parentes, atque in patriam nostram*: in parentes, a quibus gignimur et gubernamur; in patriam, in qua nati sumus et educati (*patria dicitur quasi terra Patrum*). Ad parentes reducuntur *consanguinei, qui referuntur ad principia nostri esse*²: ad patriam referuntur concives propter eorum cum ipsa conjunctionem.

R. Ad 2: *Observantia est virtus moralis, qua personis dignitate præstantibus debiti honoris signa et reverentiæ argumenta deferimus*. Sane non eos solos debemus in societate colere et revereri, qui nobis præsent ex officio; sed etiam illos, qui ratione quacumque præminent sive ætate, sive sapientia et doctrina, sive honoris et muneris gradu, etc. *Est debitum morale, inquit Angelicus, quod ex quadam honestate debetur: et hoc modo debemus cultum et honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiamsi non simus eis subjecti*³.

¹ V. Orsini, *Les fleurs du ciel*.² S. Thomas, 2, 2, q. 101 et 105. — V. Roberti, *Dell' amor della patria*. — Porioni, *Difesa della patria*. — Stapf, § 500. — Chateaubriand, *Génie*, etc., .v. c. xiv. — Taparelli, *Saggio teorico*, ecc., nn. 945, ecc. — Lacordaire, *Lettres sur la vie chrétienne*, in fine. — *Civiltà cattolica*, ser. I, t. VII; lo Stato e la Patria. — Stapf, § 500, ubi plura et præclara. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Civis.³ I. c., q. 102.

154. Graviora præcepta pietatis et observantiæ sunt: — 1. ut debitus cultus et honor parentibus, patriæ, superioribus et singulis in dignitate constitutis, vel clara aliqua prærogativa fulgentibus, exhibeatur verbis et factis. Diximus *debitus cultus*, ita ut justitiæ dictamini ac moderationi subjiciatur; non enim raro in hoc cultu deplorantur excessus: v. g., quot sunt qui vitioso patriæ amore ducti aliorum jura pessumdant, religionis præcepta conculcant, æterna fata contemnunt, fraudulentis, feroces, blasphemis¹! — 2. ut molestiæ, quas nobis vel difficiles consuetudine vel ingenio nimis interdum fastidiosi afferunt, æquo animo ferantur, neque ideo debita ipsis officia prætermittantur: *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua*²; — 3. ut illa ipsa officia cum quodam jucunditatis sensu et animo lubenti persolvantur; quod quidem meritum operis auget.

155. Q. 2. Quid est obedientia?

R. *Obedientia est virtus moralis, quæ reddit promptam hominis voluntatem ad exequendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis*: ita Angelicus³. Speciale ergo obedientiæ objectum est præceptum superioris tam si expressum sit, id est verbis voluntatem ejus clare manifestantibus; quam si sit tacitum, id est signis ad illam voluntatem indicandam. Hoc tamen intellige, modo divinæ voluntati non adversetur; nam secus obtemperandum potius est Deo, dicente D. Petro: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*⁴; quando enim a superiori principio certe movemur, inferius suam amittit vim.

In se et ratione sui objecti una est obedientia; sed ratione superioritatis, a qua procedit præceptum, quadruplex distingui potest: civilis, ecclesiastica, domestica et sacramentalis. *Civilis* in eo consistit, quod populi Principi et Magistratibus subjiciantur, legesque servant ad commune civium bonum promulgatas; ex quo oritur tam ipsius Reipublicæ quies, quam etiam subditorum salus. *Ecclesiastica*, per quam fideles in rebus ad Religionem pertinentibus obtemperant Sacerdotibus atque Prælatibus; ex qua et doctrinæ puritas et fidei unitas conservatur. *Domestica* qua uxores maritis, filii parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus parent: ex qua pendet omne familiarum bonum et pax. *Sacramentalis*, per quam fideles in Sacramento Pœnitentiæ sub-

¹ V. Castruccio Bonamici, *De bello italico*. Huc etiam revocatur nimis ille patriæ amor, ut ejus abcessus ad notabile tempus luctuose influat in corporis sanitatem, quod maxime de Helvetiis evenire solet. — V. Roberti, *Dell' amore della patria*.² Eccli. iii. — ³ 2, 2, q. 104. — ⁴ Act. v.

jacent et obediunt proprio Confessario: et sic consulitur conscientiarum tranquillitati.

Obedientia civilis, ecclesiastica atque domestica dicitur necessaria, quatenus in arbitrio nostro non est eligere Principem, Episcopum et parentes, quibus obtemperemus. Sed obedientia sacramentalis dicitur voluntaria, non quatenus sit in nostro arbitrio eam præstare vel negare; sed quatenus generatim pendet a nobis electio Confessarii⁴.

156. Obedientia venit profecto sub præcepto gravissimo:

1. Civilis; in Scripturis legimus²: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: admone illos Principibus et Potestatibus subditos esse*;

2. Ecclesiastica; de hac porro Christus ait: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*³.

3. Domestica; Apostolus clamat uxoribus: *Subditæ estote viris sicut oportet in Domino. Filiis: Obedite parentibus per omnia. Servis: Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum*. Singulis: *Obedite præpositis vestris*⁴.

4. Sacramentalis: in iis quæ respiciunt animæ directionem in Sacramento Penitentiae, Confessarius est solus legitimus superior, cui a Christo facultas facta est: *Quæcumque solveris super terram, soluta erunt et in caelo, et quæcumque retinueris, retenta sunt*⁵.

Maxima autem est obedientiæ præstantia, eamque Christus toto vitæ suæ curriculo in se ipso expressit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Imo melior est obedientia, quam victima⁶; ac merito, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur, ut ait D. Gregorius. Et S. Augustinus vocat legitimam obedientiam virtutem, quæ in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum⁷.

157. Tres sunt obedientiæ regula seu gradus, ut vocant:

1. *Animi alacritas*: quæ in eo consistit, quod obediens præce-

⁴ V. S. F. de Sales, *Introduction à la vie dévote*, c. xi.

² Rom. xiii; et Tit. iii. — Excipe, nisi civilis lex pugnet cum lege Dei vel Ecclesiae; nam si pugnet, ex eadem Scriptura (Act. v) oportet magis obedire Deo quam hominibus: atque ideo animo excelso et invicto injustis laicæ potestatis legibus obsistendum est.

³ Luc. x; et Matth. xviii. — ⁴ Coloss. iii; et Hebr. xiii.

⁵ V. Liguori, *Sermone compendiatæ*, t. I, serm. xxv, ubi duo: — 1. *Combien celui qui obéit à son confesseur est assuré de son salut*; — 2. *en quel péril se trouve celui qui ne lui obéit pas*.

⁶ Philipp. ii; et I Reg. xv. — ⁷ *De Civ. Dei*, l. XIV, c. xii.

ptum, licet videatur humile, molestum, intempestivum, impleat expeditè, exacte et animo volenti: *Cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus*¹. Nec sane est vere obediens qui præceptum complet fastidiose, querulus, susurrans: *Si moleste cæperis sustinere*, ait D. Bernardus, *si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est virtus obedientiæ: sed velamentum malitiæ*. Iterum: *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem*².

2. *Animi simplicitas*, quam sic indicat Apostolus: *Obedite in simplicitate cordis vestri*³. In eo autem posita est, quod quisque superioris præceptum impleat cum certitudine sic implendi voluntatem Dei quin ultro inquirat: *Imperfecti cordis et infirmæ prorsus voluntatis indicium est* (ait S. Bernardus) *statuta seniorum studiosius discutere, hærerere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, aut nolle libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit*⁴. Contra tam insignem obedientiæ prærogativam peccant ut plurimum adolescentes, qui licet nondum satis domitas habeant cupiditates, neque satis judicii maturitate et rerum experientia præditi sint; eminere tamen volunt supra seniores, eorumque et dicta et facta vituperare, irridere atque aspernari mandata⁵.

3. *Animi hilaritas*: tertius gradus obedientiæ est hilariter obedire: non ex tristitia, inquit Apostolus, non ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus... *Serenitas in vultu; dulcedo in sermone multum colorat obedientiam obsequentis...; quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur amaritudo*⁶?

158. Quid (dices) de illa obedientia, quam cæcam appellant? Hæc obedientia in eo consistit, quod subditus mandata Superioris sui, in quo Deum ipsum sibi exhibet, quoties conjuncta non sint cum peccato manifesto, promptè exequatur sine ulla sive intrinseca sive extrinseca discussione, totum se ipsi quasi Deo tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem subjiciens: et ideo cæcam appellant. Ejus

¹ Ephes. vi. — ² Serm. iii, in *circumc.*; et *De obed.*, serm.

³ II Cor. i. v. *Staph.* § 552. — ⁴ *De præcept. et dispensat.*

⁵ Ex quo illud oritur, quod educatores sæpius dolenter animadvertunt, ut nempe juvenes quidam plurium annorum spatio in disciplinam traditi, nihil utique prætermittant eorum quæ jubentur; nunquam tamen obedientiæ habitum sibi comparent, et vix e disciplina et schola egressi pessimam animorum affectionem ostendant, vera Reipublicæ pestis, dedecus communitatum et familiarum ruina.

⁶ D. Bernardus, *Serm. de obed.* — V. Bourdaloue, *Pensées diverses*, h. tit. — Rodriguez, *Exercices*, etc.

exemplum habemus in Abraham Patriarcha, quando Deus eidem præcepit, ut suum sibi filium Isaac immolaret. Item in S. Josepho Sponso Beatissimæ Virginis Mariæ, quando ad vocem Angeli *consurgens accepit puerum et matrem ejus, et secessit in Ægyptum*. Unde si quem delicatulum hoc nomen offendat, ipse poterit nomen mutare, non tamen rem illo nomine significatam. Nonne et ipsi milites hac obedientia adstringuntur? et tamen nemo hoc obsequium irrationabile vocat. Sanè quid Respublica, si omnes subditi jus haberent inquirendi de justitia, honestate ac congruentia legis? Est ergo cæca obedientia rationalis ac logica: ac nedum improbetur, imo laudibus efferenda, utpote quæ efficit, ut homo vere totum *abneget semetipsum* Deo suo. Hinc scimus ipsam valde in deliciis fuisse sanctis Ordinum Religiosorum Fundatoribus, qui obedientiam cæcam suis in constitutionibus ab Ecclesia solemniter approbata summopere commendarunt. Utinam ergo fieret communior et universalis! sed quia deficit amor, ideo et obedientia deficit (V).

159. Obedientiæ opponitur contumacia, quæ *inobedientia* nuncupatur, et est *voluntas agendi contra præceptum superioris*. Cum ex philosophorum adagio *eadem contrariorum sint consequentia*, patet tot mala ex hoc vitio oriri, quot ex obedientia enascuntur bona. Hac videlicet peste evertuntur familiæ, perturbantur communitates, labefactatur Respublica, nutriuntur cupiditates, et omnia foventur vitia ad perniciem tam animæ quam corporis. Illud etiam malum est tristissimum, quod qui abjicit obedientiam, cum voluntatem suam propriam sequatur tanquam unicam rerum agendarum normam, reddit se Deo execrabilem, dicente ipso Deo: *Sicut gentes quas delevit Dominus... ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis*¹. Sed contumacia eo magis præ ceteris nocet adolescentibus, quippe qui per hoc vitium sibi præcludunt viam ad suscipiendam disciplinam et sapientiam; sicque incidunt in illud: *Disciplinam qui abjicit, infelix est*².

160. Q. 3. Quid sentiendum de veracitate?

R. Veracitas est virtus, quæ *id sibi propositum habet, ut in significandis nostris cogitationibus res enuntiemus cujusmodi sunt, vel cujusmodi esse putamus*. Ex quo patet discrimen veracitatem inter et veritatem: nam veritas toti sumitur ex conformitate iudicii cum ipsa re iudicata; veracitas autem spectat potissimum conformitatem locutionis cum mente ipsiusmet hominis loquentis; prima tota est objectiva; altera subjectiva. Verax iccirco esse potest etiam qui falsum dicit, si

¹ Deut. 1.

² Sap. III. — V. Liguori, *La monaca santa*. — Scaramelli, *Direttorio ascetico*.

nempe putet se verum enuntiare: sicut et mendax esset, si verum pronuntiaret putans se dicere falsum. In veracitate naturalis honestas inest, uti naturalis turpitudine est in mendacio: *Verba sunt instituta* ait Augustinus, *non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitium cogitationes suas proferat; verbis igitur uti ad fallaciam peccatum est*¹.

Adde: ad mutuam inter homines societatem veracitas prorsus est necessaria; societas enim consistere nequit, nisi homines sibi invicem credant. Quare Apostolus: *Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque proximo suo*². Hæc etiam nos similes Deo reddit: *Nam principium verborum tuorum veritas*³.

161. Veracitati opponitur mendacium, quod definitur: *Locutio vel significatio contra mentem*⁴. Pertinet ad ejus naturam, ut qui mendacium profert, aliud clausum in pectore teneat, et aliud exterius verbis vel signis exprimat. Sed non requiritur etiam animus fallendi; *mentiri* enim dictum est quasi ex verbo *contra mentem ire*. Diximus *locutio vel significatio*, ut indicemus mendacium confici tam ore, nempe verbis, scriptis et nutibus; quam facto, quod *simulationem* appellant. Sic mentitur facto qui, cum mortali odio interius exardescat contra aliquem, eum tamen exterius verbis amicitia adhuc prosequitur. Ad simulationem, seu ad mendacium facti pertinent *jactantia, hypocrisis atque adulatio*, etc.

Omnibus nota est mendacii divisio in *jocosum*, quod patrat ob nostram vel aliorum voluptatem; in *officiosum*, quod patrat ob nostram vel aliorum utilitatem; in *periculosum*, quod patrat in injuriam alterius damnificationem⁵.

162. An (quæres) omne mendacium sit peccatum?

R. Docuerunt ex Græcis nonnulli, uti Origenes, Cassianus, Theodo-

¹ Ench., c. xxii. — ² Eph. iv.

³ Ps. cxviii; vid. Stapf, § 369.

⁴ De mendacio prolato in Confessione erit in tract. *De poenitentia*; de locutionibus vero æquivocis, jam actam est in tract. *De Virt. Religionis*, ubi de juramento.

⁵ Grotius putat non aliter mendacium definiri posse quam *repugnantiam* (non cum veracitate aut veritate) sed *cum jure existente et manente ejus ad quem sermo aut nota dirigitur* (lib. De jur. bell. et pact. III, c. 1, § 11); et ideo dicit esse licitum quotiescumque sit utile ei, ad quem dirigitur, v. g. quando dirigitur a superiore ad inferiorem, quando profertur ad salvandum innocentem, etc. Sed Grotiana hæc definitio admitti non potest, cum mendacium sit evidentissime contra naturam et commune societatis bonum: utraque scilicet clamat cum poeta: *Odi etenim cœu claustra Erebi quicumque loquuntur ore aliud tacitoque, aliud sub pectore claudunt*.

retus, esse licitum mendacium ob urgentem necessitatem. Sed hic maxime veniunt Priscillianistæ, penes quos celebre erat hoc effatum ad suam occultandam hæresim: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Contra quos omnes dicimus, mendacium in omni casu esse peccatum. Probatur:

1. Scripturis: *Verbum mendax justus detestabitur: omne mendacium ex veritate non est: mendacium fugies: perdes omnes qui loquuntur mendacium*¹; atqui omne illud quod justus debet fugere, detestari, quod non est ex veritate, etc., peccatum est: cum ex natura sua adversetur Deo, qui est summa veritas.

2. Patribus: clamat D. Ambrosius, *Os justum mendacium nescire*². Et S. Thomas: *Non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet*³. Quare merito Alexander III aperte docuit mendacium quocumque prohiberi etiam ad vitam alterius salvandam⁴.

3. Ratione: si enim homo in casu aliquo mentiri licite posset, Deus diceretur mendacium illud approbare; imo in tali casu Deus ipse posset mentiri; atqui hæc duo repugnant: veritas enim est essentialiter perfectio naturæ divinæ. Adde inordinationem manifestam in mendacio quocumque: istud enim pervertit naturalem institutionem et finem locutionis, quæ non in finem alium creaturis intelligentibus concessa est, nisi ut possint sensus suos sibi invicem communicare.

Mendacium si neque proximum neque Deum graviter lædat, neque grave scandalum pariat, veniale est, uti de mendacio jocoso et officioso tradit D. Augustinus⁵: in hoc enim adest tantum inordinatio levis; cum ea non opponatur charitati. Mendacium vero perniciosum, quod graviter lædat proximum aut Deum, vel grave scandalum pariat, erit mortale ob rationem contrariam. Et de hoc intelligitur illud⁶: *Sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam*.

163. Q. 4. An aliquando licita sit simulatio?

R. Simulatio *formalis*, nempe cum quis intendit per factum externum aliud significare, quam quod in animo habet, illicita est: quia est verum mendacium facti⁷. At simulatio *materialis*, scilicet cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem

¹ Eccl. vii; et Epist. Joann. i, c. ii; et Exod. xxiii; et Ps. v. — Ferraris, v^o Mendacium.

² L. II, in c. i. Lucam. — V. Stapf, § 370. — ³ 2, 2, q. 110, a. 3.

⁴ Decr. Greg., l. V, t. XIX, *De usur.*, c. iv. — ⁵ In Ps. v.

⁶ Sap. i. Quod de mendacio dictum est, ad simulationem quoque, jactantiam et similia extendi debet, quippe quæ sunt mendacia facti.

⁷ S. Thomas, 2, 2, q. 111, a. 1.

suum finem, licita est cum causa, semper ac ex circumstantiis alii possint conjicere ad alium finem id agi. Sic Josue licite fugit non intendens significare metum, sed ut hostes longe abducerentur ab urbe Hai, et reliqui milites irruerent in urbem¹. Ita Christus *finxit se longius ire*², non intendens ut Discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum longius, nisi ab eis invitaretur.

164. Simulatio confundi non debet cum reticentia et taciturnitate. Officium *reticentiæ* in eo consistit, ut cognitiones et notitiæ quæ audientibus periculosa vel noxia videntur, iisdem celentur; ad quod quidem semper charitas, sed et aliquando justitia nos impellit: hinc illud *est tempus tacendi*. Quod si in loquendo nos cautos esse oportet, quanto magis, dum sensus nostros litteris consignamus? scripta manent.

Officium *taciturnitatis* generatim prudentem verborum parcimoniam, et præcipue justam curam in celandis tum nostris tum aliorum arcanis designat. Etsi candor animi et sinceritas plurimum commendari mereantur; in præsentem tamen hominum corruptione, multa simul circumspectio requiritur. Non loquimur tamen de vitiosa illa taciturnitate, quæ honestam conversationem fastidit, socios fugat, difficilis, tenax; melancholia nimis tristes effectus habet, maxime in juvenibus: hinc Philippus Neri: *Ni scrupules ni melancolies*³.

Art. II. — De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate.

165. Q. 1. Quid dicendum de gratitudine et benevolentia?

R. Ad 1: Gratitudo seu gratia est virtus, quæ tum beneficiorum quibus affecti sumus, memoriam retinet, tum iisdem remunerandi voluntatem habet. Sane post Deum parentes, patriam et superiores nostros natura illis peculiariter animo adstrictos esse nos docet, qui nos beneficiis suis exornaverunt: *Si ab aliquo benefactore aliqua peculiariora beneficia percipimus, ait Angelicus, illi per hæc peculiariter obligamur ex debito honestatis... ideo justitiæ adjungitur gratitudo*⁴. Hanc virtutem commendabat Paulus inquit: *Grati estote*⁵.

Duplex gratitudinis præceptum: 1. ut cum possumus, paria et etiam majora beneficia referamus; 2. ut cum referre non possumus, sal-

¹ Jos., c. viii.

² Luc. xxiv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 471.

³ V. Stapf, § 375, 376, 626. — Lombez, *Dell'allegrezza cristiana*.

⁴ 2, 2, q. 106. — ⁵ II ad Thess. vi.

tem gratias agere et constanter habere satagamus¹. — Gratitude opponitur *ingratus animus* et *egoismus*, cujus est vel acceptum beneficium dissimulare, vel non estimare satis, vel vituperare, vel habere, quod pejus est, pro maleficio. *Hoc tu cave tanquam maximum crimen*, inquit Seneca², Et Aristoteles ait nihil pejus de aliquo dici posse, quam ipsum de ingratitude arguere: *Dixeris cuncta maledicta, si ingratum dixeris*.

R. Ad 2: Benevolentia, ut nomen indicat, est illa animi affectio, qua aliis bonum volumus et optamus. Ad eam nos impellit tam natura, quæ homines considerat quasi communis ejusdem civitatis incolæ, et ejusdem corporis membra; quam Religio, cujus sane illud est præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*³.

166. Q. 2. Quid est amicitia, et quotuplex?

R. Ad 1: Amicitia dici potest *mutuus, manifestus et gratuitus amor inter aliquas personas, quæ sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare desiderant*⁴. Quibus patet: — 1. discrimen maximum inter amorem proprie dictum et amicitiam; ille enim esse potest non mutuus, imo etiam non notus persone, quæ amatur; et ideo fit ut in amicitia semper sit amor, sed non semper in amore amicitia; — 2. ad amicitiam requiri mutuam honestorum bonorum communicationem, sine qua amicitia esse nequit; imo corruptela potius dicenda foret, quam amicitia⁵; — 3. mutuum illum amorem gratuitum esse debere; qui enim privatam utilitatem respiceret, mercenarius esset, non amicus: *Non debemus amare*, ait Augustinus, *quomodo audimus gulosum: amo turdos: quæris, quare amat? ut occidat et consumat... amicitia est quædam benevolentia, ut aliquid præstemus eis, quos amamus*⁶.

¹ Scilicet habemus gratias, cum habemus voluntatem remunerandi; agimus vero gratias, cum verbis et aliis significationibus externis, quo animo in benefactorem nostrum affecti simus, libenter et aperte pandimus. Ad excitandam nostram gratitudinem et amorem erga Deum a quo sunt omnia bona, præstat, ut consideremus (cum Augustino) quæ accepimus a Domino Deo communia cum omnibus, particularia cum aliquibus, singularia nobis.

² L. IV, De Benef. — ³ Matth. xxii.

⁴ Ex vulgari usu etiam illos *amicos* dicimus, quorum generatim favorem et promptitudinem experimur; etiam quibuscum familiariter aliquando conversati sumus, et hoc maxime evenit collegialiter viventibus. Hic tamen stricte nomen sumimus: quo sensu Tullius: *Multi modii salis simul edendi sunt, ut amicitia munus expletum sit*. De amicitia egregie Stapf in sua *Theologia* passim, ac præsertim §§ 469 et seqq.

⁵ V. Liguori, *Sermoni*; serm. *Del fuggire i mali compagni*. — S. Fr. de Sales, *Introduction à la vie dévôte*, c. xvii, xix et xx.

⁶ Tract VIII, in Joann. — V. Rosignoli, *L'elezione dell' amico*,

R. Ad 2: Cum amicitia oriatur præsertim ex honorum communicatione, tot erunt assignandæ amicitia species, quot sunt species bonorum, quæ inter amicos communicantur. Iccirco amicitia divisio erit in veram et falsam, in corporalem et spiritualem, in sensibilem et sensualem, prout bona quæ communicantur, vera vel falsa sunt, temporalia vel spiritualia, sensibilia vel sensualia. Porro solum amicitia veræ, quæ nempe fundantur in communicatione bonorum (quæ talia vere sint, non apparenter), convenit *illud amicitia sanctum ac venerabile nomen*. — Quo autem bona perfectiora sunt, eo perfectior erit amicitia: sic si bona, quæ inter amicos communicantur, sunt scientiæ et artes, laudabilis erit talis amicitia, quia in bono fundatur. Si invicem communicentur virtutes, v. g., fortitudinis et temperantiæ, erit sane laudabilior, quia fundatur in meliori. At si communicentur pietas, religio, charitas in Deum et proximum, eximia tunc erit amicitia, et omnium præstantissima; cum Deum habeat pro suo principio et fine, ideoque fundetur in optimo.

De hac Salesius: « Cette amitié sera excellente, parce qu'elle vient de Dieu; excellente, parce qu'elle tend à Dieu; excellente, parce que son lien, c'est Dieu; excellente, parce qu'elle durera éternellement en Dieu. »

167. An (quæres) liceat amicitias contrahere, et contractas fovere?

R. Vel agitur de amicitia falsa, aut sensuali, aut sensibili: vel agitur de amicitia vera, spirituali et sancta:

1. *Amicitias sensuales* nec contrahere licet nec fovere, cum fundentur super peccato, et, dicente S. Ambrosio, *non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus*. Amicitia sensuales reprobantur ab omnibus utpote peccaminosæ, inhonestæ et Deo ingrata. Vulgo « *amourettes* » appellantur, de quibus audiatur Salesius: « Je crie tout haut à quiconque est tombé dans ces pièges d'amourettes: Taillez, tranchez, rompez; il ne faut pas s'amuser à déceudre ces folles amitiés; il les faut déchirer; il n'en faut pas dénouer les liaisons, il les faut rompre ou couper¹. »

2. *Amicitia sensibiles*, quæ fundantur in bonis corporis sensibilibus; v. g., pulchritudine, benevolentia, tactu, voce, etc., licet non sint aperte inhonestæ, sunt tamen valde imperfectæ et periculosæ, maxime si contingant inter personas diversi sexus: ideo reprobandæ a Moralista et rejicendæ². A sensibilitate ad sensualitatem parva distantia: imo experientia teste, una ad aliam marte suo ducit (X).

¹ S. F. de Sales, *Introduction à la vie dévôte*, c. xviii et xxii. — Stapf, § 471.

² V. Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. II, c. ix. — Pinamonti, *Il direttore*, cap. xvi.

3. Amicitias sanctas, spirituales, ad virtutem directas, non solum laudamus, sed etiam personis, quæ in sæculo vivunt et bonum animæ diligunt, necessarias pronuntiamus. En verba Salesii: « Quant à ceux qui sont entre les mondains et qui embrassent la vraie vertu, il leur est nécessaire de s'allier les uns aux autres par une sainte et sacrée amitié; c'est par le moyen de celle-ci qu'ils s'unissent, s'aident et s'entreportent au bien. » Nonne inter se junguntur, hæcætate, filii tenebrarum ad malum? cur non filii lucis ad bonum? Hinc Scriptura: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: amico fideli nulla comparatio*².

168. Q. 3. Quid de liberalitate, et affabilitate?

R. Ad 1. Liberalitas est virtus, quæ nos docet ordinem ad rectæ rationis tramites servandum in largiendis pecuniis et rebus omnibus, quæ solent pecunia æstimari. Oritur ex ea charitate, qua totum genus humanum secum una debet conciliari; hujus enim conciliationis ratio nulla aptior, quam quæ mutuis liberalitatis officiis continetur. Differt a misericordia, quæ tribuit indigentibus, hæc omnibus: a magnificentia, quæ respicit sumptus egregios, hæc mediocres. — Liberalitatis conditiones præcipuæ sunt: 1. ut quod datur, honestatis et benevolentiae causa detur: nam qui dat aut majoris lucri reportandi causa aut turpi consilio, a liberalitate longissime abest; 2. ut largitiones ad facultates nostras accommodemus; prodigus enim non liberalis est, qui adeo largitur, ut ipse redigatur ad egestatem³; 3. ut quisque careat quibus dandum, quantum et quo tempore: omnia enim secundum ordinem fieri debent; 4. ut libenter et hilariter elargiamur; nam ut recte ait Poeta: *Cum properat gratia, grata nimis*.

169. R. Ad 2: Affabilitas est virtus, qua quis in convictu et in omni vitæ consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet. Vir affabilis medius est inter ineptum assentatorem ac hominem nimis austerum. *Affabilitas*, inquit Angelicus, est quoddam debitum honestatis, ut scilicet homo alteri faciat quod decet eum facere; et postea: *Homo tenetur ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat*⁴. Hanc virtutem Hiero-

¹ Castelvetere, p. II, c. vii. — Frassinetti, *Riflessioni agli ecclesiastici*.

² Eccl. vi; et Prov. xviii. In divinis libris plura habentur de amicitia vera.

³ V. Eccl. xii et xlii.

⁴ 2, 2, q. 124, a. 2. Affabilitas mire in Christo elucebat, in cujus labiis ita diffusa erat gratia, ut omnes mirarentur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius (Luc. iv); et Apostolus obsecrat Corinthios per mansuetudinem Christi (XI ad Cor. x). Ubi non attingimus questionem, an Jesus fuerit aspectu decorus, ut censent Hieronymus, Nicephorus, Bernardus, Laurentius

nymus Nepotiano suo enixe commendans sic eam descripsit: *Virtus est lenis, blanda, tranquilla et omnium honorum apta consortio; invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata*.

Sunt affabilitatis officia: 1. omnes benigne audire, eosque hilari vultu alloqui; 2. interroganti humaniter respondere, etsi importunus aliquando videri possit; 3. obvios salutare et salutationibus respondere, ea honoris et benevolentiae significatione, quam vel locorum consuetudo vel amicitiae ratio vel dignitas vel urbanitas exigit; 4. vocem, verba, gestum et vultum ita componere, ut quidquid incidit in oculos eorum quibuscumque conversamur, præ se ferat suavitatem: et sit argumentum charitatis vere christianæ, ita ut dicere possimus cum Paulo Apostolo: *Per omnia omnibus placeo*¹.

Duo opponuntur affabilitati, assentatio et asperitas. *Assentatio* est propria illorum, qui omnia ad alterius voluntatem sive vera sive falsa, sive bona sive mala, et loquuntur et faciunt et laudant: quod viro ingenuo et christiano indignum est, et parit etiam vilissimam blanditoris existimationem. *Asperitas* est in iis, qui habitum habent perversum nihil unquam dicendi ad cujuscumque voluptatem, improbandi semper aliena facta et dicta, omnia ægre ferendi, semper contendendi, singulis in re quacumque contradicendi. Hoc in quibusdam superbissimis hominibus cernere est, ac sæpe adolescentibus, qui omnium sunt derisores, detractores, susurriones, a quorum defectu Timotheum caute removebat Apostolus: *Stultas autem et sine disciplina questiones devita, sciens quia generant lites*. Et ad Colossenses scribit: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*².

170. Q. 4. Quid de comitate et urbanitate?

R. Ad 1: Comitas est virtus, quæ servat decorem in jocis. Patet discrimen affabilitatem inter et comitatem: prima tenet modum in suavitate sermonis; altera in conversationibus, et in ludis. Adversatur comitati *scurrilitas* et *rusticitas*: est *scurrilitas* insulsa quedam et molesta dicacitas sæpe etiam odiosa, qua ordo et modus omnis in jocis ludisque pervertitur. *Rusticitas* vero est vitium, quo nec festivitate jocularum nec conversationis jucunditate quis delimitur, ita ut nec facetum quid unquam dicat, nec qui dicunt, ferre possit. Quod sane reprehendendum; nam adversatur homini ad societatem nato³.

Justiniani, etc.; vel an vultu inglorius, ut docent Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, etc., vel potius quid mediū, nempe neque deformis neque pulcher, sed forma ordinaria, ut pluribus maxime ex modernis placet. — V. Bible de Vence, dissert., vol. V: *Sur la beauté de Jésus-Christ*.

¹ I Cor. x. — ² Ep. ii, c. ii; ad Coloss. v.

³ S. Thomas, 2, 2, q. 168, a. 4.

171. Ad 2: Licet affabilitas et comitas ad urbanitatem quodammodo referantur; tamen differunt, quod hæc latius pateat, atque omnes ferme hominis actiones et mores respiciat, ut boni sint ac decori. Toto ergo cælo errant qui urbanitatem collocant in corporis forma et vestium elegantia; nam est in animo bene constituto, et exulto Religionis præceptis et exercitatione virtutum, sine quibus hominum mores nunquam neque vere boni, neque vere decori esse poterunt (Y).

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT SECUNDUM

DE CETERIS VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

Art. unicus. — De prudentia, fortitudine
et temperantia.

172. Q. 1. Quid est prudentia?

R. Ab Aristotele definitur prudentia: *Animi habitus vera cum ratione actiones dirigens in iis, quæ sunt homini bona vel mala*¹. Dicitur: — 1. *vera cum ratione*, ut a prudentia excludatur temeritas et præcipitatio; — 2. *actiones dirigens*, ut discernatur ab habitibus mere theoreticis; nam potest quis esse doctissimus, et eruditus artibus et disciplinis omnibus, quæ in mundo sunt, quin tamen item sit prudens; — 3. *in iis quæ sunt homini bona vel mala*, ut indicetur prudentiæ objectum in cavendo a malo, et inquirendo bono consistere. Eximia sane ac necessaria virtus! neque enim opera nostra laudari possunt, nisi fiat electio eorum, quæ conveniunt ad finem. Hæc ex Angelico: *Adjuvat omnes virtutes et operatur in omnibus*². Et ab Augustino vocatur *rerum agendarum et fugiendarum scientia*.

Tres prudentiæ species: *monastica* sive privata, *œconomica* sive domestica, *politica* sive civilis. Dirigit prima hominem in actionibus, quæ eum directe et solum afficiunt, ut nihil inconsiderate operetur.

¹ Non loquimur de terrena prudentia, quæ suum finem constituit in carne vel divitiis: hæc *stultitia est apud Deum*: imo *animalis, diabolica* (1 ad Cor. III; Jac. XIII). Huc revocatur moderatus ille moderantismus, qui sub fucato prudentiæ nomine, a nonnullis prædicatur; at in ruinam Religionis ac societatis inductus est. — V. Della Margarita, *Avvedimenti politici*, cap. VII et XX.

² 1, 2, q. 58. — V. Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. III, a. 1.

Altera eundem moderatur in actibus, qui respiciunt domum et familiam. Tertia regit actiones, quæ pertinent ad Rempubicam¹. Quo magis optandum in adolescentibus studium prudentiæ monasticæ et œconomicæ, eo magis a politica arce sunt; nam juvenilis ætas nova et inexpers non bene politicis rebus peragendis accommodata est².

Prudentiæ munera quæ dicuntur *partes prudentiæ potentiales*, tria sunt: nempe bene consultare, bene judicare et bene præcipere; nam actionis humanæ probitas, in qua situm est prudentiæ objectum, importat accommodatam mediocrum ordinationem ad finem consequendum. Hæc autem tribus perficitur: — 1. *recta eorum inquisitione*, et super iisdem consultatione; ideoque prudentia comites habet rationem, considerationem, meditationem, diligentiam, ingenium, solertiam et sagacitatem; — 2. *recto iudicio de eorum aptitudine atque natura*, ad quod concurrunt æquitas, docilitas, animi candor, memoria præteritorum, intelligentia præsentium et prævidentia futurorum; — 3. *præcepto*, quo mens vult, ut ea perficiantur, quæ judicata sunt: huicque pertinent dexteritas, circumspectio, cautio et industria. Ex quo patet quam difficilis, sed pretiosa virtus prudentia sit; neque mirum iccirco esse debet, si multi inveniantur vere docti et scientiis exculi, pauci autem vere prudentes.

Notes, quas prudentia præ se ferre debet, ut finem suum consequatur, seu partes prudentiæ integrantes, sunt ex Angelico: 1. *memoria* seu recordatio præteritorum; præterita enim nos docent; 2. *intelligentia* seu diligens rerum agendarum consideratio ac cognitio, ne dicamus malum bonum et bonum malum; 3. *docilitas* sive animi promptitudo ad aliena capessenda consilia; nemo enim sufficit sibi; 4. *solertia* seu animi sagacitas ad media, quæ ad finem nostrum spectant, illico dignoscenda, ne accidentia nos animo dejiciant; 5. *ratio* sive recta ratiocinatio, ut quid ex anteceder cognitis sit agendum dignoscatur; 6. *prævidentia* seu futurorum consideratio, ne incipiamus fabricare, et non possimus consummare; 7. *circumspectio* seu attentio ad omnes circumstantias; non enim omnia omni tempore con-

¹ Bossuet, *La Politique tirée de l'Écriture sainte*. — Scotti, *Teoremi*, etc.

² Hinc tradit historia apud Cretenses fuisse legem, ut si quis adhuc juvenis accederet ad regendam Rempubicam, nunquam auderet in disceptationem vocare, essentne aquæ leges an iniquæ? senex vero si quid excoGITasset, principibus aut equalibus quidem referret, juvenum tamen audiente nemine. Quapropter stomachum movent profecto scituli quidam ætate nostra adolescentes, qui manibus vix a ferula scholastica subductis, de rebus politicis quasi ex cathedra non loqui, sed effutire et blaterare audiuntur sesquipedales sententias efferecentes. — V. Scotti, *Teoremi di politica cristiana*.

veniunt: 8. *cautio*, ut sciamus prævídendo impedimenta amovere cum ea sæpe contingant.

Vitia alia directe, et aperte prudentiæ contraria sunt; alia quamdam prudentiæ speciem præ se ferunt, sed eminentiam ac fucam. Illa eam lædunt per defectum, ista per excessum. — Vitia primi generis sunt potissimum: 1. *præcipitatio* seu *temeritas*, cum quis non ex rectæ rationis præscripto, sed ex affectus sui impetu deliberat et opus aggreditur: 2. *inconstantia*, cum quis levis ob causas a recta sententia recedit, ut aliam arripiat: 3. *inconsideratio*, cum quis sine debita attentione de mediis ad finem accommodatis iudicium suum emittit: 4. *negligentia*, cum quis debitam in rebus deliberandis et peragendis sollicitudinem non adhibet. Hæc versus includit:

Præceptis, inconstans, inconstans, inconsideratus, inersque.

Vitia secundi generis sunt: 1. *prudentia carnis*, qua quis finem ultimum collocat in rebus creatis: 2. *calliditas*, quæ in illis cernitur, quorum celere est et aptum ingenium in excogitandis mediis ad finem consequendum idoneis, sed ab honestate et recto rationis præscripto alienis et abhorrentibus: 3. *dolus et fraus*, quæ calliditatis pravitatem ad effectum perducit: 4. *nimia sollicitudo* præcipue de rebus futuris, quæ sine ulla utilitatis specie animum angit. Quæ versiculus exhibet:

Fraus et calliditas, carnis prudentia, cura.

Hæc omnia vel ex eo mala esse constat, quia adversantur prudentiæ, quæ omnes humanas actiones ad rectum tramitem moderatur.

173. Q. 2. *Quid est fortitudo?*

R. Fortitudo recte potest definiri: *Virtus perficiens hominem, ut in ordine rationis humanæ et legis divinæ consistat ea repellendo, quæ ordinem eundem pervertere valeant.* Cum enim pleraque in humana vita occurrant, quæ hominem solent deterrere a recto tum rationis tum legis tramite tenendo, aut ne diu in ipso permaneat, si eum iam sit assecutus; aliquo certe præsidio nobis est opus, quo adversus impetus hujuscemodi firmemur. Hoc porro præstat fortitudo: quæ ideo omnibus necessaria est; nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*¹. Est autem maxime necessaria militibus ad strenue pugnandum; magistratibus ut valeant irrumpere iniquitates; ministris altaris ut confortati in Domino et in potentia virtutis ejus evellant et destruant, non timentes eos qui animam perdere non possunt.

Est duplex fortitudinis munus. Unum in malis et in laboribus perfe-

¹ II Tim. II; Matth. XI.

rendis situm, quod sic explicat Angelicus: *Oportet quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala.* Huc respiciebat illud Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*¹. — Alterum munus consistit in ipsis periculis adeundis: sic fortis in nomine Dei sui David Gigantem aggressus est. Ex Angelico huic fortitudini consociatur quædam iræ species, non quasi domina, sed quasi ancilla: *Iram moderatam assumit fortis ad suum actum, non autem iram immoderatam*².

A virtute fortitudinis aliæ oriuntur in homine christiano virtutes morales præclarissimæ, tanquam ejusdem filiæ seu *partes integrantes*, ut vocant Philosophi. Quod sic explicatur: cum fortitudo maximopere tendat ad superandas difficultates, quæ in bene agendo nobis adversantur, varias pro earum varietate quasi sui ipsius species in se continet, quas ejus filias nuncupamus. — Videlicet oriturne difficultas in agendo ab ipsa operis natura et magnitudine? eidem opponitur *magnanimitas*, illa nempe virtus, quæ ad quælibet magna et heroica inclinatur. Oritur ab ingenti pecuniarum quantitate, quæ ad operis perfectionem, v. g., ad templi constructionem requiritur? eidem opponitur *munificentia*, illa virtus, quæ ad magna opera externa externis ac magnis sumptibus perficienda inclinatur. Oritur a timore et anxietate interna circa operis eventum? eidem opponitur *pax cordis et securitas animi*, illa virtus quæ nos ducit ad maxima quæque operanda gaudentes, gloriantes, in nullo deficientes. Oritur a multitudine et qualitate malorum, quæ in operis executione sunt perferenda? eidem opponitur *patientia*, illa virtus quæ facit, ut omnia adversa æquo ac forti animo toleremus³. Oritur a temporis diuturnitate? opponitur *longanimitas*, virtus illa, quæ nos firmat in expectatione. Ab operis ipsius continuatione? opponitur *perseverantia*, virtus illa, quæ nos ad persistendum in molesto ac arduo opere inclinatur. A cordis humani instabilitate? opponitur *constantia*, quæ virtus est roborans ac firmans volubilitatem nostram. Sic de ceteris dicendum.

Sed (quæres) quot sunt fortitudinis gradus? — Quinque: 1. ani-

¹ Matth. X. — ² 2, 2, q. 125. a. 10.

³ Præsertim nos Sacerdotes (monet *Staph*, § 267), patientia insigni armatos esse oportet, tum ut etiam ex hac parte simus exemplum gregis, tum ut in exequendo munere non tumultuarie, sed prudenter et in spiritu lenitatis agamus: qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui impatiens est exaltat sultitiam suam (Prov. XI). — V. Scamarelli, *Direttorio ascetico*, etc. — Rodriguez. *Exercices de la perfection chrétienne*. — Liguori, *Opuscolo, Uniformità alla volontà di Dio*.

mum vincere, iracundiam cohibere et voluptates contemnere. Quæ sic describit S. Ambrosius: *Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione*¹; 2. vitam propriam periculo exponere ob bonum spirituale et corporale proximi, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*²; 3. Martyrium appetere corde magno et volenti, exemplo S. Ignatii Martyris, qui cum ad bestias esset damnatus: *Utinam (ad Romanos scribebat) fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ!... si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram ut devorer*; 4. mala gravissima et ipsam etiam mortem si ex improvise contingat, fortiter et patienter tolerare; 5. (en gradus heroicis) mala illa, et mortem pati etiam cum sincero animi gaudio, exemplo Apostolorum, qui *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*³.

Fortitudini adversantur: 1. *timiditas*, quæ est fuga malorum, quibus pro loco ac tempore quis se objicere debet; 2. *intimiditas*, quæ est defectus timoris justî; 3. *audacia*, quæ est inconsiderata periculorum susceptio. Quoad primam peccat qui eos unice timet, qui occidunt corpus: quoad secundam qui eum non timet, qui animam mittere potest in gehennam: denique quoad tertiam vero peccat ille, qui temere periculum querit.

174. Q. 3. Quid est temperantia, et quæ ejus partes?

R. Temperantia striete sumpta definitur: *Virtus moralis, quæ secundum rectam rationem et legem divinam moderatur appetitum, et usum earum rerum, quæ sensuum delectationes pariunt, uti gustus, odoratus et tactus*. Hoc sensu est specialis virtus, quia habet specialem materiam, nempe quatenus refrænât appetitum ab iis, quæ maxime alliciunt. Si autem temperantia sumatur pro quacunque temperie, tunc ipsa erit virtus generalis. — Dives, qui in bonos ducit dies suos, quotidie splendide epulando, mollia induendo, deliciis omnibus vitæ se recreando, peccat contra temperantiam, et se exponit malis concupiscentiis ac delectationibus; et intemperantiæ fit reus, quæ est exprobrabile vitium, cum maxime repugnet hominis excellentiæ illum comparando jumentis⁴.

Partes integrales temperantiæ sunt⁵: 1. *verecundia* seu timor turpitudinis, qui custos est modestiæ; 2. *honestas* seu amor decoris.

¹ De off., l. I. c. xxxvi. — V. Civ. Catt., ser. I, t. VIII: I grandi uomini. — ² Joann. xv. — ³ Act. v. — ⁴ V. S. Thomas, 2, 2, q. 141, a. 2.

⁵ Partes cujuslibet cardinalis virtutis sunt triplicis generis. Aliæ integra-

Partes subjectivæ sunt: 1. *abstinentia* quæ consistit in cibo moderando; 2. *sobrietas* sita in moderando potu¹; 3. *castitas*, quæ ipsam delectationem veneream temperat; 4. *pudivicia* quæ ab omni aspectu et tactu inhonesto abhorre nos docet: sive potius versatur circa exteriora signa ad venerem incitantia, quæ cohibet.

Tandem partes potentiales sunt: 1. *clementia*, illa virtus, quæ ex animi lenitate pœnas moderatur, prout tamen justitia patitur; 2. *mansuetudo*, quæ iram moderatur secundum rectam rationem; 3. *continentia*, virtus illa generalis, qua resistimus quibuscumque pravis motibus et in quacumque vitiosa materia. Item *modestia*, *humilitas*, *studiositas*, *eutrapelia*, *ornatus* atque *simplicitas*: quæ virtutes haud sunt contemnendæ, licet parvæ videantur; ipsæ enim nos comitantur ubique, atque per eas ad majora devenimus, siquidem in omni re a minimo jugiter incipiendum est².

§ I. — De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu et simplicitate.

175. Q. 1. Quid est modestia et ubinam collocanda?

R. Ad 1: Modestia est *virtus, quæ exteriores hominis actiones et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum*. Verum modestiæ fundamentum in humilitate situm est, sive in illo animi sensu, quem sic expressit Apostolus: *Quid habes quod non ac-*

les; sunt quædam conditiones requisitæ ad actum ipsum virtutis bene et integre exercendum. Aliæ *subjectivæ*; sunt species diversæ virtutis, quæ variæ sunt pro varietate objecti, quod respicit virtus illa. Aliæ *potentiales*; sunt virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa principalem aliquam materiam, eundem observant in quibusdam aliis minus principalibus, atque minus difficilibus.

¹ V. Lessius. *De valetudine tuenda*. — Castelvetero, *Direttorio*, ecc., p. IV, c. xxiii. — Temperantia passim celebratur. — V. *Essai sur la Théologie morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et la médecine*, par Debreyne. — Laur. Martini, *Elementa medicinæ forensis*, etc. — Sella, *Lezioni popolari di igiene rurale e privata*. Biella, 1842, etc. — Hic inuenda celebris *Societas temperantiæ* quæ 1858 opera Patris Matthew instituta est in Hibernia. Miri sunt illius effectus ad homines in temperantia continendos. — V. Bergier, *Dictionnaire*, v° Tempérance. — It. passim *L'Amico Cattolico*, etc. — Margotti, *Roma e Londra*, c. xxv.

² V. Pinamonti, *Il Direttore*, ecc. — Tassoni, *La religione dimostrata*, t. III, p. I, c. v. — Roberti, *Trattatello sulle virtù piccole*. — Fr. Pertusali, *Trattatello sulle piccole sofferenze*.

cepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis¹? Hinc a quibusdam definitur etiam: *Humilitas ad proximum reducta seu humilitas practica*: sed vera humilitas; si quis enim actus suos exterius ad verecundiam componeret absque vero interiori virtutis motivo, jure merito diceretur in eo non modestia adesse, sed vana, mendax et superba modestiæ ostentatio, id est *hypocrisis*. Quapropter legitur in sacris Scripturis: *Finis modestiæ timor Domini*².

Habet modestia insigne quoddam ac mirificum decus præsertim in adolescentibus, quibus et præclaram penes Superiores existimationem et stabilem penes condiscipulos auctoritatem, et incredibilem amorem in omni hominum cœtu conciliat. Ratio est quia in bene composito corporis et motuum externorum habitu cernitur ordinate compositus animus. Quare Apostolus hanc virtutem alte commendans inquiebat: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*³.

R. Ad 2: In quatuor præsertim modestia est collocanda: in oculis, in verbis, in risu et in incesso: — 1. in oculis, juxta illud D. Gregorii M.: *Deprimendi sunt oculi quasi raptiores ad culpam*⁴; 2. in verbis, quod sic exponit Ambrosius: *Ne modum prætergrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus; specula enim mentis plerumque in verbis refulget: ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendant aures vox fortior*⁵; 3. in risu, quod monet S. Basilius inquit: *Illud etiam non mediocriter cavendum est ab iis, qui colendæ pietati student, ne in risum præter modum effusi sint*⁶; 4. in incesso, quod sic idem Basilius explicat: *Incessus est nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus vehemens, insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet*. Modestia Ecclesiasticis est maxime necessaria, quos Apostolus vult ornatos et modestos⁷. Nil ergo mirum, si D. Ambrosius duos repulit Clericos, qui externum præ se ferebant petulans, inconditum atque inordinatum nimis; judicium probavit eventus⁸.

176. Q. 2. *Quid de humilitate dicendum est?*

R. Humilitas est virtus firmans voluntatem, ne inordinate extolatur, seu ne succumbat amori inordinato propriæ excellentiæ. Hæc ab amore veritatis procedit; qui enim ad se animum convertit, illico intelligit se merum nihilum, et omnia a Deo gratis accepisse.

¹ I Cor. iv. — ² Prov. xxii. — ³ Phil. iv.

⁴ In L. Moral. — ⁵ De Officiis, l. IV, c. 48. — ⁶ De reg.

⁷ I Tim. iii.

⁸ L. I, De Offic., c. xviii. — V. *Correspondance d'un ancien directeur de séminaire avec un jeune prêtre*, etc. Lyon, 1845. — Sevoy, *Devoirs ecclésiastiques*.

Tres sunt humilitatis gradus: 1. est subdere se majori et non se præferre æquali, qui est sufficiens; 2. se subdere æquali et non præferre inferiori, qui est abundans; 3. subesse minori, in quo est perfectio⁴. Ubi notandum: absque præjudicio humilitatis possumus donis, quæ accepimus, præferre dona, quæ aliis collata apparent, si id manifestum est; cum dicente sancto Augustino, *in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur*⁵. Potest quis nihilominus absque falsitate, non judicio absoluto, sed quasi suspensivo, ut dicit Estius, pronuntiare se omnibus viliorem; vel secundum defectus occultos quos in se recognoscit, et dona Dei quæ in aliis latent, aut quæ eis conferenda sunt; vel etiam quatenus si aliis data fuissent gratiæ quæ data sunt nobis, melius Deo respondissent; vel etiam hoc sensu, quod omnia peccata quæ ab aliis admissa videmus, debeamus reputare nobis a Deo remitti, qui custodivit nos, ne ea committeremus: *Nulum enim est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector a quo factus est homo*, ait idem Augustinus⁶. Præterea cum humilitas consistat in affectu voluntatis, potius quam in judicio mentis, unusquisque potest se subjicere non solum Deo, sed omni humanæ creaturæ propter Deum, ex dispositione cordis.

Ad humilitatem fovendam hæc quatuor maxime inserviunt: 1. de se nihil, neque bene, neque male; 2. de aliis semper bene loqui; 3. libenter obedire; 4. tentationes contrarias illico confessario aperire; diabolus enim tenebrosus totus timet ad lucem trahi; 5. nos cum illis comparare qui etsi forsitan inter pericula, tamen nobis meliores sunt: *Nimis proni sumus* (ad rem Stapf, § 286) *ut cum illis nos conferamus, quos nobis pejores credimus, utque ex tali comparatione conata nobis superbia plurimum nutriatur. Ast quanto rubore suffundimur, si vitam nostram, ne dicam ad exemplum divini Redemptoris, ad conversationem tot Sanctorum exigimus! Qui nobis paulo ante gigantes videbamur, spectata eorum celsitudine, infra pygmæos subsidemus.*

⁴ V. Pinamonti, *Il Direttore*, c. xx. — S. Fr. de Sales, *Introd. à la vie dévote*, n. 5. — Stapf, §§ 258 et seqq. — Viggetelli, *Meditazioni ed istruzioni per otto giorni di esercizi spirituali secondo la materia e le forme prescritte da sant' Ignazio*. — Manfredini, *Il mese degli esercizi spirituali di S. Ignazio compendiate in otto giorni*. Modena, 1859.

⁵ De nat. et grat., c. xxxiv.

⁶ Hom. x, inter l., cap. ix. — V. Balmes, *Lettre à un sceptique en matière de religion*, lett. 15, ubi plura ad rem. — Martinet, *Philosophie du catéchisme catholique*, l. III, § 5. — Secondo Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione*, vol. II, c. xi: objez. l'umiltà è un'abbiezione d'animo.

177. Q. 3. *Quid de studiositate?*

R. Studiositas est virtus quæ affectum seu studium discendi, et cognoscendi ad rectos rationis tramites moderatur ac temperat; omnia enim secundum rectitudinem fieri debent. Pulchre D. Bernardus: *Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt, ut sciatur ipsi, et turpis vanitas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est; et item qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant¹. — Duo sunt præcipua munera: 1. est cupiditatem sciendi, quæ sæpe in generosis adolescentibus vehementior esse solet, intra limites coercere, ne se aut immoderatus efferat, aut in vana et noxia effundat; 2. est torporem ingenii excutere et animum ad necessaria vel utilia perdiscenda inflammare. Primo huic muneri adversatur nimia nec satis recta sciendi cupiditas, seu inanis curiositas. Alteri adversatur inertia laboris et pigritia, quæ a rerum pulcherrimarum studio mentem avocatur, ac ingenium turpi otio non tantum languescere, sed etiam hebescere ferme cogit, et dicitur negligentia.*

178. *Quid (quæres) de nimia sciendi cupiditate et negligentia?*

R. ad 1: Ad nimiam sciendi cupiditatem quod attinet, ea vitiosa evadere potest: 1. ex quacumque animi pravitate eidem adjuncta, veluti ex pravo fine. Hoc iis contingit, qui e studio nihil aliud, quam propriæ superbiæ pabulum quærunt; 2. cum quis ita liberalis cujuscumque artis vel scientiæ vel lectionis peculiari suavitate deliniri se patiat, ut ab iis studiis removeatur, quæ ejusdem statui, conditioni et officio sola conveniunt: uti, v. g., esset adolescens ille, qui scholæ suæ libris posthabitis, totum se poneret in legendis comœdiis et fabulis scriptorum quorundam narrationibus scientiæ maxime exitiosis; 3. cum quis ad eas res studium adhibet, quæ proprii ingenii vires superant, ex quo contingit, ut facile in perniciosos errores labatur, momente Ecclesiastico: *Altiora te ne quæsieris*².

R. ad 2: Quod attinet ad socordiam et negligentiam, quæ discendi

¹ Serm. xxxvi, in Cantica.

² Cap. iii. — Et præsertim illa curiositatis species carpenda venit, qua quis facta aliena malesane observat, et quidquid acciderit, temere interpretatur; *tu quis es qui judicas alienum servum?* Rom. xiv. — V. Stapf, §§ 526 et 534.

laborem refugit, adolescentes sciant: 1. gravi se culpa inquinare, si a parentibus ad studia missi ætatem studiis aptissimam in ludis nugisque vel quod pejus esset, in morum depravatione terant; 2. sine vitio esse non posse ipsam temporis jacturam: cum tempus, dicente Seneca, sit thesaurus, *cujus unius avaritia honesta est*; 3. futurum profecto esse ut sese aliquando pœniteant negligentes, sed irreparabiliter¹.

179. Q. 4. *Quid de eutrapelia, ornatu et simplicitate?*

R. Eutrapelia est virtus omnium jucundissima, quippe quæ tota in amœnitate versatur, temperans videlicet jocos et ludos secundum rectam rationem²; animum enim cum aliqua jucunditate, et liberali joci festivitate relaxare debemus aliquando, ut ad majora vitæ officia promptior fiat atque paratior. Sed cum facile omnino sit in jocis et festivitibus rectæ rationis violare præcepta, requiritur iccirco virtus aliqua, quæ modum iis valeat accommodare.

Ornatus atque simplicitas est virtus, quæ externum corporis cultum ad decoris et honestatis regulas moderatur ac regit. Videmus nempe sæpe illud in humanæ vitæ consuetudine vitium, quo aliqui vestitu obsolete, corpore inculto et horrido, aspectu fædo, barbaræ potius et beluinae naturæ formam præ se ferunt, quam mores civili societati idoneos. Alii ex adverso ita nitidi et compti conspiciuntur, ut dignitati naturæ obliiti turpem animi molliem luxu fœmineo diffluentem insani amasiunculi expromant. Ornatus porro et simplicitas vitia hæc extinguit, et medium inter utrumque sapienter docet.

Quia tamen hac in re facilius per excessum, quam per defectum in adolescentibus præsertim peccatur, tria iccirco iisdem ornatus et simplicitatis præcepta tradit S. Thomas: 1. ne cultum nitidiorum affectent, quam ferat status et dignitatis conditio; 2. ne exquisitas et effeminatas in cultu delicias sectentur; 3. ne temporis nimium ac diligentiam in id conferant, quod ad corporis ornatum cultumque pertinet: « Je voudrais qu'un dévot et une dévote fussent toujours les

¹ Mirum in modum ad inflammados adolescentum animos in scientiarum studia loquitur S. Pagina (Ecl. vi): *Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam: quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.* Quam sententiam expendens D. Hieronymus sic Nepotianum suum hortabatur: *Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior et veterum studiorum dulcissimos fructus metit.*

² Sic dicta est a græco *eu bene*, et *trepó se vertere*, ex facili nempe quadam et eleganti sermonis copia et flexibilitate. — V. Stapf, § 315. — Regulæ servandæ vid. de ludo.

mieux habillés de la compagnie, mais les moins pompeux et affectés, » ait Salesius⁴.

§ II. — De castitate conjugali, viduali et virginali.

180. Castitas triplex est: *Conjugalis, vidualis et virginalis*². Prima abstinere a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio. Hæc est de præcepto a conjugibus servanda: *Omnis autem fornicator aut immundus... non habet hæreditatem in Regno Christi et Dei*, ait Apostolus³. — Secunda post solum matrimonium abstinere in posterum ab omni etiam licita voluptate: est de consilio ex eodem Apostolo⁴; nam adhuc liberum est novum inire matrimonium. — Tertia ab omnibus tam licitis quam illicitis venereis delectationibus perpetuo abstinere; carnisque integritatem semper servat. Qui peccarunt mente contra castitatem, virginitatem per pœnitentiam recuperant; non tamen qui carnis integritatem culpabiliter (v. g. per fornicationem, vel pollutionem voluntariam) amiserunt, quæ de facto non amplius recuperatur, etiam remisso peccato, quoad laureolam virginibus in cœlo preparatam⁵.

181. Q. *Quomodo definitur virginitas et quid de ea?*

R. Virginitas recte definitur: *Firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus venereis voluptatibus*. Dicitur *firma voluntas*, ut indicemus nos hic non definire virginitatem materialem, quæ consistit in quadam carnis integritate; sed moralem, quæ in animo sita est et in ejus proposito. Ex quo patet differentia virginitatis a castitate; nam ista esse potest etiam in conjugatis et pœnitentibus; non autem illa. Et ideo propositum servandæ integritatis usque ad tempus nuptiarum non est virtus virginitatis, sed castitatis.

Virginitatem esse rem valde bonam in se, licitam et laudabilem tenent omnes Catholici adversus Lutherum. Et merito; nam nihil sub consilio cadere potest in Scripturis, quod non sit in se bonum, licitum et laudabile; atqui virginitas in Scripturis sub consilio cadit: *De virgi-*

¹ *Introduction à la vie dévote*, p. III, c. xxv, etc., 28. — V. Castelvetero, *Directorio*, ecc., c. iv, p. XI.

² Plura de castitate Stapf, §§ 299 et seqq. — ³ Eph. v.

⁴ II Cor. vii. — V. S. Fr. de Sales, *Introduction à la vie dévote*, c. xi.

⁵ S. Thomas, 2, 2, q. 152. Atque hinc sequitur, quod quæ virgo manet, citra miraculum possit esse et mater; si nimirum omnino invita constuprata concipiat et pariat. Aliter esset, si virginitas sumatur non pro speciali virtute morali, ut hic; sed simpliciter pro integritate carnis seu membrorum generationi inserventium. » *Tourney*.

nibus præceptum Domini non habeo, inquit Apostolus¹; *consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis*. Et postea: *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem*. — *Dico non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant*. Idipsum probatur exemplo Christi, B. M. Virginis multorumque Sanctorum, qui virginitatem secuti sunt. Vel ipsas barbaras gentes consentientes habemus; virginitas enim semper in honore habita fuit apud Indos, Peruvianos, Mexicanos, etc.². Adde: nonne bonum est, licitum et laudabile, ut propter bonum animæ rejiciantur delectationes corporis? hoc intendit virginitas³.

Hinc Nazianzenus carmine II sic eam extollit:

*Salve, Virginitas, divino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, et spiritibus sociata supernis!*

182. *An (quæres) sit virginitas melior quam matrimonium?* Helvidius ac Jovinianus contra quos scripsit S. Hieronymus, docebant statum virginitatis nullimode dici posse meliorem statu matrimonii: Protestantes moderni huic doctrinæ subscripserunt. At facillime refutantur vix consulendo Paulum, qui controversiam expresse sic definit: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit;... beator erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*⁴. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit statum conjugale anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu quam jungi matrimonio, anathema sit*⁵. Ratio suffragatur: matrimonium ex se convenit homini secundum partem inferiorem, qua similis est brutis; virginitas autem convenit ei secundum partem superiorem, qua similis est Angelis. Illad,

¹ I Cor. vii. — V. Balmes, *Le protestantisme comparé au catholicisme*, c. xxvi.

² V. Scotti, *Teoremi*, ecc., part. II, t. VIII, § 5, etc. — *Amico Cattolico*, vol. XI, pag. 41.

³ V. J. Chrysostomus, *De virginitate*. — D. Ambrosius, l. III, *De virginitate*.

⁴ I Cor. vii. — V. Douvier, *Instit. Theol.*, hic.

⁵ Sess. xxiv, c. x. — V. Liguori, *Serva di materie predicabili*. Discorso alle zitelle. — *La Forza di un libretto*. — Del celibato: *Dei diversi stati che le donzelle possono abbracciare, e principalmente del celibato, del motivo di applicarvi e del modo di viveri santamente anche in mezzo alla società*. — Candela, *Del bene della santa verginità*, discorsi xiv. — Lupello, *Tractatus de castitate*. Paris, Lecoffre, 1859. Et dicenda *De cælibatu*, t. IV.

ut ita dicam, in terris conversatur, et de terra pascitur; ista in cœlis habet sedem, et tota quæ sursum sunt, sapit. Unde D. Bernardus: *Nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum.*

Hæc tamen accipienda de ipso statu virginitatis pro Deo electo: — 1. de ipso statu virginitatis, quo sensu statui matrimonii præstat; nam licet matrimonium in actu gratiam producat, si tamen consideretur in suo statu permanente, certe virginitate est inferius ex dictis; — 2. pro Deo electo; certum est enim statum hunc non præcellere, si eligatur malo fine; quia tunc non esset bonum virutis.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEPTIMUM

(A) Page 8.

183. Quid (quæres) si possessor, seu detentor bonæ fidei rei alienæ, eam jam donaverit, vel vendiderit? Qui rem alienam donando rebus suis pepercit, id est si quid aliud certe dedisset, casu quo rem illam non habuisset, utique debet restituere id, in quo suis pepercit. Secus ad nihil tenetur ratione justitiæ: attamen ratione charitatis, si commode id præstare poterit, tenetur monere donatarium, ut rem domino suo reddat; vel dominum, ut ita rem suam recuperare valeat.

184. Quid (dices) si ille qui bona fide vendidit rem alienam, contractum rescindendo, non possit amplius recuperare pretium, quo et ipse rem illam emit? v. g., pretio emisti ab ignoto homine equum alienum, quem postea tertio vendidisti; si huic tertio restituatur pretium et domino equus, tu amittis tuam pecuniam, quam ignoto solvisti. — Distinguendum est: si proprietarius suum equum evincat a tertio, tertius iste tenetur equum domino tradere, quia ad ipsum clamat, et tu illi teneris solutum pretium reddere; quia vendidisti rem vitiosam: per accidens autem est, quod non possis recuperare pecuniam tuam. Si vero proprietarius rem suam non evincat, alii cum Lyonnet asserunt venditorem adhuc restituere debere pretium ex venditione rei alienæ perceptum, modo pretium illud bona fide non consumperit; nam tunc non reddendo, ex bonis alterius compensaret

damnum sibi per furem illatum; ideo ditesceret de re aliena non restituens. Attamen alii cum Salmanticensibus tuentur, quod si res a domino non postuletur, nulli tenetur venditor restitutionem facere: neque etiam tenetur monere dominum, ut dicit Lessius, aut indicare emptori, quod res sit aliena, si post venditionem bona fide peractam id venditor resciscat, et non possit amplius pretium quo ipse rem emit, recuperare; quia cum rem alienam amplius non habeat, nec sit causa cur dominus re sua privetur, non tenetur cum magno suo damno curare, ut dominus illam redipiscatur. — V. Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 569, 570, 600, 601 et 800.

(B) Page 11.

185. Quæres: Quomodo supputanda sunt et valor et augmentum rei, ut integra fiat restitutio ab iniquo possessore? R. Fingatur casus de augmento intrinseco. Titius furatur pullum equinum valentem quinquaginta libellis; apud furem fit equus habilis ad rhedam valens libellis centum; postea labore fractus et senio, macrescit, vel interit.

Fingatur casus ex augmento extrinseco. Titius furatur dolium vini valens libellis decem, facta ex inopinata frequentia emptorum et vini caritate, idem dolium acquirit valorem libellarum viginti: tum cessantibus his circumstantiis, iterum redit ad valorem decem libellarum, et in hoc statu vinum consumitur. In hisce casibus quæritur, utrum supputatio valoris equi et dolii vini repeli debeat a tempore, quo dominus illis rebus fuit inique privatus, an vero a tempore majoris incrementi, scilicet a tempore, quo equus valebat libellis centum, et vini dolium viginti libellis?

Sunt, qui ita distinguunt: si dominus fuisset rem conservaturus usque ad tempus majoris incrementi, seu usque ad statum rei optimum, tunc fur tenetur compensare dominum juxta pretium majus, quod illa res habuit, saltem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Si vero dominus fuisset certo venditurus, vel consumpturus rem in statu ejus minore, juxta hunc statum sentiunt esse faciendam damni illati supputationem et tanquam fructum meræ industriæ habendum esse incrementum, quod apud furem accepit et iterum postea amisit.

Verum alii probabilius censent (nulla facta exceptione sive fuerit sive non fuerit dominus conservaturus rem suam usque ad majus pretii incrementum) justam æstimationem rei restituendæ esse desumendam a statu meliori et optimo, quam res habuit intra tempus injustæ detentionis. Ratio est, quia res quælibet crescit, augetur, melior efficitur in

ut ita dicam, in terris conversatur, et de terra pascitur; ista in cœlis habet sedem, et tota quæ sursum sunt, sapit. Unde D. Bernardus: *Nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum.*

Hæc tamen accipienda de ipso statu virginitatis pro Deo electo: — 1. de ipso statu virginitatis, quo sensu statui matrimonii præstat; nam licet matrimonium in actu gratiam producat, si tamen consideretur in suo statu permanente, certe virginitate est inferius ex dictis; — 2. pro Deo electo; certum est enim statum hunc non præcellere, si eligatur malo fine; quia tunc non esset bonum virutis.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEPTIMUM

(A) Page 8.

183. Quid (quæres) si possessor, seu detentor bonæ fidei rei alienæ, eam jam donaverit, vel vendiderit? Qui rem alienam donando rebus suis pepercit, id est si quid aliud certe dedisset, casu quo rem illam non habuisset, utique debet restituere id, in quo suis pepercit. Secus ad nihil tenetur ratione justitiæ: attamen ratione charitatis, si commode id præstare poterit, tenetur monere donatarium, ut rem domino suo reddat; vel dominum, ut ita rem suam recuperare valeat.

184. Quid (dices) si ille qui bona fide vendidit rem alienam, contractum rescindendo, non possit amplius recuperare pretium, quo et ipse rem illam emit? v. g., pretio emisti ab ignoto homine equum alienum, quem postea tertio vendidisti; si huic tertio restituatur pretium et domino equus, tu amittis tuam pecuniam, quam ignoto solvisti. — Distinguendum est: si proprietarius suum equum evincat a tertio, tertius iste tenetur equum domino tradere, quia ad ipsum clamat, et tu illi teneris solutum pretium reddere; quia vendidisti rem vitiosam: per accidens autem est, quod non possis recuperare pecuniam tuam. Si vero proprietarius rem suam non evincat, alii cum Lyonnet asserunt venditorem adhuc restituere debere pretium ex venditione rei alienæ perceptum, modo pretium illud bona fide non consumperit; nam tunc non reddendo, ex bonis alterius compensaret

damnum sibi per furem illatum; ideo ditesceret de re aliena non restituens. Attamen alii cum Salmanticensibus tuentur, quod si res a domino non postuletur, nulli tenetur venditor restitutionem facere: neque etiam tenetur monere dominum, ut dicit Lessius, aut indicare emptori, quod res sit aliena, si post venditionem bona fide peractam id venditor resciscat, et non possit amplius pretium quo ipse rem emit, recuperare; quia cum rem alienam amplius non habeat, nec sit causa cur dominus re sua privetur, non tenetur cum magno suo damno curare, ut dominus illam redipiscatur. — V. Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 569, 570, 600, 601 et 800.

(B) Page 11.

185. Quæres: Quomodo supputanda sunt et valor et augmentum rei, ut integra fiat restitutio ab iniquo possessore? R. Fingatur casus de augmento intrinseco. Titius furatur pullum equinum valentem quinquaginta libellis; apud furem fit equus habilis ad rhedam valens libellis centum; postea labore fractus et senio, macrescit, vel interit.

Fingatur casus ex augmento extrinseco. Titius furatur dolium vini valens libellis decem, facta ex inopinata frequentia emptorum et vini caritate, idem dolium acquirit valorem libellarum viginti: tum cessantibus his circumstantiis, iterum redit ad valorem decem libellarum, et in hoc statu vinum consumitur. In hisce casibus quæritur, utrum supputatio valoris equi et dolii vini repeli debeat a tempore, quo dominus illis rebus fuit inique privatus, an vero a tempore majoris incrementi, scilicet a tempore, quo equus valebat libellis centum, et vini dolium viginti libellis?

Sunt, qui ita distinguunt: si dominus fuisset rem conservaturus usque ad tempus majoris incrementi, seu usque ad statum rei optimum, tunc fur tenetur compensare dominum juxta pretium majus, quod illa res habuit, saltem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Si vero dominus fuisset certo venditurus, vel consumpturus rem in statu ejus minore, juxta hunc statum sentiunt esse faciendam damni illati supputationem et tanquam fructum meræ industriæ habendum esse incrementum, quod apud furem accepit et iterum postea amisit.

Verum alii probabilius censent (nulla facta exceptione sive fuerit sive non fuerit dominus conservaturus rem suam usque ad majus pretii incrementum) justam æstimationem rei restituendæ esse desumendam a statu meliori et optimo, quam res habuit intra tempus injustæ detentionis. Ratio est, quia res quælibet crescit, augetur, melior efficitur in

bonum solius domini sui; dum e contrario in damnum solius malæ fidei possessoris res perit, decrescit, deterior efficitur. Dominus autem retinet semper rei suæ dominium, quo nequit expoliari iniqui detentoris injuria, et ea etiam temporis periodo, qua res existebat in statu meliori, et plurimi aestimabatur, clamabat ad dominum, urgebatque injustum detentorem ad restituendum. Enimvero fingamus, quod in allatis hypothesis injustus detentor vendiderit tum equum, tum vini dolium in meliori eorum statu: percepisset sane ex equo centum libellas, ex vini dolio libellas viginti, cujus porro erit hoc pretium? an injusti detentoris? nequaquam, quia fur non debet ullo tempore discescere ex re aliena; ergo erit domini, deductis tamen, quæ sunt deducenda, nempe expensis necessariis factis a fure. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 621.

186. *An semper (quæres) fur teneatur in conscientia rem alienam restituere, etiam quando rem ipsam consumpsit eodem loco et intra idem tempus, quo jam præviderit rem apud dominum æque certioram: esset si sumas vinum alienum jamjam incursu hostili certo invadendum ac dissipandum, illudque statim cum amicis bibas?* Lugo, Layman, Lessio, Tamburini, Molina, Sporer et Vasquez contra alios probabile recte putant non teneri ad restitutionem; quia revera nullum damnum pretio aestimabile domino illatum est, cum res in statu certi imminentis interitus nullius pretii sit. Quis enim rem jam certo perituram communi incendio, naufragio, hostium incursione, etc., nullique usui sibi futuram emere pretio vellet? Adde dominum tunc non posse censi invitum, sed facite consentire in consumptionem talis rei suæ: quis enim non vellet a te concive panem vel vinum, v. g., consumi potius, quam absumi vel corrumpi ab imminente domus incendio, a cujus interitu servari non possit? V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 620.

An possit emptor malæ fidei rem iterum tradere furi, ut pretium suum recuperet, et se servet indemnum? Communius docent illum non posse rem furi reddere; nam mala fide emendo, idem esset ac si de novo eam furaretur, sicque in se transtulit furis obligationem. Sed Lugo appellat, hoc non obstante, forte probabiliorum eorum sententiam, qui docent etiam in hoc casu posse emptorem rem furi restituere, ut proprium pretium recuperare valeat; licet enim iste peccaverit rem illam mala fide sibi comparando, tamen post emptionem habet jus non secus ac emptor bonæ fidei, contractum suum rescindendi. Neque dicas, actionem emptoris in hoc casu fuisse domino injuriosam; nam ad restitutionis obligationem requiritur, ut actio non solum sit injuriosa, sed etiam ut realiter influat in damnum alterius, quod in casu nostro non evenit; cum jam ab alio fuerit consummatum, neque de uno in alium

furem, re transeunte, melioris conditionis evaserit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 570.

(C) Page 16.

187. *Quid si culpa theologica non fuerit nisi venialis ex imperfectione deliberationis et advertentiæ, sed grave sit damnum inde illatum?* Hac de re plures sunt sententiæ. Alii cum Henrico a S. Ignatio docent, auctorem damni ad totum teneri sub mortali: hoc tamen non est admittendum; quia gravis obligatio ex culpa levi per se oriri non potest. Alii obligant ad totum sub levi: sed adhuc negatur; quia aliqua debet esse proportio inter vim obligationis et illius objectum. Alii cum Laymano obligant ad partem sub mortali: quod iterum non admittitur, defectu proportionis. Alii vero cum Bouvier tenent adesse obligationem restituendi partem sub culpa veniali; sic enim pro modo culpæ est obligatio damnum reparandi.

At communiter et probabilius Filliucius, Gury, Lessius, Roncaglia, Salas, Sanchez, Viva et alii multi cum sapientissimo De Lugo, qui in materia justitiæ inter Theologos est facile princeps docent, nullam esse restitutionis obligationem neque sub gravi neque sub levi; tum quia culpa venialis ex imperfectione deliberationis et advertentiæ non est simpliciter delictum et injuria, ideoque non potest parere verum restitutionis onus; tum quia leves hujusmodi inadvertentiæ facillime cuique occurrunt: ergo accensendæ sunt casui fortuito quoad restituendi obligationem, nisi velimus latissimam angustiis et scrupulis viam patefacere. Ergo revera neque sub gravi, neque sub levi esse potest in hoc casu obligatio restitutionis: non sub gravi, quia obligatio gravis non habet proportionem cum culpa levi; non sub levi, quia obligatio levis non habet proportionem cum materia gravi, in qua culpa venialis commissa est. Hinc qui subita ira correptus aliquem interimit, ita ut fuerit solum motus secundo primus, talis non tenetur ad ullam restitutionem.

Quid vero dices de illo, qui projicit in mare gemmam alienam aestimatam 10, si valeat 100? Alii obligant ad restituendum 100, quia damnificans cum culpa gravi tenetur ad omne damnum factum, licet ignoratum. Alii tamen communius, ac probabilius dicunt teneri tantum ad 10; quia obligatio restitutionis correspondet culpæ, et culpa injuriæ quæ intenditur: hic autem non intenditur injuria, nisi uti 10. Verum quidem est teneri ad totum damnum, cum saltem apprehenditur in confuso (ut ceteroquin regulariter apprehenditur), sed neuti-

quam, cum omnino invincibiliter ignoratur: nam voluntas non fertur in incognitum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 615.

Dices: *Saltem tenetur ad aliquid leve ratione culpæ; sicut qui leve furatur, de levi tenetur.* Sed contra: quando furtum rei parvæ est cum plena advertentia et plene voluntarium, non est mirum, si pariat obligationem levem in suo genere. At in nostro casu non datur advertentia plena ad illud grave damnum: et per consequens non parit obligationem in illo genere mali; cum ad damnum grave requiratur injuria gravis. Sicut etiam qui vovet rem parvam, tenetur sub veniali illam implere; qui vero rem magnam, sed sine plena advertentia vovet, ad nihil omnino tenetur. Ita *De Lugo*.

188. *Quid (quæres) si adsit culpa theologica gravis, non tamen in ordine ad damnum illatum: ut si quis lædat amicum illum credens invincibiliter esse inimicum suum?* Certum est, ipsum graviter peccare ob malum, quem gerit, affectum: et merito in foro externo sic lædens non auditur, quia ex opere externo animus ipse præsumitur. Verum ad restitutionem quod attinet, utrum ad illam in foro conscientia teneatur, recte censet Sanchez, ipsum teneri, si amicum læserit ab eo aliquid furando, licet postea ablatum consumpserit; nam in furto non attenditur solum cui volueris facere injuriam; sed an etiam vere volueris rem accipere, invito domino: ideoque a quocumque abstuleris, tu semper teneris ad restitutionem, nisi tibi fiat remissio a domino rei.

Si vero agatur de simplici damnificatione, ubi unice attenditur persona, cui damnum fieri vult, non res, cum nihil in simplici damnificatione recipiat damnificator, utrum iste sit obligandus ad restitutionem, disputant: esset casus, si quis noctu quærens inimicum suum ad necandum, et putans eum revera occidere; ex errore tamen invincibili occidit amicum. Non pauci cum Filliucio, Lugo, Sporer, Tamburini et aliis doctis junioribus negant, ipsum teneri ad restitutionem; nam ille voluit quidem hominem occidere, sed non nisi hominem *talem*: unde exercita actio est tantum materialiter mala; ad inducendam enim obligationem resarciendi damnum, requiritur, ut et damnum et mala actio sit circa idem. Sane si ille absolute intendit lædere solum inimicum et amicum voluntarie excludit, de facto neminem culpabiliter lædit: non *inimicum*; quia iste non læditur; non *amicum*, quia illius respectu talis actio est omnino involuntaria, cum illi potius benefacere velit: est sane valde urgens ratio. Alii tamen cum Alasia, Antoine, Bonacina, Lyonnet acriter tuentur contrarium: quia omnis actio contra justitiam advertenter posita parit onus restitutionis; atqui talis est actio, de qua agitur. Neque error in persona tollit rationem injuriæ; quæstio enim non est de nomine, sed de re: licet sane voluit hominem occidere, et

hominem occidit vel saltem humanitatem læsit. Adde in materia justitiæ, sicut in materia contractuum, non attenditur quid agens facere voluisset; sed quid reipsa facere voluit: atqui reipsa in casu proposito personæ præsentis nocere voluit. — Quisque poterit abundare in sensu suo, neutram vero spernere sententiam; cum utraque et ratione et auctoritate præstet (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 628 et 629).

Notandum tamen, quod talis adhuc incurreret excommunicationem, si tam occisus, quam occidendus esset Clericus, ut tenet sententia absolute probabilior atque communissima cum Viva, Bonacina, Sanchez, etc.: quia excommunicatio incurritur non ob personam, sed ob status læsionem, qui status in eo casu jam voluntarie læditur, licet in persona erretur: et tunc multo magis incurritur irregularitas.

Qui culpabiliter incendit domum assecuratam, deberet assecurationi totum refundere, quod illa domino solvit: et insuper dominum resarcire ab alio, si quod patitur damnum; cum societas non totum semper tribuat. — V. Ferraris, *Biblioth.*, vº Incendiarii, de quibus plura.

(D) Page 25.

189. *Quid in dubio de injustitia alicujus tributi?* Si nulla adsit præsumptio de injustitia, videtur tributum solvendum esse in conscientia; tunc enim possidet jus legitimum Principis. Si vero adsit gravis suspicio, vel ratio de ejus injustitia vel cessatione causæ, alii cum Cabassutio dicunt adhuc totum solvendum, quia lex tributi utpote a legitima potestate semper præsumi debet justa. Alii volunt eum Billuart illud solvendum pro rata dubii; quia debitum dubium non est neque certum, neque nullum, sed quid medium. Verum alii communissime cum Cajetano, Laymano, Lessio, Lugo, Sporer, etc., tuentur nihil esse tribuendum; cum enim non omnia tributa in tanta eorum multitudine, necessarias condiciones præ se ferant, et cum jam plura solvantur, ideo in dubio de alienius tributi injustitia, contra illud potius argumentandum; ideo magis, quia tot tributorum solutio est res omnino difficilis ac gravis: at juxta omnes in dubio subditus non tenetur ad obediendum, quando præceptum est nimis difficile, vel ei grave damnum affert. Quidquid sit, concludimus cum doctissimo Sylvio, cui consentit Billuart: si quis fraudet de illis quantum bona fide existimat se plus æquo gravari, neque peccat neque tenetur ad restitutionem. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 617.

190. Q. *An peccent, et teneantur restituere qui vel adspontant et vendunt merces omnino prohibitas, ut est tabacum exterum; vel vendunt res, quas aliqui tantum ex privilegio vendere possunt, ut*

sal; vel vendunt quod ut aliqui soli vendere valeant, tributum Regi solverunt, ut est vinum quod minutim venditur a caupone?

R. Qui tenent leges vectigalium esse pure pœnales, nullum peccatum nullamque injuriam in hisce fraudatoribus agnoscunt. Non ita tamen alterius sententiæ patroni. Porro quod attinet ad merces primi generis, eas fraudantes per se loquendo liberant non quidem a peccato, cum legi sit obtemperandum: bene vero a restitutione; quia nec Principis nec privati jus strictum violant. Excipe nisi expresse prohibeatur (quod non raro contingit), ut merces Regni facilius vendantur. — Quoad merces secundi generis, obligant fraudantes ad restituendum privilegiatis lucrum, quod probabiliter fecissent; cum jus legitime ipsis concessum violent. — Tandem quoad ultimas, iterum fraudantes de culpa et restitutione teneri docent; sed cuiusnam tunc sit restituendum, alii dicunt Principi, quia profecto contra ipsum fraus admittitur: quod quidem adhuc valere dicunt, etsi Princeps gabellas locaverit; quia ob dictas fraudes prævisas, illas minoris locare adigitur. Sunt tamen recentiores pii ac docti, ut observat Bouvier, qui docent restitutionem potius fieri debere subditis fidelibus; quia Princeps fraudes prævidens istos cogitur tributis gravare, ut sibi compensetur: at cum sit impossibile, ut singulis subditis restitutio fiat, ideo concludunt eam pauperibus faciendam esse juxta præsumptam subditorum voluntatem.

191. Q. *An emens merces a gabellarum fraudatore peccet, et teneatur in defectu fraudatoris ad tributi fraudati solutionem?* Negative in eorum sententia, qui legem vectigalium mere pœnalem docent.

In aliorum vero sententia, distinguendum: aut iste emptor cooperatur positive ad tributi fraudationem: utpote suadendo, ut mercem sibi occulte et ideo vilius vendat, juvando merces secreto deportare et subducere teloniis seu dominis publicis vel exactoribus; et tunc quia talis venditori positive cooperatur ad fraudem et damnum reipublicæ, sine dubio peccat contra justitiam, et venditore non restituente, ipse secundo loco ad restitutionem obligatur. Aut talis emptor positive nulimode cooperatur ad fraudationem; sed simpliciter emit, etsi probe sciat venditorem non solvere, vel non solviturum gabellas, etiamsi is merces occulte in domum tuam importet, et emendas ferat; et bene scias eum id facere animo non solvendi gabellas (modo secreto non cures, sed simpliciter emas), per se loquendo non peccas contra justitiam, neque ad restitutionem obligaris in defectu venditoris: quia tua emptione non positive, sed tantum negative, et materialiter cooperaris ad fraudem alterius: quippe stante tua emptione venditori adhuc liberum sit solvere gabellas; neque tibi ex justitia incumbat venditorem cogere vel monere ad solvendum; aut non solventis fraudem aperire;

aut magistratui deferre. Ratio a priori: gabella non est onus strictæ reale, quod mercem gravet: at onus reale simul et personale, scilicet debitum quidem de tali re, sed non solvendum a quovis habente rem ipsam; bene vero a solo venditore, qui etiam facta venditione, adhuc remanet obstrictus onere solvendi gabellam. Sporer. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 617, *quær.* 7.

(E) Page 43.

192. Codex diversos casus exponit: « Le père et la mère, après le décès du mari, sont responsables du dommage causé par leurs enfants mineurs habitant avec eux; les maîtres et les commettants, du dommage causé par leurs domestiques et préposés dans les fonctions auxquelles ils les ont employés; les instituteurs et les artisans, du dommage causé par leurs élèves et apprentis pendant le temps qu'ils sont sous leur surveillance. La responsabilité ci-dessus a lieu, à moins que les père et mère, instituteurs et artisans, ne prouvent qu'ils n'ont pu empêcher le fait qui donne lieu à cette responsabilité.

« Le propriétaire d'un animal, ou celui qui s'en sert, pendant qu'il est à son usage, est responsable du dommage que l'animal a causé, soit que l'animal fût sous sa garde, soit qu'il fût égaré ou échappé.

« Le propriétaire d'un bâtiment est responsable du dommage causé par sa ruine, lorsqu'elle est arrivée par une suite du défaut d'entretien, ou par le vice de sa construction. » Neque hi tantum de damnis tenentur, sed etiam puniuntur.

Qui tamen omnes culpa theologica rei supponi debent, ut ante sententiam teneantur in conscientia ad restitutionem; secus casus censendi sunt pure fortuiti. Unde aiebat Augustinus Ep. 47, alias 154: *Neque enim reus est christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo, aliquem occidat; aut ideo non debent christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?*

(F) Page 60.

193. Duo observamus circa causas a restitutione excusantes: 1. de *impotentia moralis debitoris*; 2. de *creditoris damno*.

1. Impotentia moralis debitoris vel contingit ob jam existentem necessitatem, vel ob eam quæ exurgeret ex restitutione. Ubi observandum necessitatem aliam esse *communem*, et est status personæ, quæ difficulter et non nisi cum magno labore vivit, vivit tamen; aliam esse *gra-*

rem, et est status personæ, quæ ita ægre vivit, ut incurrat periculum in gravem incidendi morbum aut jacturam, nisi auxilium eidem præbeatur; aliam esse *extremam*, et est status personæ, quæ adeo indiget, ut sine prompto subsidio periculum incurrat amittendæ vitæ.

Necessitas communis attendenda non est, alioquin de restitutione actum esset; cum ea sit ordinaria. Quod vero pertinet ad necessitatem *gravem* atque *extremam*, æquitas postulat quidem, ut earum habeatur ratio: sed cum hac generali advertentia, quod in pari causa melior esse debeat conditio innocentis, ac proprietarii rei. Insuper notandum semper est a confessariis, quod non raro ista impotentia fingitur. « Vous dites à un homme du peuple qui s'accuse d'avoir volé, qu'il doit restituer: il répond qu'il ne le peut pas. Ne le croyez pas au premier mot. Examinez cette impossibilité. Demandez-lui ce qu'il gagne par jour de son métier, ce qu'il dépense pour son entretien et celui de sa famille. S'il joue, s'il va au cabaret. Servez-vous du reste de sa confession pour juger de ses habitudes. Peut-être trouverez-vous qu'il dépense d'une manière criminelle le gain suffisant pour payer ses dettes, plus que suffisant pour la restitution à laquelle il est tenu. Faites un examen analogue, proportions gardées, quand il s'agit d'un négociant, d'un gentilhomme, d'un officier public, » etc. Ita *Istruzione pe' novelli Confessari*, part. I, n. 254.

2. « Outre l'impuissance ou la nécessité où se trouve le débiteur, il est une autre cause qui suspend l'obligation de restituer; elle se tire du côté du créancier: c'est la crainte bien fondée que le maître de la chose n'en abuse à son détriment ou au détriment d'un tiers; la certitude morale qu'il ne s'en servira que pour se livrer à quelque grand désordre, ou pour nuire notablement au prochain: « Quando res restituitur, dit saint Thomas, apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur: omnia enim quæ possidentur sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui definet rem alienam sibi appropriare, sed vel rem servare ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam. » D'après ce principe, il n'est pas même permis de restituer dans le cas dont il s'agit, à moins qu'on ne puisse différer la restitution sans de trop graves inconvénients. Ainsi on ne doit point rendre une épée à la personne qui veut s'en servir pour tuer son ennemi. Si on le faisait, on pécherait évidemment contre la charité. Mais pécherait-on contre la justice en la rendant sans y être forcé? Suivant la plupart des docteurs, on pécherait contre la justice: c'est aussi le sentiment de saint Alphonse de Liguori. Cependant l'opinion contraire nous paraît assez probable, soit parce que le détenteur d'une épée qui ne lui appartient

point fait une chose bonne de sa nature en la rendant à celui à qui elle appartient; soit parce qu'il n'est pas tenu, d'office ou par justice, d'empêcher le crime que celui-ci veut commettre: n'ayant pas droit de garder cette épée comme sienne, le débiteur ne peut, ce nous semble, être assimilé à celui qui, étant propriétaire d'une arme, la prêterait, sachant très-bien que l'emprunteur doit s'en servir pour tuer quelqu'un. » (Gousset, *Théol. mor.*, 1058.)

Casus: *Hesperus habens Elisam filiam nubilem quem impotens est dotare, furtive surripuit ab Heraclito quinquaginta scuta, quibus voluit facile ipsam matrimonio copulare cum Gensericis. Post aliquos annos a matrimonio, Gensericus cognoscit dotem sibi ab uxore delatam totam fuisse ablatam Heraclito per furta. Quid agendum?* R. Vel sponsus adhuc servat dotem impermixtam aut discernibilem ab aliis pecuniis, et tunc (si ea non sit præscripta) restituenda; nam quælibet res clamat ad dominum: et sponsus in hoc casu debet inter eos se recensere qui putando ducere divitem, duxerunt pauperem. Si vero est præscripta aut fuit ab eo in bona fide permixta cum suis bonis qualitate similibus et quantitate majoribus, ad nihil tenetur; quia tunc ex jure communi dos censetur moraliter consumpta (*Glossa* in l. 78, ff. de solut.). Neque opponas: hunc teneri ad id in quo factus est ditior, cum enim dos ei data fuerit ad sustinenda onera matrimonii, nec exinde pro se ullum lucrum perceperit, ex ea in nihilo ditior factus est. *Sporrer, Croix.* — Sunt tamen qui volunt quod sistendo in ipso æquitatis jure debeat a sponsis curari aliquid restituendum. Certo certius de furto primitus patrato semper teneretur Hesperus pater, quandiu potens; ditavit enim filiam de alienis. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 612.

(C) Page 63.

194. *An retentor bonæ fidei rei alienæ, si ea in extrema necessitate usus est, adhuc teneatur de illa?* — R. Tenetur: 1. si cessante necessitate, res aliena adhuc subsistat in sua specie: quia illa semper clamat ad dominum: hinc alienus equus, quo quis usus est ad declinandos fures, periculo superato, domino est restituendus; 2. si debitum sit personale, non reale; jus enim personale semper subsistit, persona subsistente. Hoc evenit quando dominium rei transfertur in accipientem, ut in mutuo: tunc qui illud consumit, consumit rem propriam; at nemo consumendo rem propriam potest liberari ab onere restituendæ rei alienæ; 3. si ille, qui in extrema necessitate rem alienam consumit, non sit absolute pauper, nempe sit pauper in re, sed dives in spe, qui alibi bona possidet quibus pepercit; tunc enim non

potest revera dici constitutus in extremis, quo solum in casu omnia bona sunt communia.

In aliis vero casibus, an consumptor bonæ fidei rei alienæ teneatur in conscientia restituere quod consumpsit, si ad meliorem fortunam deveniat, non conveniunt. Alii affirmant; nam in extrema necessitate in tantum omnia bona sunt communia, in quantum sunt necessaria ad vitam servandam; atqui ad vitam servandam sufficiens est bonorum usus, quin transferatur illorum proprietas: at si non transfertur proprietas, bona semper reddenda sunt, cum possunt reddi. Alii distinguunt: nempe non tenetur rem alienam reddere, si parvi sit momenti, quia præsumitur dominus illam absolute donasse uti eleemosynam: secus autem si res sit maximi momenti, quia hæc non censetur data, nisi quoad usum. Verum generatim Theologi cum D. Thoma, nulla facta distinctione, negant: (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 520); qua enim ratione teneretur rem restituere? ad rem quarit Billuart. Non ratione rei acceptæ, cum amplius hæc non existat nec in se nec in æquivalenti; non ratione injustæ damnificationis, cum eam legitimo jure consumpserit: non ratione contractus, cum hic non obliget, nisi re culpabiliter pereunte. Et sane cum in extrema necessitate ubi agitur de vita conservanda, omnia bona iterum fiant communia, prout erant ab initio mundum bonorum divisione facta; ideo (argumentatur Angelicus) qui in ea necessitate constitutus accipit de alieno, accipit quod suum est; sicque auferendo non committit furtum. (2, 2, q. 66, a. 7.)

Ex quo sequitur: 1. qui laborat extrema necessitate, rem facere suam non solum quoad usum, sed etiam quoad proprietatem; nam in extremis omnia bona sunt communia, et fiunt primi occupantis sicut ab exordio mundi, in quo et communio et occupatio respiciebat tum usum tum proprietatem; 2. non peccare in nostra sententia qui in extremis constitutus præcluso scandalo, rem surripit clam, non petendo; cum ipse habeat eo casu absolutum jus ad rem illam accipiendam. Caveat tamen ne in foro externo habeatur ut fur et lairo; jus enim civile non ita facile credit extremæ necessitati.

Quæres: *Si pauper jus habet rem tunc surripiendi, quid de divite qui illi nedum subveniat, imo prohibet a consecutione rei?* Si dives pauperem impedit vi, ne bona sua accipiat, de restitutione tenetur; nam cum eo in casu habeat jus pauper rebus illis utendi, habet etiam jus, ne impediatur ab illis. Si vero tantum negligit dare, probabilis non tenetur de damnis; nam obligatio sua est tantum charitatis; sicut enim quando omnia bona erant communia, quisque quod vellet, poterat accipere, nemo tamen ex justitia tenebatur dare: ita et in casu nostro, ubi iterum bona communia evadunt. Ex quo deducitur, quod

etsi pauper in veriori sententia etiam rem magni momenti possit auferre, quin petat, si ea absolute indigeat; dives tamen eam non tenetur tradere, cum tantum ex charitate teneatur, quæ per se loquendo non obligat cum gravi incommodo.

Quid (dices) si sit possessor malæ fidei, seu fur, qui alienum consumpserit in extrema necessitate? Sententia communior, probabilior et gravissima docet furem semper teneri ad restitutionem; nam obligatio semel contracta ex injusta acceptione, per supervenientem necessitatem non extinguitur, sed tantum suspenditur. Hoc tamen non obstante, non audemus reprobare uti improbabilem Navarri, Sporer et aliorum opinionem, qui docent etiam furem, si absolute indigeret re illa, et sit etiam pauper spe, deobligari a restitutione; nam possessio mala non adimit jus universale, quod in extrema necessitate habet quilibet ad res omnes. Et sicuti poterat de novo surripere, ita surreptum retinere et consumere poterat, quod quidem non est aliud, quam continuata surreptio.

195. *An (quæres) necessitas extrema debitoris excuset a retentione vel subtractione rei alienæ, si ideo creditor in eadem extrema necessitate constituatur?* Si agatur de re jam antea subtracta, et nunc debitor non possit sibi aut suis (nempe filiis, parentibus, uxori; alii addunt fratribus et sororibus) subvenire nisi per illa bona quæ restituere deberet, tunc non tenetur ea reddere et in extremam necessitatem se conjicere, etiamsi creditor ideo in eadem extrema necessitate constituatur; et hoc etiamsi extet res debita in specie. Ita communiter; ratio quia tunc omnia bona sunt communia, cessatque potestas dominii jure gentium inducta. Si vero agatur de re hic et nunc auferenda, et ipse creditor præcise ob subtractionem illam hic et nunc in extremis conjiciendus sit; tunc non licet rem auferre, et qui abstulit, tenetur restituere; quia auferre alicui rem suam sibi ad vitam hic et nunc necessariam, est idem ac eum occidere: unde in eo casu melior debet esse conditio prius possidentis. Hinc si ego heri occupavi tuum equum, quo hodie indigeam ad effugiendos sicarios, non teneor illum tibi restituere, etiamsi hodie tu in eodem periculo constitueris. Quod si tu in extremo periculo jam constitutus equum tuum retineas, et ego in eodem periculo vellem a te illum auferre et retinere, tunc non licet mihi.

Quid (dices) si creditoris et debitoris necessitas sit tantum gravis? Si creditor jam necessitatem gravem patitur, et debitor tunc ea non labore, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere; quia in æquali necessitate gravi præferendus est creditor: et sane melior esse debet creditoris conditio, quam debitoris, sive hic sit ex delicto sive ex contractu. — Si vero debitor jam constitutus sit in necessitate gravi,

dubium est, an teneatur restituere, quando et ipse creditor eadem necessitate laborat: alii affirmant cum Roncaglia, si debitum sit ex delicto, v. g., ex furto; ratio quia extra casum necessitatis extremæ semper reputanda est melior conditio creditoris innocentis. Alii negant cum Lessio, etiamsi agatur de debitore ex delicto: nec videtur id sua probabilitate carere; quia in eo casu si restitutio facienda esset, non tantum æquale damnum debitor sustinere deberet, sed multo majus quam creditor; cum enim ille gravi necessitate jam laboret, certe non posset restituere nisi cum gravissimo incommodo, ita ut in quasi extremam necessitatem se conjicere videretur. Sed excipe: 1. si debitor creditorem conjecerit in gravem necessitatem præcise ob subtractionem rei suæ; nam potior est conditio possessoris innocentis; 2. si res ablata extet in specie; nam, extra necessitatem extremam, in pari causa, res clamat ad dominum (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 701 et seq.).

196. Quæres: *An si debitor immemor debiti sui, tantumdem creditori ipsi donaverit, excusetur a restitutione?* Communis sententia docet, debitorem, qui immemor debiti sui tantumdem creditori donavit, a restitutione excusari: — 1. si obligatio restitutionis oriatur a præcepto ecclesiastico, v. g., si beneficiatus Horas culpabiliter omitat, et postea eleemosynas largiatur immemor suæ obligationis; nam totum posuit, quod erat in præcepto, nempe *non faciendi fructus suos*; finis enim non attenditur in præcepti adimplemento; — 2. si agatur de debitis incertis, cum tanta non sit eorum obligatio: vel de casu, in quo creditor probabiliter præsumi possit libenter debita remissurus, si rem prout est in se bene perciperet, tunc enim non esset positive invitus; — 3. si obligatio esset aliunde, quam ex justitia, v. g., si quis immemor voti, vel præcepti ecclesiastici, ipsum opus a voto aut a præcepto debitum ex devotione præstaret: ratio est, quia in obligationibus, quæ non sunt ex justitia, ordinarie non attenditur qua ratione præsentur, sed tantum an præsentur actus præscripti.

Hisce exceptis, utrum liberetur a restitutione debitor, qui debiti immemor creditori donat quod ipsi ex justitia deberet (quod si debitum sciret, non donaret): communius ac valde probabiliter negant Bonacina, Layman, Diana, Sanchez, Sporer et Salmanticenses, quia non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex justitia, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Mazzotta et La Croix cum Rebello ac aliis, quorum sententia satis est probabilis; semper ac certe præsumitur, quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis: quæ cum facta fuerit per errorem, sive per

debiti oblivionem (quæ dedit causam donationi), manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens, non velle se obligare, ubi deceptus invenitur. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 120; it. *Op. Mor.*, l. III, n. 700, ubi fusius. Suadent plures, iis qui eleemosynas faciunt, ut intentionem generalem gerant reparandi omnia damna, quæ forsitan intulerunt, maxime in juventute, ignotis dominis.

Communius ac probabilius dicunt Gury, Carriere, etc., contra Biluart, quod valet restitutio debiti, etsi fiat per simulatam donationem; quia non requiritur ad veram solutionem, ut debitor externe fateatur se solvere. Attamen docent contra Tamburini, quod si creditor tunc gratitudine motus et aliquid ipse donet, non est acceptandum; quia ista donatio non est spontanea; cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quæ porro falso est innixa fundamento.

Quid si testator cui restitutionis obligatio incumbit, leget aliquid alicui creditori sub onere Missarum, etc.? essentne a legatario creditore implenda hæc onera, ubi legatum adæquet summam rei restituendæ? — Negative, præsertim quod testator censerit potest sub simulata donatione furti sui tegere restitutionem.

197. Q. *Qui non potest restituere in uno genere bonorum, tenebitur restituere in alio genere inferiori: v. g., tenetur dare pecuniam qui nequit famam resarcire? vel qui aliquem occidit vel vulneravit?*

R. Duæ sunt sententiæ. Prima probabiliter affirmat cum Antoine, Alasia, Cajetano, Sylvio, Soto aliisque; nam licet fama et membra non cadant sub commutatione ac civili commercio, attamen in ordine ad usus humanos bene datur compensatio: ita defectus formæ compensatur divitiis. Pro hac opinione videtur esse S. Thomas (quavis eum aliqui explicant de debito honestatis, atque simplicis conventiæ); ait enim: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecunia vel in aliquo honore* (2, 2, q. 62, a. 2). Multi etiam dicunt ad hanc restitutionem teneri hæredes occisoris, vel mutilatoris, in hujus defectu; nam hæredes tenentur ad omnia debita, quibus gravatur hæreditas; porro dicta obligatione hæreditas certe gravatur; neque enim potuit occisor vel mutilator se obligare, quin obligaret bona sua. Sed multi hoc negant; quia hoc præcise non est debitum reale, sed personale; ideoque non transit ad hæredes.

Secunda vero sententia communior ac probabilior cum Croix, Filiucio, Laymano, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Sporer, Vasquez, Victoria ac ceteris negat. Et probatur: — 1. *Scripturis*, ubi dicitur, quod vulnerato convalescente, *innocens erit qui percusserit, ita tamen, ut operas ejus et impensas in medicos resti-*

tuat: sufficit ergo damnorum compensatio in bonis fortunæ (Exod. xxi); 2. *Jure communi* ubi dicitur, vulneratum teneri ad expensas curationis, et mercedes, quibus cariturus est vulneratus: *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatione, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem* (Digest. t. III *De his*); — 5. *Ratione*; nam justitia commutativa obligat ad restituendum juxta æqualitatem damni illati; atqui ubi restitutio est facienda in genere diverso, nulla adest æqualitas: per quamcumque enim pecuniam damnum non reparatur neque in toto neque in parte; quia res utpote diversi ordinis se mutuo attingere non possunt. Quod autem aliquando a lege imponatur delinquenti aliqua satisfactio solvenda ad arbitrium vel judicis vel tertii vel ipsius damnificati, poena est, non restitutio. Sane si res in se ipsa spectetur, videtur pugnare in verbis, quod ibi habeatur justitia commutativa, ubi rei æqualitas non habetur (Exod. xxi. V. Li-guori, *Op. Mor.*, l. III, n. 626).

Docent tamen communiter congruum valde esse in praxi, ut pœnitenti imponatur aliqua erga læsum elargitio, maxime si pauper sit, idque hodie præsertim; quia *et decus et samam regina pecunia donat.*

(H) Page 75.

198. Q. *An liceat Principem tyrannum interficere?*

R. Semper ac Princeps est in possessione Regni (iniquiter regnans Ecclesiam vexando, ejus jura invadendo et alias injustitias et immanitates exercendo), obligantur subditi ei obedire in omnibus rebus licitis. Nec obstat, quod injustus sit ac perversus: *Servi*, ait Petrus, *subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et moderatis, sed etiam discolis* (I Petri ii). Unde D. Augustinus dicit, *Dominum dare Regnum terrenum et piis et impiis, sicut ei placuit, cui nihil injuste placet* (De Civit. Dei, l. V, c. ii); at si subditi huic dominantibus obedientiam negare nequeunt, tanto minus eos vita vel possessione Regni privare possunt.

Adde: si licitum esset eos occidere, nulla foret Principum securitas, nulla Reipublicæ quies; quia quisque semper autumare posset casum necis adesse, ut observat D. Thomas (De Regimine Princip. *Opusc.* ii, l. I, c. 6). Hinc Concilium Constantiense sess. 15 hanc propositionem: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassalum suum vel subditum*, damnavit tanquam hæreticam, scandalosam; et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjurias vias dantem. Quam iterum dam-

navit sub anathematis poena Paulus V Constitutione *Cura Dominici gregis*, anno 1615.

Quid (dices) si regimen Principis sit excessive tyrannicum? — R. Cum D. Thoma: si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi singillatim providere de Rege, non injuste ab ipsa institutus Rex potest destitui, si potestate tyrannice abutatur; cum pactum speciale multitudinis fideliter gubernandæ non servetur: sic Romani Tarquinium Superbum quem in Regem susceperant, propter ejus et filiorum tyrannidem e Regno ejecerunt. Si vero non ad jus multitudinis, sed ad jus alicujus superioris pertineat providere de Rege, tum ab eo expectandum est remedium: sic Judæi a Rege Archelao vexati ad Cæsarem Augustum, a quo ille dependebat, recurrerunt. Quod si neque ad multitudinem neque ad alium superiorem pertineat providere de Rege; cum independenter ab aliis Regnum habeat, ut ordinarie contingit, tunc *etsi Princeps perversus ac populus gravatus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi præstare, cum subditi nunquam jus habere possint de rebus gestis Principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam aut Regnum amittendum.* Et nimis perniciosum fuit hac de re principium Gersonis, qui ausus est asserere, quod Monarcha potest legitime a tota natione judicari, si Regnum injuste regat; nam hoc modo duæ in Regno essent supremæ potestates, et inde enormissima schismata Regni que desolatio.

In eo igitur casu *recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione; ejus enim potentia subest, ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem secundum Salomonis sententiam* (Prov. xxii, 1): *Cor Regis in manu Dei; quocumque voluerit inclinabit illud... Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare; quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt Principatum, dicente Domino* (per Osee xiii, 11): *Dabo tibi Regem in furore meo; et in Job* (xxxiv, 30) *dicatur, quod regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: Tollenda est igitur culpa ut cesset a tyrannorum plaga* (S. Thomas, l. cit.).

Quid (quæres) si tyrannus nondum sit in pacifica Regni possessione? Esto quod tunc non sit ei obediendum, quia nec vere superior est, nec ullum jus habet dominandi; attamen non ideo licet ipsum interficere, cum malefactores occidere privatorum non sit, extra casum personalis aggressionis. Neque privatus quisquam præsumere potest hanc auctoritatem sibi a Republica commissam, nisi expressum haberet indicium; secus frequenter evenirent in societate perturbationes, subversiones, etc.

Vid. *De Regimine Princ.*, opusc. II, l. I, c. 6. Hujus tamen Opusculi auctorem negant eruditi fuisse D. Thomam, si excipias duos primos libros: vid. *Civiltà Cattolica*, ser. II, vol. VII: la dottrina di S. Tommaso sull' origine del potere e sul preteso diritto di resistenza, et vol. XII: l'autorità spiegata dagli scolastici. — V. item *De legibus*, ubi de legibus tyranni. — Taparelli, *Saggio Teoretico, ecc.*, § 659. — Parisiis, *Cas de conscience*. — Audisio, *Juris naturæ et gentium privati et publici*, ubi de revolutione. — Della Margherita, *Avvedimenti politici*, c. XIII. — Bianchi, *Della podestà e polizia della Chiesa, ecc.*, l. I. — Balmes, *Il protestantismo comparato al cattolicismo*, c. 55, etc. — Liguori, *Hom. Apost.* Tract. VIII, n. 15, ubi fuse. — *Civiltà Cattolica*, serie 3^a, t. 2 e 3: *La provvidenza negli eventi politici, ecc.* — Carrière, *De justitia et jure*; ac *De Legibus*.

199. *An liceat aliquando (quæres) occidere innocentem?* Non licet innocentem directe occidere, nisi Deus qui solus habet jus vitæ et necis, concedat: *Insontem et justum non occides*, legitur in Exodo. Diximus directe: ubi enim justa sit causa, fas est indirecte aliquid agere, ex quo præter agentis intentionem mors innocentis sequatur, hæc tamem causa debet esse tanti momenti, ut vitæ ipsi æquivaleat; sic si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, non licebit quidem illum directe interficere, cum non sit nisi pars moralis Reipublicæ, a qua non accipit esse et vivere, ut accipit membrum corporis a corpore. At in probabiliori sententia poterit publica auctoritas illum cogere, ut se ad tyrannum conferat; et ubi nolit, etiam tradere; nam eo ipso quod renuit, evadit Reipublicæ noxius, quam quisque ex charitate et justitia legali teneatur vitam exponere pro Republica. Traditio autem est tantum indirecte occisiva; cum non ex traditione, sed ex mala tyranni voluntate directe eveniat occisio.

Aliud tamen dicunt, si tyrannus puellam ad stuprandam peteret, vel libros sacros ad comburendos; quia in priori casu puellam proximo periculo peccati exponeret, in altero casu videntur in Dei contemptum sacri libri postulari. Deinde Codices sacri sunt altioris ordinis; neque ordinantur ad salutem Reipublicæ, sed ad salutem animarum; membra autem communitatis ordinantur ad salutem temporalem communitatis. Ita *Dens*.

(1) Page 80.

200. Plura veniunt observanda circa militiam, ac milites.

1. Princeps antequam bellum indicat tenetur quam diligentissime curare, ut certus sit de ejusdem justitia et gravi causa. Atque ideo hæc

quatuor præstare debet: 1^o non tantum peritos, sed etiam bonos consiliarios sibi adsciscere; 2^o non tantum consiliarios, sed etiam diversos Theologos interrogare de justitia belli secundum leges Evangelicas; 3^o coram Deo rem totam a seipso attente perpendere, et statuere quod in tremendo suæ mortis puncto se fecisse vellet; 4^o attendere, ut omnes libere ad se perveniant, et non impediuntur, vel intervertantur litteræ et instructiones.

Quid vero (dices) si, etiam his positis, Princeps non habeat pro se, nisi opinionem probabilem pro inferendo bello alteri Principi, qui Regnum jam bona fide possideat? Cum Billuart, Tamburini, etc.: nobis longe probabilius est, quod tunc Princeps non possit bellum indicere; cum enim possessio tribuat jus certum in rem possessam, nequit tunc possidens possessione sua expoliari, nisi certo constet illum injuste retinere. Adde tot flagitia e bello provenientia. Adde ipsam capitis sententiam, quæ in adversarios milites profertur: quæ omnia sine certo jure fieri ac permitti non possunt.

Q. *Ad quem pertinent bona ab hostibus in bello justo erepta; et quid dicendum de repressalibus atque prædis?*

R. *Bona immobilia ex lege belli cedunt Principi aut Reipublicæ; mobilia de usu sunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat Principi aut communitati* (L. II. *Inst.* t. 1, § 17. V. Benedictus XIV, *Epistola Urbem*, § 4, anno 1752, 19 mart.). — *Ad repressalia* quod attinet, hæc licita communiter habentur, cum sint quædam compensationis ac belli species; si tamen: 1^o constet cives alterius Reipublicæ fecisse injuriam; 2^o si illorum Superiores rogati recusent administrare justitiam; 3^o si Princeps supremus, causa cognita, id concedat; 4^o si non inferatur plus damni, quam satisfactio requirat; 5^o si non committantur in ecclesiasticas res. Tandem quoad *prædas* dicimus: militibus eas propria auctoritate agere non licet, cum ipsi non sint domini, sed simplices executores: quare quæ surripiunt, restituere tenentur. Hinc ipsis dicitur: *Contenti estote stipendiis vestris*; (*Luc.* 3.) Licet tamen eas agere, si legitima adsit permissio; potest enim Princeps hæc bona ipsis concedere, sive ut minus gravetur ærarium publicum, sive ut militum animi magis incitentur, sive ut qui præ aliis pericula sustinent, præ aliis de commodis participant. Parvi autem refert sive ab innocentibus sive a reis prædas accipiant; modo sint inimici. Ceterum quando urbs datur ad prædam, semper excipiuntur monasteria, ecclesiæ, ac loci pii ex communi jure.

An (quæres) *liceat hostes decipere, ut facilius vincantur?* — Licet utique uti insidiis ac stratagematibus, modo absit mendacium: sic licet fugam fingere, uti hostium vexillis; hæc enim non habentur ut proprie dicta mendacia, cum possint præcaveri. Esset autem ex com-

muni sensu contra jura belli aquas veneno inficere, innocentes directe occidere, quo nomine veniunt pueri, mulieres, senes, peregrini, ecclesiastici, rustici, atque insontes mercatores.

An (quæres) *Principes catholici possint in bello vocare in auxilium hæreticos, vel etiam gentiles?* — Est sententia, quæ id absolute negat ob illud Exodi: *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Sed sententia est quæ docet id per se licere, et probat exemplo Davidis, qui se Philistæis adjunxit: et hæc si speculative consideretur, est probabilis. Sed in praxi videtur omnino tenenda prima; vix enim credi potest, nulla esse eventura damna religioni, contrahendo societatem cum illius hostibus, puta cum Turcis, hebræis, hæreticis; ratione videlicet scandalii et periculi in fide, v. g., ne catholici subditi pervertantur, ne sacra profanentur, etc.

Quid de bello quod suscipitur, stimulante sola regnorum auiditate, studio immortalis nominis, etc.? Non tam scelus, quam portentum sceleribus gravidum dixeris, quo integræ regiones et gentes vastitate, cæde, bonorum direptione omnique injuriarum genere horrendum infestantur. *Staps, § 592.*

2. Post multa egregie discussa circa militiam, præcipuas militis obligationes ita paucis contraxit *Diarium la Civiltà Cattolica*, ser. IV, vol. V, art. *la milizia nei tempi moderni.*

Le soldat est une force armée en faveur de l'ordre social. — D'où il suit que:

1° Il ne peut tirer l'épée pour la cause du désordre évidemment reconnu.

2° Pour être partie intégrante de la force armée et avoir par elle cette prépondérance nécessaire au maintien de l'ordre, le soldat doit obéir à une volonté, à un esprit ordonnateur; par suite, celui qui commande a un droit certain à une prompte obéissance de la part de son inférieur.

3° Cette obéissance est essentiellement liée à la personne (morale ou physique) du chef lui-même, et non à l'idée générique de *patrie*, de *nation*, d'*autorité*. Lors donc que le commandement n'est pas évidemment nul pour cause d'injustice, la fidélité militaire oblige à l'obéissance envers le chef.

4° Si l'injustice du commandement n'est point évidente, mais que l'inférieur en doute, ce lien *incertain* de la conscience ne peut empêcher le devoir *certain* de l'obéissance. Celui qui a juré fidélité au drapeau doit alors obéir malgré ce doute intérieur. Quant à celui qui n'est pas encore lié, il ne lui serait point permis de s'engager dans l'armée avec un pareil doute, et d'assumer par conséquent des obliga-

tions dont il soupçonne l'injustice: il n'y a plus ici pour lui un devoir certain qui détermine l'acte d'une conscience incertaine.

5° Une conscience ne peut pas être appelée incertaine alors qu'elle est guidée par la suprême autorité dans l'ordre moral. Si donc un acte est condamné par l'Église comme injuste, il ne peut rester dans l'inférieur ni doute ni incertitude, et en conséquence, l'injustice du commandement étant certaine, ce commandement ne peut plus lier l'inférieur. Ce n'est plus l'ordre qui gouverne, c'est le désordre qui abuse de l'autorité.

6° Les enseignements par lesquels l'Église éclaire nos obscurités et dissipe nos incertitudes nous viennent de l'oracle suprême par le canal hiérarchique. Les simples prêtres sont les organes de l'autorité supérieure et méritent obéissance toutes les fois qu'ils parlent d'accord avec elle.

7° Si, par malheur, la hiérarchie inférieure rompt le canal qui la réunit à la source de la vérité en en violant les décrets, elle ne saurait plus en recevoir les eaux. Voilà pourquoi un évêque même ne saurait rassurer les consciences catholiques, s'il ne part dans ses enseignements du principe de l'infailibilité du Souverain Pontife, infailibilité dans le dogme, autorité souveraine dans le commandement.

8° Quand l'Église, par l'organe de ses prêtres, éclaire dans la conscience des fidèles les relations qui surgissent entre l'acte civil ou politique et la loi morale, elle n'usurpe pas des fonctions politiques ou civiles, quoique l'influence de la loi morale doive se faire nécessairement sentir dans l'ordre civil ou politique, tantôt avec un avantage tantôt avec un inconvénient temporel. Par où l'on voit combien sont insensés ceux qui veulent se soustraire aux déclarations de l'Église en de telles matières, sous le prétexte que l'Église ne peut se mêler de politique. Qui est-ce qui empêcherait, avec de pareils arguments, d'abolir par exemple le carême, puisque l'Église n'a rien à voir dans la cuisine. (I. *Civiltà Catt.* ser. I, t. IX: *La garde nationale.*)

3. Hæc dicit liber cui titulus, *Méthode pour la direction des âmes*, t. II, p. 568:

« Il y a des saints dans tous les états. Dieu a de fidèles serviteurs dans les conditions les plus exposées au péché et au désordre: on a vu dans tous les temps et on voit encore à présent de respectables militaires porter la vertu à un degré supérieur; mais il est vrai aussi que plusieurs du même état sont très-dérangés, et qu'ils deviennent très-dangereux et fort à craindre pour une paroisse, quand ils sont en quartier d'hiver ou en semestre, il est difficile qu'ils n'y fassent pas des conquêtes au démon; c'est ce qui doit ranimer la vigilance et le zèle du pasteur. S'il donne ses avis prudemment et s'il les soutient

par la vigilance et la fermeté, plusieurs paroissiens, quelquefois même les soldats en profiteront ; s'il n'empêche pas tout le mal, au moins il le diminuera.

« Il avertira ses paroissiens, surtout les filles et les garçons : 1° de ne point se familiariser avec les soldats ; 2° de se défier d'eux quelque apparence de piété qu'ils aient. C'est assez souvent le moyen que prennent plusieurs pour séduire les personnes sages ; 3° de ne les point assembler dans quelques maisons ; 4° on avertira les mères de ne point quitter leur ménage, et de ne point laisser coucher leurs garçons grands ou petits avec un soldat ; 5° le mari et le garçon ne s'amuseront point à boire ou à jouer avec eux ; 6° on ne prendra pas un soldat pour ouvrier ni à la maison ni à la campagne ; 7° si un militaire a de mauvais livres, on ne permettra pas aux enfants de les lire ou d'en entendre la lecture.

« Le pasteur pourrait donner une partie de ces avis à la congrégation et à la conférence ; s'il les donne en chaire à la messe, ce sera avant l'arrivée de la troupe, honnêtement, sans prévention et sans mauvaise humeur. Il cherchera à gagner l'amitié des gens de guerre, il les priera de ne faire ni trouble ni scandale dans la paroisse... Tâchez surtout de bien vivre avec l'officier, n'omettez rien pour le gagner. On ne doit point avoir recours au commandant pour des bagatelles ou des faits peu constatés. »

201. « Quæstio est: An si cives nostri damnum ingens tempore belli passi sunt, his restitutio quædam a Republica debeatur? — Vasquius in controversiis illustribus negat ea ratione, quod jus belli id permittat. Sed hoc recte absurdum, dicit Grotius: jus enim belli excusat non quæ civibus fiunt, sed quæ hosti nocent. Ergo omnino reliqui cives debent refundere damnum, quod ex concivibus unus vel alter extra ordinem passus est; ex eadem ratione, ob quam contributio fieri solet ex lege Rhodia de jactu, si unius merces in mare projectæ sint, ut aliorum res salventur. » Heineccius, *Prælect. Acad. in Hugonis Grotii libros de jure belli et pacis*, l. III, cap. 20, §§ 7 et 8. — V. *Del dovere nello Stato di compensare i danni e di risarcire le requisizioni militari nemiche...* Memoria de l'Avv. Pampuri; Novara 1860.

Militum obligationes tradit inter ceteros liber, *Il soldato, ossia Doveri morali di un soldato*. Roma. — Grossi, *Della vita militare, pensieri di due uomini di Stato*. Torini, tipografia Fontana, 1841. — Fassi, *Brevi discorsi morali ad uso dei militari*. Torino, 1855. — Cespedes, *Dubia conscientie militaria*, ecc., Mediolani, 1645. — *Discorso a distinguo dei guerrieri empî, accompagnato da quarta rima in lode dei guerrieri pii*, di A. D. S. G. Modena, 1820, tip.

Reale. — Audisio, *La reale Basilica di Soperga*, l. III, c. 5. — *Manuale del soldato cristiano*. — *Ricordi, massime e preghiere del soldato*. Venezia, 1857. — Ségur, *La Caserne et la Chambrée* (opus inter milites diffundendum). — Tassoni, *La religione dimostrata*, ecc., part. 3, c. 14. — *Civiltà Cattolica*, ser. IV, vol. V: La milizia nei tempi moderni. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Bellum, Miles, Militia.

202. Genuina historia parum instructi graviter hic calumniantur religiosa bella, quæ sæculis XI et XII contra Turchas indicta sunt (vulgo *Croisades*). At propositum sanctum erat: ea enim instituta fuerunt tum ad recuperandam Terram Sanctam ab impiis Turcharum manibus, tum ad liberandos fideles ab immani eorum tyrannide, tum ad illorum compescendam audaciam, quippe qui totam minabantur Europam. Utique hominum malitia in pluribus fraudata fuerunt, sed abusus alicujus rei non probat rem in se ipsa vitiosam; RR. autem Pontifices continuo reclamabant contra perversas hominum voluntates. Ceterum qui indolem illorum temporum bene perspectam habent, memorata bella non parum utilitatis ipsi mundo attulisse, ultro fatebitur: « Il périt, si l'on veut, deux millions d'hommes, mais qui opprimaient vingt millions d'esclaves; des sommes immenses furent transportées en Asie, mais on y apprit le secret d'en faire entrer en Europe de plus considérables par le commerce; le clergé et les moines s'enrichirent en rachetant les fonds qui leur avaient été enlevés et qui seraient demeurés en friche; la noblesse se ruina, mais elle perdit l'habitude du brigandage et de l'indépendance. Si la puissance des papes augmenta pour quelque temps, celle des mahométans, plus redoutable, fut réprimée et mise hors d'état d'abrutir l'Europe entière. Quand on aura pesé ces différentes considérations, l'on verra de quel côté la balance penchera. » Ita Bergier, *Dictionnaire*, etc., v^o Croisade. — V. Ferreri, *Lo cattedra di S. Pietro*. Torino, 1846, pag. 277. — Salzano, *Corso di storia ecclesiast.*, lib. XIII. — Balmes, *le Protestantisme comparé au Catholicisme*, cap. 45; item *De la Trêve*, cap. 52. — *Civ. Catt.*, ser. II, vol. III: Il protettorato russo. — Taparelli, *Saggio Teoretico*, ecc., n. 1508. — T. Dandolo, *Roma e i Papi*, vol. II: spirito del secolo XI. — Ventura, *Essai sur le pouvoir public*, c. 2, § 9. — Rohrbacher, *Histoire générale de l'Église*, sec. XI.

(J) Page 81.

203. Multo sæpius hæc erga seipsum sævities (nempe suicidium) ex animo depravato oritur, præsertim ubi ex vitiorum frequentatione sensus Religionis extinctus jacet vel fides ipsa evanuit... Præ reliquis turpes amores, ambitio, avaritia et immoderati lusus homines in barathrum horrendum adeo præcipitare solent. Absit ut hanc sævitiem fortitudinem animi dicamus; nam fortitudo homine cordato digna ea tantum est, quæ inter omnes temporum acerbitates fortunæque vicissitudines invicta perstat... Qui ad eas declinandas semet enecant, non nisi sensui acerbiori cedunt, et hoc ipso mentis suæ imbecillitatem testantur. Rectissime Poeta inquit: *Rebus in angustis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit qui miser esse potest*: » Stapf. Absit etiam, ut de facili suicidas excusemus, quasi nempe intercepto usu rationis phrenetico furore agantur: « Nous estimons que le trouble subit et momentanè de la raison est la suite ou l'effet d'un penchant malheureux que l'on n'a point suffisamment combattu, ou de la négligence qu'on a mise à éviter les occasions propres à l'entretenir ou à la faire développer davantage. Ce sont ces circonstances ou ces causes génératrices de délire subit et partiel qui doivent déterminer le degré de culpabilité de l'action du monomane, parce que la volonté morale est subordonnée à la liberté morale, comme celle-ci est subordonnée à l'intégrité de la raison. » Ita ait doct. Debreyne, in libro *Essai sur la Théologie morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et la médecine. Ouvrage spécialement destiné au Clergé*, Bruxelles 1844.

(K) Page 84.

204. In casibus singularibus plurimum interest attendere cujus ætatis, physicæ complexionis, indolis, status et conditionis persona illa sit, cui sui ipsius maceratio concedatur: *Aliter est judicandum de fine, aliter autem de his quæ sunt ad finem: illud enim quod quæritur tanquam finis, absque mensura quærendum est; in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicuti finis; jejunia autem, vigiliæ et alia exercitia corporalia non quærentur tanquam finis, sed adhibentur tanquam necessaria ad finem, et ideo hujusmodi adhibenda sunt cum qua-*

dam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur (S. Thomas, *Quodl.* 5, a. 2): Et hæc quidem de *via ordinaria* obtinet; ast Deus Ecclesiam suam omni tempore animabus singulariter dilectis exornavit, quas proinde per viam non omnibus usitatam, sed per summos et vere stupendos pœnitentiæ rigores deduxit, tum ut easdem ad extraordinaria spiritus sui charismata disponderet, tum ut mundo mollescenti et vecordi exempla præberet, quibus salubriter confunderetur: quorum valetudo, quo minus sibi parcerent, eo rebustior... Procul a nobis sint criminationes et cavilli quibus recentiores aliqui, præsertim protestantes, illos onerare non erubescunt... Defleamus potius ignaviam ætatis nostræ, quæ quidem tanta est, ut Ecclesiæ florescentis specimina pro deliramentis habeat. Quid impij ejusmodi irrisores facturi essent, si Deus talia quæ a Sanctis ultro perpetrata legimus, ab ipsis severa lege expeteret, ab ipsis, inquam, qui etiamsi mortificatione ac pœnitentia præ ceteris indigeant, ipsam tamen ejusdem umbram perhorrescunt?

« In hac materia plures nosmetipsos abnegandi occasiones dantur, quæ nobis invitis occurrunt, v. g., dum ob singulares labores consuetam refectionis horam differre cogimur, dum cibaria minus grata, insipida vel manu fors parciore apponuntur, etc. Quod si ergo in ejusmodi casibus naturæ indignantis motus compescere, hæc nostri abnegatio circumstantiis prompte accommodare studeamus, hæc nostri abnegatio præ omni media divinum nobis beneplacitum conciliabit. Præclare S. Franciscus Salesius (maxime pro collegialiter viventibus): *Summopere reverenda duco verba illa Redemptoris ad discipulos: Manducate quæ apponuntur vobis. Ni fallor, majoris virtutis est indiscriminatim comedere quæ et quo ordine apponantur, sive sapiant dissipiantve palato, quam proprio motu semper deteriora sibi eligere; licet enim hæc posterior agendi ratio videatur austerior, prior tamen plus continet resignationis; per illam quippe homo non gustui tantum, sed suo quoque arbitrio renuntiat. Accedit, quod hoc mortificationis genus ab omni nota vanitatis immune, prorsus innocuum, et vitæ sociali perquam conveniens est. (Introduction à la vie dévote, p. III, c. 25).* » Ita Stapf perbelle more suo §§ 547 et seqq.

205. Ad rem item Salesius (*Lett.* 54), quoad infirmitates ac corporis morbos.

Si velimus bene uti infirmitate morbum eos considerare oportet tum quoad nos, tum quoad amicos et parentes nostros, tum quoad pauperes, prout notat Lacordaire (*Discours pour l'œuvre de la visite des malades*).

(L) Page 85.

206. Quoad duellum notamus cum Gury : — 1. non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato, aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; tum quia etiam in hoc est maximum vulneris lethalis periculum; tum quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; tum quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem præbet; — 2. non licet duellum suscipere, etiam auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam, nec ad finiendam litem privatam, quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi possunt rei ad duellandum, spe etiam victori futuro data; — 3. licet pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum esset, non actualis aggressio.

« Medio ævo (ait *Stapp*, § 591), ejusmodi pugnae, nempe duella, sepe adhiberi, imo etiam auctoritate publica demandari consueverant, ut quis notam criminis sibi vel etiam aliis objecti tali modo amoliretur. Prædenter nimirum et temere sperabant Deum provisorum, ut pars innocens etiam victrix existeret. Ab hac Dei tentatione ætas subsequens equidem respuit, ita tamen, ut in ejusdem locum vesania non minor successerit, opinio scilicet, ad partes et vix non ad officia honesti viri spectare, ut vel injurias sibi illatas ejusmodi certamine ulciscatur, vel ut hoc modo animum prorsus intrepidum ostendat. »

De duello ad rem Gaume, *Catéchisme de persévérance*, part. II : « Le concile de Trente frappe les duellistes d'infamie, en sorte qu'ils sont irréguliers et ne peuvent plus recevoir les ordres sans une dispense. En effet, ils sont infâmes, parce qu'ils sont lâches et mauvais citoyens.

« *Lâches*. Ils courbent leur front orgueilleux sous le jong d'un préjugé barbare qu'ils n'osent affronter.

« *Lâches*. Ils manquent du seul courage qui honore véritablement l'homme, le courage du pardon.

« *Lâches*. Ils se montrent esclaves des plus viles passions, l'orgueil, la rancune, la cruauté.

« *Mauvais citoyens*. Ils jouent, pour satisfaire une vengeance personnelle, un bien qui n'est point à eux, leur vie qui appartient à la société, à leurs épouses, à leurs enfants.

« *Mauvais citoyens*. Ils violent effrontément la première loi de toute société, qui défend à l'individu de se faire justice à lui-même.

« *Mauvais citoyens*. Ils foulent aux pieds toute espèce de morale pour ne connaître que le droit brutal du plus adroit, établissant en principe que l'honneur est à la pointe d'un sabre, dans la balle d'un pistolet.

« N'est-ce pas avec pleine justice que l'Église déclare infâmes ceux qui se rendent coupables d'un pareil crime? et la raison ne dit-elle pas en applaudissant à cet arrêt : Oui, infâmes! L'impiété elle-même n'a-t-elle pas élevé la voix pour flétrir ce préjugé barbare? — Gardez-vous, dit Rousseau, de confondre le nom sacré de l'honneur avec ce préjugé féroce qui met toutes les vertus à la pointe d'une épée et n'est propre qu'à faire de braves scélérats. Mais encore, en quoi consiste cet affreux préjugé? Dans l'opinion la plus extravagante, la plus barbare qui jamais entra dans l'esprit humain, savoir : que tous les devoirs de la société sont suppléés par la bravoure; qu'un homme n'est plus fourbe, fripon, calomniateur; qu'il est civil, humain, poli, quand il sait se battre; que le mensonge se change en vérité; que le vol devient légitime, la perfidie honnête, l'infidélité louable, sitôt qu'on soutient tout cela le fer à la main; qu'un affront est toujours bien réparé par un coup d'épée, et qu'on n'a jamais tort avec un homme parce qu'on le tue. Il y a, je l'avoue, une autre sorte d'affaire où la gentillesse se mêle à la cruauté et où l'on ne tue les gens que par hasard; c'est celle où l'on se bat au premier sang. Au premier sang! grand Dieu! et qu'en veux-tu faire de ce sang, bête féroce? le veux-tu boire?

« Dira-t-on qu'un duel témoigne qu'on a du cœur et que cela suffit pour effacer la honte et le reproche de tous les autres vices? Je demanderai quel honneur peut dicter une pareille décision et quelle raison peut la justifier? A ce compte, si l'on vous accusait d'avoir tué un homme, vous en iriez tuer un second pour prouver que cela n'est pas vrai. Ainsi vertu, vice, honneur, infamie, vérité, mensonge, tout peut tirer son être de l'événement d'un combat; une salle d'armes est le siège de toute justice : il n'y a d'autre droit que la force, d'autre raison que le meurtre, toute la réparation due à ceux qu'on outrage, c'est de les tuer, et toute offense est également bien lavée dans le sang de l'offenseur et de l'offensé. Dites, si les loups savaient raisonner, auraient-ils d'autres maximes?

« Laissez se battre tous ces gens-là (tous les mauvais sujets), rien n'est moins honorable que cet honneur dont ils font si grand bruit; ce n'est qu'une mode insensée, une fausse imitation de vertu qui se pare des plus grands crimes. L'honneur d'un homme qui pense noble-

ment n'est point au pouvoir d'un autre : il est en lui-même et non dans l'opinion du peuple : l'honneur ne se défend ni par l'épée ni par le bouclier, mais par une vie intègre et irréprochable, et ce combat vaut bien l'autre en fait de courage. En un mot, l'homme de courage dédaigne le duel, et l'homme de bien l'abhorre. » V. Scotti, *Teoremi*, ecc., l. c. — *Pensieri di un Cattolico credente*, Milano, p. 253. — Card. Gerdil, *Opere*, tom. III, ubi fuse ac solide pro more suo. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., v° Duel. — Bossi, *Del duello conseguente del vulgar sistema d'onore militare*. — Et opus nostrum, *Ethices seu Philosophiæ moralis elementa*.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

(H) Page 90.

207. An (quæres) mulieres, quæ in semetipsis abortum procurant, excommunicationis pœnam incurrant? — Certum est, mulieres non posse abortum sibi procurare etiam ante fœtus animationem, quamvis sibi videant ex uteri graviditate imminere periculum infantiæ, vel etiam mortis; cum id sit intrinsece malum. Et deducimus etiam ex ista, quam n. 54 Innocentius XI damnavit propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa grvida occidatur vel infametur*. Item certum est peccare mortaliter et homicidium committere mulierem, quæ in se ipsa procurat abortum fœtus animati. Verum utrum incurat etiam excommunicationem a Sisto V irrogatam, sententia communissima cum Bonacina, Sporer atque Viva, qui dicit hanc esse usu receptam, affirmat; quis enim abortus magis reus est matre ipsa, quæ ideo pharmacum suscipit? Et in Bulla aperte legitur § 1: *Pœnas incurrere etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint*; et § 7 iterum Pontifex comprehendit mulieres ipsas, quæ eadem pocula (ad abortum) sponte ac scienter sumpserint.

Sed sententia negans est valde probabilis et attendenda ejus intrinseca ratione, probabilior. Hanc defendunt Avila, Lexana, Naldus, Roncaglia, Salmanticenses et Lugo (qui tamen concludit standum pro contraria sententia, si communis usus regionis sic explicet et intelligat Bullam). Sane in utroque objecto paragrapho qui matres comprehendit, Pontifex patenter loquitur (ut sedulo in Bulla observavimus) tantum de pœnis temporalibus contra homicidas statutis; nam cum deim gradum facere vellet ad pœnas spirituales, præsertim ad excommunicationem infligendam in § 7, subdit: *Insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus pœnis prospiciamus et consulamus omnes et singulos cujuscumque gradus,*

status... qui vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem vel alia medicinalia scienter dederint, etc. Loquendo hic igitur de pœnis spiritualibus, non amplius nominat mulieres prægnantes, sed tantum eos, vel eas, qui vel quæ dant opem, consilium, etc.; atqui mulier quæ sibi abortum procurat non potest recte dici sibi præbere opem, consilium, etc. Et fortasse Pontifex consulto ita se gessit ad novum animæ laqueum in his mulieribus declinandum, earum infirmitati compatiens. Saltem dubia res est, ait Roncaglia; at in dubio reo favendum est. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 595.

Pharmacopolas et medicos (monet Stapf, § 588), cautissimos esse oportet, ne, dum fœminæ nonnihil suspectæ sub diversis obtentibus consilium petunt, sive directe sive indirecte ad immane hoc crimen cooperentur. Iterum ait neque illos excusari, qui ut se liberant ab importunitate, ac ne simul abortum causent, remedia inania tribuunt; hoc enim præter alia mala multum confert, ut fascinata juvenut libidini audacter indulgeat, secutaque imprægnatione, remedia oblata iterum et iterum tentet, et quod non obtinet efficacitate, obtineat remedium saltem repetitione.

Quando fœminæ ex fornicatione grvida confitentur, interrogandæ sunt, caute tamen atque prudenter, de abortu desiderato vel tentato, neenon de remediis adhibitis. De hoc pariter interrogandi sunt amasii qui sunt fornicati; sæpe enim abortum consulunt.

208. Duo adhuc notanda: unum de fœtus animatione; alterum de causis abortus studiosissime amovendis.

Quoad 1, præstat audire medicum Debreyne: « Gangiamila dit avoir vu un embryon qui n'avait que seize jours et qui donnait des marques très-sensibles de vie. Il en cite une foule d'autres exemples. Plusieurs auteurs n'ont admis l'animation que lorsque les principaux membres du fœtus étaient déjà formés. Zacchias croit qu'elle a lieu au moment même de la conception. Saint Basile ne voulait pas que l'on distinguât entre le fœtus animé et inanimé, parce qu'il était persuadé que l'âme est créé à l'instant même de la conception. Saint Grégoire de Nysse ajoute que le bon sens ne peut admettre qu'une chose inanimée ait la force de se mouvoir et de croître. *Enimvero, posteriorem esse originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente præditus in animum induxerit; cum manifestum et perspicuum sit quod nihil exanime habeat in se vim se movendi pariter atque crescendi.* C'est cependant ce que l'on remarque dans l'enfant dès les premiers temps de la gestation; il faut donc qu'il ait vie. Saint Césaire était dans le même sentiment. Florentini dit qu'il est probable que l'embryon est animé immédiatement après la conception.

Il enseigne en conséquence que l'on doit, sous peine de péché mortel, baptiser le germe ou l'embryon lors même qu'il ne serait pas plus gros qu'un grain d'orge et qu'il ne donnerait aucun signe de vie, pourvu qu'il ne fût pas corrompu ou évidemment mort : et la raison qu'il en donne, c'est qu'il croit cet embryon animé, c'est-à-dire déjà uni à une âme raisonnable. « Des théologiens célèbres et d'habiles médecins recurent cet ouvrage avec une approbation marquée. Les facultés de Théologie de Paris, de Vienne et de Prague, approuvèrent ce sentiment ; celle de Paris dit que la doctrine de Florentini est sûre, *indubitata doctrina* ; qu'elle est très-utile pour empêcher les avortements que les femmes sans religion se procurent sans scrupule, sous prétexte que le germe n'est point encore animé. Cette doctrine reçut également les éloges de recteurs de l'université de Reims, de l'université de Salamanque, de plusieurs évêques, et des facultés de médecine de Vienne et de Prague. On soutenait même alors, dans cette dernière, une thèse publique où on lisait cette proposition : *Au moment de la conception, le germe a une âme raisonnable.* » (Cangiamila.)

« Le célèbre Cangiamila, auteur de la *Grande Embryologie sacrée*, enseigne également qu'il est probable que le germe du fœtus est animé immédiatement après la conception. Nous embrassons l'opinion de saint Basile et de Zacchias, c'est-à-dire que nous croyons que l'animation a lieu au moment même de la conception, et voici nos raisons : si la vie de l'homme cesse aussitôt que l'âme se sépare du corps, on peut croire qu'elle commence aussitôt que l'âme s'unit au corps, quelle qu'en soit l'exiguité ou la forme rudimentaire. Or, dès que l'ovule est fécondé, ce qui a lieu au moment même de l'acte de la génération consommée, il croit et il ne croit que parce qu'il vit, et il ne vit que parce qu'il est animé ; donc le germe ou l'œuf humain est animé à l'instant même de la conception. De plus, la vie matérielle étant sous la dépendance immédiate de la faculté sensitive de l'âme, et cette faculté sensitive de l'âme ne pouvant être séparée de la faculté intelligente de l'âme, il s'ensuit que l'âme raisonnable est unie à l'embryon au moment même de la conception.

« Enfin, ne sait-on pas que l'âme demeure unie au corps jusqu'au dernier soupir de l'homme agonisant, alors même que presque tous les organes sont déjà frappés de paralysie et de mort ? Ce souffle léger, ce faible reste de vie matérielle qui va s'éteindre dans quelques minutes, est-ce une vitalité bien supérieure à celle de l'embryon fécondé ? Celle-ci du moins est une vie formatrice, plastique et croissante. Et que notre raison ne soit pas étonnée de l'état informe et exigü où nous paraît la faible portion de matière animée. Vous ne voyez point d'organes dans le germe amorphe de l'œuf d'une poule ; armez votre œil

d'un microscope, et vous observerez aussitôt tous les linéaments de l'organisation. Je le répète, que la petitesse matérielle n'étonne pas notre débile raison. Dieu est toujours grand et infini dans les petites choses comme dans les grandes, ou plutôt dans l'ordre matériel il n'y a, aux yeux de Dieu, rien de grand et rien de petit : ces qualités relatives de grandeur et de petitesse sont une création de la faiblesse de l'esprit humain, nécessaire ici-bas pour nous mettre en rapport avec le monde matériel et pour en juger et apprécier l'ordre et l'harmonie. »

Quoad 2, in re nempe quæ tanti momenti est, in qua agitur de vita hominum temporalis et æterna, omni sollicitudine entendum, ut mulieres caveant et a causis quæ directè abortum causant, et ab iis quæ illum per indirectum inducere possunt. Iterum *Debreyne* : « Comme il est bon que les curés et les confesseurs connaissent les principales causes des avortements, afin de pouvoir donner les avis nécessaires aux filles enceintes, suivant que l'occasion et la prudence leur permettront, nous en présenterons ici un court exposé. L'avortement peut survenir dans toutes les époques de la grossesse indistinctement ; quand il est spontané, on l'observe le plus souvent dans les deux ou trois premiers mois de la gestation...

« *Causes prédisposantes.* Les principales sont : une très-grande sensibilité nerveuse, un excès de pléthore ou de faiblesse et d'épuisement, l'habitation dans les lieux marécageux, froids, humides ou répandant des exhalaisons fétides ; le séjour dans le voisinage des tanneries, des mégisseries, des voiries, et généralement de tous les foyers d'émanations infectes et malsaines ; des odeurs trop fortes, des cosmétiques très-odorants ; les vêtements trop serrés, des buscs trop roides ou l'usage des corsets à baleine qui déterminent une constriction sur la poitrine et sur le ventre...

« *Causes déterminantes.* L'impression vive et subite d'un air froid, surtout s'il y a transition brusque du chaud au froid ; l'immersion du corps ou des membres dans l'eau très-froide ; la chute et les coups sur le ventre, les lavements irritants, les purgatifs violents, les préparations aloétiques, les vomissements causés surtout par l'émétique (tartre stibié) ; les sternutatoires violents et réitérés, les remèdes dit ennemagogues ou propres à provoquer le flux menstruel, les saignées, surtout celles du pied, les sangsues vers les parties inférieures, une marche prolongée et forcée, les secousses et les émotions causées par des sauts, l'équitation ou une voiture point ou mal suspendue, la danse et surtout la valse qui est la plus échauffante et la plus mauvaise sous tous les rapports ; des travaux durs et pénibles, des efforts, le mouvement des bras nécessaire pour puiser de l'eau, soulever un fardeau pesant ou atteindre quelque chose d'élevé... Enfin, il est encore

quelques causes morales capables de déterminer l'avortement, comme une subite explosion de colère ou de fureur; d'autres fois des cris violents, des vociférations bruyantes, une joie excessive, des ris immodérés, la colère, la brutalité, les mauvais traitements d'un mari, » etc. Hic *legenda Dissertatio theologica de baptizandis abortivis* in Theol. univers. Profess. Dens; in Append. ad Sacram. Baptismi.

209. Cuidam piæ mulieri uterum gerenti scribebat S. Franciscus Salesius: « Je bénis Dieu qui veut accroître le nombre des siens par l'augmentation des vôtres. Les arbres portent des fruits pour les hommes; mais les femmes portent les enfants pour Dieu; c'est pourquoi la fertilité est une de ses bénédictions. Faites votre profit de cette grossesse en deux façons, offrant votre fruit à Dieu cent fois le jour, comme S. Augustin témoigne que sa mère étant enceinte de lui avait coutume de le faire. Puis es ennuis et afflictions qui vous arriveront et qui ont accoutumé de suivre la grossesse, bénissez Notre-Seigneur de ce que vous souffrez pour lui faire un serviteur ou une servante, qui, moyennant sa grâce, le louera éternellement avec vous. » — *Lettres*, t. I, 130.

(N) Page 105.

210. a. Jure civili pœnali ipsum stuprum latiori sensu accipitur: in hoc siquidem stuprum violentum distinguitur a simplici seu a stupro simplicis seductionis (Cod. pœn. Gall., 531 et seqq.).

211. b. Quoad stuprum inter consanguineos, nulla hodie habetur sponsalitiæ promissionis ratio sive sit cum vera sive sit cum ficta matrimonii promissione, ex praxi tribunalium, et nuperrima declaratione S. Congregationis Concilii (vid. *De matrimonio*).

212. c. Quænam confessarius observare debet circa stuprum aut fornicationem? Confessarius dum audit copulam perfectam seu completam extra matrimonium, inquireat:

1. An proles sit secuta an secutura; si dicatur neque secuta neque secutura, tunc prudenter et circumspecte petatur, undenam id sciat, ut si forte abortus procuratus sit, dicat; secus non addiscat. Si autem deprehendatur secuta aut secutura proles, circa secutam instruat penitens de obligatione illam alendi; circa secuturam prudenter et fortiter monendus, ut curet ne quid mali foetui contingat, sed ut salvus in lucem edatur et baptizetur; atque legitimetur, si fieri potest.

2. Inquireat confessarius, an vi vel fraude, an importunitatibus mulierem seduxerit; et an sub promissione matrimonii, et quomodo, ut obligationes inde enascentes doceat. Recordetur confessarius, sæpe prolem non sequi, eo quod impeditur conceptio peccato Onan pessimo ac

grande nimis. Item circa adolescentes libidinosos videat an sit ex illis deperditis, qui cum filiam occulte seduxerunt, palam exinde de turpi facto gloriantur, et ita seductam omni honore et fama spoliant nefaria detractio. Similiter circa mulieres impudicas observet, eas aliquando adolescentulis teneræ ætatis et sæpe ignorantibus abuti ad libidinem per vim, dolum, aut fraudem; quæ et stupri et scandali ideo sunt enormiter reæ.

3. Generalim in omnibus peccatis luxuriæ inquirenda sunt circumstantiæ tum personæ confitentis, tum personæ quacum vel circa quam peccatum est; an sit libera, conjugata, voto obstricta, consanguinea, etc. Et quoad peccata externa luxuriæ inter duas personas, quærat confessarius, an personæ illæ simul cohærent; quia ablato semel pudore, periculosissima est similis commoratio, et ideo ordinariæ sine dissimulatione separari debent. *Dens*.

(O) Page 108.

213. Etsi maritus interroget mulierem, an adulterium commiserit, potest ista æquivoce asserere, *se non fregisse matrimonium*, cum adhuc revera subsistat. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: *Innocens sum ab hoc crimine*. Æquivocatio sane, ac restrictio non pure mentalis, cum causa licet: at hic causa urgens adest ad jurgia, dissensiones, pluraque alia mala vitanda. — V. Li guori, *Op. Mor.*, l. III, n. 162. — II. de Virt. Relig., ubi de *juramento*.

214. An adultera teneatur se prodere ad vitanda damna mariti, et prolis legitime, si alio modo ea nequeat compensare?

R. Vel damnum famæ propriæ multum præponderat damno mariti atque familiæ, vel non. Si 1, non tenetur adultera crimen prodere; nemo enim tenetur damnum alterius resarcire cum damno proprio longe majori. Si 2, utique tenetur, modo tamen certo probare valeat illegitimitatem filii; et sane tunc melior est conditio mariti innocentis et prolis legitime. Hinc inferunt matrem teneri se prodere: 1. si sit perditæ famæ, vel conditionis tam vilis, ut non sit ea majoris faciendæ, quam damnum aliis obventurum; 2. si aliter imminet damnum publicum, v. g., si filius spurius sit perditis moribus imbutus, et succedere debeat Regno; 3. si mater verisimiliter speret filium spurium sibi crediturum, atque bonis cessurum: secus frustra obligaretur.

Ceterum spurius non tenetur credere matri asserenti illum spurium; tum quia est in possessione legitimitatis, ut natus tempore legitimi matrimonii: hinc non tenetur credere, nisi convincatur de sui illegitimi-

tate; tum quia etiam nemo tenetur credere uni testi licet probatissimo: tum quia ampla via secus aperiretur fraudibus et deceptionibus: « Tum præcipue (ad rem observat Stapf, § 454), quia mariti ipsius atque filiorum legitimorum plerumque longe magis interest, ut res maneat in occulto. Quid enim ex tali confessione timendum non est? Infelix maritus gravissimo mœrore affligitur; salus domestica, et pax naufragatur. » Ex quibus omnibus concludunt Elbel et Tamburini, raro in praxi matrem teneri ad se manifestandam: *Mulieri, quæ ignorante marito, ait Innocentius III, de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi* (C. Officiis, de pœnit. et remiss.).

215. *Quid judicandum de facto adulteræ quæ nullo modo potens avertere damna a prolibus legitimis, morti vicina, vocatis omnibus filiis, declaravit unum ex illis esse illegitimum, ac petiit velletne illum nominari, aut innominatum cum ceteris hæredibus pariter dividere? Quo audito, omnes sibi mutuo condonarunt, quia quisque metuebat sibi.* R. Matrem in illo casu (quem Avenione suo tempore contingisse scribit Alciatus) inique processisse; tum quia diffamavit filios legitimos reddens eos de illegitimitate suspectos; tum quia illa remissio mutua habetur invalida utpote facta ex metu gravi injuste incusso.

(P) Page 115.

216. « Circa hanc materiam, quæ est de detractioe (ait Stapf, § 405), ingens plurimorum licentia reperitur. Prout in discernendis propriis vitis plerumque cæci, ita ad detegendos carpandosque nævos aliorum valde perspicaces sumus. Unde in quotidiana hominum conversatione vix alia sermocinatio auditur, quam de aliorum vita et moribus. Inno ut S. Hieronymus jam de suo tempore lamentabatur: *Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant...* Multo deterior conditio illorum est, qui etiam in reliquis conscientiam curant, tum vero aliena errata sagaciter venari, quidquid detegunt quasi lætabundi suis in conventibus exponere, imo et exaggerare consueverunt. » Nostrum esse debet et verbo et exemplo fideles removere a vitio tam communi, gravissima ejus consecraria aperiendo. — V. Careno, *Istruzioni pratiche*; Istruzione xxvii, etc. — Legatur maxime caput xxviii Ecclesiastici, ubi mala linguæ describuntur, ac maledici pessimi exitus.

Hac ergo ætate, in qua nullus fere est detractioe finis, et ipsa probatissimorum fama libellis ac dictariis quotidie laceratur, id unum restat, ut in Domino confortemur qui beatos appellat qui persecutionem patiuntur, propter justitiam tamen. Ad rem V. Salesius, *epist.* 35.

217. Casus: *Labanus exponit Longino suo confessario, se data opera audivisse Lycurgum detrahentem Menelao: quomodo erit interrogandus?*

In primis ipse est interrogandus, an ab eo audita detractio fuerit de re levi aut notoria, vel facta fuerit ex justo motivo; an vero fuerit de re gravi ac occulta et facta sine justa causa. Si de re levi, patet opus non esse tot interrogationibus; sed sufficit ab eo inquirere an forsitan audierit detractioem animo aliunde mortaliter peccaminoso (puta cum desiderio, quod detrahens famam personæ detractæ notabiliter læderet; quod mortale esset). Idem fere dic si agatur aut de re notoria, aut de detractioe ex justa causa, puta ad se præcavendum ab homine malo et doloso; nam primum per se non excederet veniale; secundum nullum peccatum est. — Si vero pœnitens dicat detractioem ab ipso auditam fuisse in materia gravi, de re occulta, et sine motivo factam, tum inquirendum a Labano, an ipse illum excitaverit ad detrahendum, aut dicta approbando, illi plaudendo, etc., fuerit causa quod is continuaverit vel auxerit detractioem; sic enim peccasset contra charitatem et justitiam uti detractor, et contra charitatem ob scandalum huic datum in tali cooperatione: et ideo et ipse tenetur ad famæ restitutionem. Item tunc videndum, an alia damna ex tali detractioe secuta sint; an fama læsus sit persona conjunctissima, uti si pater, vel an sic cooperans sit superior qui aliunde teneretur impedire illam detractioem; tunc contra justitiam, pietatem et charitatem novum adderetur peccatum. Quod si nihil horum intervenerit, nec ullo positivo modo Labanus alium excitaverit ad detrahendum, tunc investigandum quo animo detractioem audierit, an cum complacentia de damno proximi, quæ si manifestata est adhuc detractio, cum sit detractioe laudatio; si non manifestata, odium est, grave in re gravi. Si vero sine complacentia, sciscitemur, an audierit ex mera curiositate sciendi alterius crimina, vel ex puro fine capiendi solatium ex dictis et artificio detrahentis: quod veniale communiter reputatur, etc.

(Q) Page 120.

218. Si delictum in uno loco notorium sit notorietate juris, commune est ubicumque (etsi eo intra breve tempus non sit perventura

fama) licere illud propalare, idque maxime ex hodiernis moribus; et sane ideo iudex sententiam evulgat, ut sit in omnium notitia ad terrorem.

Si vero delicti notitia habeatur aliunde, tunc alii cum Antoine tenent esse mortale contra justitiam crimen illud revelare; quia delinquens eo in loco adhuc suam possidet famam. Alii cum Sylvio dicunt esse mortale tantummodo contra charitatem; quia reus licet amiserit jus ad famam, valde tamen tristatur sciendo crimen suum publicum fieri ubi non erat. Alii communius cum Lugo contendunt non esse gravem culpam neque contra justitiam neque contra charitatem; nam expedit bono publico agnoscere malefactores: quæ ratio nobis videtur probabilior semper ac crimen est tale, quod reum reddat perniciosum, ut est crimen latrocinii, impudicitia, homicidii, prodicionis et similibus. Huic opinioni eo propensius adhæret Lyonnet, *quod in Galliis* (dicere debuerat in Europa et ultra) *omnia jam nunc loca censeantur contingua ob nimias commercii relationes, multitudinem viatorum, nubem publicorum foliorum et forsitan coætorum nativam loquacitatem.* Adde miram tum viarum ferrearum tum telegraphi electrici inventionem. Et ideo magis quia sunt, ut cecinit celebris Gagliuffi:

*Sæpe homines canibus similes; nam turba, latrantem
Unum si audierit, cuncta repente latrat.*

Concina sic distinguit: si crimen notorium sit notorietate tantum famæ, *cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur hæc publica fama.* Si vero notorietate facti, scilicet publice patratum, pateferi potest ubicumque; nam *auctor absolute amisit jus ad famam; qua enim voluntate in publico et coram universo populo crimen commisit, eadem suam prodegit famam: contra vero quisque jus habet ad facti publici notitiam acquirendam: et id litteris commendatur vel ab ipsis severioris ethices hominibus.* Idque valet in casu veræ famæ publicitatis, etsi injuste in primo loco crimen fuerit publicatum; nam semel manifestato crimine sive juste sive injuste, totum fundamentum ablatum est, ut inquit Antoine, quo poterat celari; nam et publicum nunc est et verum. Excipe 1. si notitia venerit ex Confessione; nam lex sigilli sacramentalis omnes sequitur ubique; 2. si scias crimen esse falso impositum; quia innocens, non obstante illa famæ publicitate, habet semper jus intrinsecum in sua innocentia fundatum, ne quis falso de ipso dicat.

Quid autem (subjunges) si delictum olim publicum, nunc oblivione, vel bonis moribus sit oblitteratum? Non est peccaminosum iterum illud patefacere, si fuerit publicum notorietate juris; quia excedit ad terrorem malorum iudicis sententiam non ignorari. Idem

dicendum de publicis historiis, licet crimen sit notum sola facti notorietate: id enim conducit ad publicum bonum; nam et instruuntur posterit et spe honoris ad præclara incenduntur, et timore infamæ a turpibus deterrentur: et ita passim fit. — Hisce exceptis casibus, alii dicunt cum Alasia non esse contra justitiam de novo infamare, cum crimen jam est oblitteratum, modo tamen simul referatur emendatio; nam quisque ex una parte jus habet criminum publicorum acquirendi notitiam, ex alia per bonam vitam præsentem olim infamatus habet jus, ut censeatur bonus in præsentiarum, non in præterito; *neque enim, ut ait jus civile, aboletur turpido, quæ postea intermissa est* (Digest. l. XXIII, t. II, l. 48. — Liguori, *Hom. Apost.*, tr. XI, n. 13). Verum alii tenent cum Lugo, Lessio et Croix id sine gravi culpa saltem contra charitatem fieri non posse, etsi narretur emendatio; nam id sine summo mœrore infamati non potest evenire. Adde: per oblivionem rem in eo statu reductam esse, quo erat antequam esset publica; at quando delictum non est publicum, nullo modo licite publicari potest.

219. *Quid (quæres) de eo, qui manifestat alterius crimen occultum et falsum, putans ex errore invincibili illud esse verum et publicum?* — Eo modo quo incendens sine culpa domum alterius, tenetur ex charitate et ex justitia ignem extinguere, cum advertit *et id potest sine magno incommodo*; sic iste tenetur suum factum retractare, et idem est, si rem magni momenti propalasti, quam parvi esse judicabas: idem est, si ex inadvertentia dicis Petrum esse auctorem talis homicidii, cum sit Paulus. Sane qui retinet rem alienam, invito domino, eam tenetur restituere statim ac cognoscit esse alienam: sed in casibus supra, quamdiu tuum dictum non retractas, defines famam alterius, quia pravam opinionem ex tuo dicto causatam in aliorum mente relinquis: ergo teneris illam repellere aperiendo veritatem, quod non est proprie restituere, sed damnum inceptum interrumpere. Adde: justitia non solum te obligat ad non inferendum damnum, sed etiam ne ex tua actione damnum sequatur, vel conservetur aut pergat influere. Unde licet illa tua actio ab initio non fuerit injusta, injusta ea evadit quando id advertis et non provides, cum adhuc subsistit: proindeque tunc de restitutione graviter teneris.

— *Diximus et potest sine magno incommodo*: ipsa enim æquitas satis innuit, esse minorem obligationem restituendi in eo, qui bona sine alium infamavit, quam in eo qui formaliter contra justitiam id fecit: et ideo licet iste teneatur cum detrimento propriæ famæ et honorum fortunæ, et aliquando etiam vitæ famam restituere; ille nunquam cum magno incommodo ad id obligatur sive in fama, sive in vita, sive in divitiis. Sane nonne juxta omnes fortius ac majoribus cum expensis obli-

gatur possessor male fidei, quam bonæ fidei? primus cum incommodo gravi rem alterius sub gravi tenetur domino reddere; quia est in culpa; secundus vero sub gravi quidem tenetur restituere, cum rem agnoscit esse alienam, sed non ita cum gravi suo incommodo, cum eum culpa primitus non tenuerit. Ita communiter Layman, Lessius, Lugo cum Salmanticensibus.

Quid si error se teneat ex parte audientium tantum? ut si tu nōmines revera Paulum auctorem homicidii; sed auditores intelligent Petrum? Juxta omnes teneris ex charitate errorem corrigere; quisque enim cum commode potest, tenetur a proximo suo damnum præcavere. Utrum vero tenearis etiam ex justitia si commode potes, affirmat Molina; quia ex tua actione aliquo modo ortum habet damnum illud. Negant Busembaum, Lessius et Billuart; quia non tua actio, sed error audientium tota est causa damni. Ego tamen, ait Lugo, magis assentior Molinæ; nam ad debitam loquentis diligentiam spectat curare ne auditores de uno accipiant quod ipse profert de alio.

*Casus: Titius sustulit a Caio ditissimo duas libellas, putans ad illum pertinere; sed postea, libellis in ludo consumptis, cognoscit eas non esse Cæii, sed ejus domestici, qui eas domino suo deposito dedit. Resolvitur: quando sustulit, non peccavit, nisi venialiter, quia non habebat nisi conscientiam furti levis; unde tunc non nisi sub levi tenebatur libellas restituere. Sed statim ac cognoscit eas libellas esse domestici Cæii, ideoque respectu illius materiam esse gravem, sub gravi tenetur eas restituere; nam licet ab initio ejus mala actio non fuerit ut gravis apprehensa, talis ei nunc evadit, cum veritatem dignoscit, et adhuc possit et debeat prævidere; non restitutio enim est quasi continuata surreptio. Libellis autem consumptis, debitum non fuit extinctum, sed debitoris persona obligata remanet. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 995.*

220. *Quid (dices) si quis ad mortem vel aliud grave damnum vitandum manifestet occultum proximi crimen, cujus notitiam per vim aut fraudem, v. g., litteras aperiendo, adeptus sit? — Sotus dicit, ipsum non posse uti tali notitia sic extorta, etiamsi alioquin mortem subire deberet; Molina censet tunc tantum eum posse revelare, quando longe majus detrimentum sibi timet: Lessius, Navarrus, Concina dicunt id posse ad quodcumque damnum vitandum, quia licet peccaverit sic notitiam habendo, non peccat ea utendo. Inter tam varias sententias nobis magis arridet sententia De Lugo; hic magnus theologus sic distinguit: si tu jus habes exquirendi alterius factum, ut te ab injusto damno eripias, tunc etsi peccaveris per dolum malum secretum expiscando, attamen ea notitia potest uti; quia defectus esset tantum in modo, non in re: hinc si tuus hostis tibi innocenti mortis*

sententiam velit a iudice expetere, illius occultum crimen (cujus tamen notitiam per peccatum habuisti) poteris licite revelare.

Aliter est, si non sit tibi permissum crimen alterius exquirere, tunc si per vim vel fraudem ejus notitiam habuisti, non potes in conscientia illud manifestare; nam actio injusta, qua secretum assecutus es, te obligat ad reparanda omnia damna proximo inde obventura. Et quemadmodum qui est in extrema necessitate, tenetur restituere quod a proximo abstulit, quando proximum ipsum ob talem præcisè subtractionem conjecerit in æqualem necessitatem; ita et tu teneris ad compensandum damnum alteri illatum per revelationem secreti, quia per eam violentam secreti extortionem conjecisti proximum innocentem in necessitatem patiendi tale damnum. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 969.

221. Stapf, § 405, hæc ponit animadversiones quoad historicos: « In ipsa conscribenda historia ita nos versari oportet, ut quamvis veritati nunquam refragari liceat, majorem tamen pudenda absque sufficienti ratione non detegamus. Plurimum quippe diversa sunt, vera inficiari, et omnia quæcumque gesta sunt, in lucem proferre. Hinc ut historia revera *magistra populorum* dici mereatur, ea tantum exhibeat quæ sunt ad *ædificationem*. Quapropter crimina et flagitia præteritorum temporum equidem narrare licet, in quantum vel pragmatica rerum gestarum series, vel gloriosior virtutis triumphus absque tali relatione intelligi non potest, vel quatenus per hanc ipsam expositionem posterius a similibus ausibus absterrentur. Contra qui absque solida ratione nefanda impietatis mysteria revelant non tantum famæ ætatis præcedentis, sed etiam nobis nostrique successoribus parum consulunt. Exinde enim imaginatio turpiter fedari, horror flagitiorum multum imminui, et ipsa demum opinio corroborari solet, ac si in his terris nullus vera virtuti locus concederetur. Imo quidquid legentibus sacrum sanctumque fuit, incautis hujusmodi relationibus vilescit. Qui, e. g., historiam perlegit, quæ nonnisi abusus et flagitia summorum imperantium exponit, mox quoque omnis legitimæ auctoritatis fastidium capit; præsertim de sacra hierarchia et sacerdotio id obtinet.

« Maxime illi peccant, quibus ne ipsa quidem veritas cordi est, dum narratiunculas minus certas et aniles fabulas tanquam indubitata facta referunt; eum tantum in finem, ut partem cui infensi sunt, hisce calumniis exagitent. Huc spectant, e. g., calumnie contra Instituta monastica, præsertim quæ in Societatem Jesu confictæ et in publicum sparsæ fuerunt. » V. Mascardi. *Dell'arte istorica, trattati cinque*; Firenze 1860. — Solimani, *Importanza della storia, considerata nelle cose che le servono di materia*; Roma 1861.

222. Q. An liceat compensare famam cum fama?

R. Certum est : — 1. quod si unus velit alteri famam restituere, iste pariter tenetur ad idem erga eundem, si eam eidem abstulerit : secus non servaretur æqualitas ; compensatio autem est remedium quod non obtinet, nisi in defectu ; — 2. quod nemo potest famam alteri auferre eo quod ab ipso fuerit infamatus : non enim esset compensatio, sed vindicta ; cum fama unius non reparatur per infamiam alterius. Unde patet discrimen quoad famam et pecuniæ restitutionem ; auferendo enim pecuniam a fure, totum aufero, quod mihi debitum est, ac meum recupero : non item infamando infamantem famam meam integro ; nam fama alterius mea fama non est. Hoc tamen non impedit, quominus alterius testimonium labefactare possim aperiendo delictum verum ; — 3. quod pariter hoc non licet, si inæqualitas sit maxima quoad illas injurias ; nequit enim tunc justa compensatio intervenire.

Quæstio ergo tota est de casu, quo duo ferme æqualiter sibi invicem famam læserint, et unus nolit eam restituere. Alii cum Alasia, Lugo, Navarro et Sporer negant in hac re dari compensationem ; nam tu non restituendo alteri famam, non recuperas famam tuam ab illo violatam. Attamen sententia probabilior et communissima cum Bilhuart, Bouvier, Continuatore Tournely, Laymano, Lessio, Holzman, Roncaglia, Salmanticensibus, Sanchez, Sylvio et Soto docet posse læsum compensationem facere et restitutionem differre : nam est generale principium : *Non cogaris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum.* Neque obstat, quod sic non restituatur fama ; nam præterquamquod alterius testimonium remanet infirmatum per diffamationem (cum ideo non tanta fides adhibeatur ejus dictis), ac ideo ex parte propria fama potest dici recuperata ; tota ratio hujus opinionis est illa ratio generalis : *Quando jura sunt paria, non est illi servandum jus, qui suum non servat.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 999 et 1001.

In praxi sedulo advertendum est multoties expedire ut Confessarius omitat monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactiones ; imprimis, si prævideat monitionem non profuturam esse ; vel si prudenter putet eum qui dehonorus fuit, recusaturum esse reparationem, præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc. *Gury.*

(R) Page 132.

223. Non abs re est hæc animadversio Stapf, § 585 : « Quantum illi peccent, qui alios, instigante odio, vel ut præpositis adulentur, deferunt, per se patet. Ast homines etiam optimæ indolis denuntiationem justam

cum impia delatione sæpe confundunt, et obinde quoscumque abusus dissimulant, » etc. — « Lhomond, dans sa *Méthode pour confesser les enfants*, se demande quand un confesseur au collège doit conseiller ou ordonner à son pénitent de découvrir un camarade qui se conduit mal dans la maison ?

« Et il répond qu'il faut pour cela quatre circonstances : 1° la preuve du fait ; 2° le danger de la contagion ; 3° exclusion de péril de violer le sceau de la confession ; 4° point de risque grave pour le délateur. Sans cela il ne faut pas conseiller la délation. Du reste, il faut toujours une extrême prudence dans ces occasions. — Il convient que le pénitent lui-même et non le confesseur dénonce le coupable au supérieur : à moins que le pénitent ne veuille donner une dénonciation écrite et signée ou une copie non signée pour que le confesseur la remette au supérieur. »

(S) Page 135.

224. a. Non ita facile permittendum, ut unus alteri secretum dicat, licet sub secreto : « Tanta enim est hominum loquacitas, ut vix secretum in uno sistere possit. Sub secreto unus alteri, secundum tertio, et ita successive res communicari novum non est : sicque occultissima sub secreti larva omnibus (ut plurimum non sine gravi societatis damno) nota fiunt. Hinc Chrysostomus (hom. 5 ad pop. Antioch.) : *Si non vis effari, neque alteri ipse dicas ; postquam autem alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis et inutilia admonens et obtestans pro dictorum custodia.* Dulcedo confabulationis, ut vir præclarus observat, mentem facile inescat : alius arcana sua tibi patefacit tuque sub sanctissimo amicitiae sigillo tua cum illo communicas. Sed quamvis tu forsitan audita retineas, ille tamen obvio cuique refert ; tumque fiet ut tota communitas post breve tempus, quod palam ignorare videtur, clam dudum compertum habeat. Vide cui fidas. » Stapf, § 401. — V. Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 246.

Audiatur quoad secretum Ep. Parisi, *Cas de conscience*, 7° cas, p 221 : « Le secret de chacun est sa propriété ; et, quand il s'agit de la vie privée, c'est souvent une propriété plus chère que la fortune ; car le déshonneur est pire que la pauvreté. Ravis au prochain son secret, le répandre par une publicité à laquelle il n'a pas consenti, c'est se rendre, à son égard, coupable d'un véritable larcin, et conséquemment d'une injustice formelle. Cette injustice est surtout très-sérieuse devant Dieu, quand il en résulte une diffamation qui entraîne presque toujours un dommage irréparable. Il est sûr qu'un journa-

liste ne peut pas, sans faute grave, se permettre une telle divulgation de la vie intime, même quand il s'agit d'un homme public, à moins que ses actes privés n'aient un rapport immédiat et nécessaire avec ses fonctions sociales, et que ces fonctions elles-mêmes ne se trouvent soumises de droit au contrôle constitutionnel; comme il en serait de la conduite privée d'un instituteur de la jeunesse, sur laquelle on pourrait certainement quelquefois faire, en toute conscience, des révélations publiques qui seraient inutiles, et par cela même défendues s'il s'agissait des mêmes actes tout personnels dans un employé des finances. Mais il faut toujours sérieusement observer que jamais il n'est permis d'en venir à cette extrémité pour d'autre motif que pour celui de l'intérêt commun, et encore seulement dans le cas où l'on ne pourrait pas atteindre ce but nécessaire par un autre moyen moins préjudiciable au prochain: et encore faut-il toujours que ce qu'il y a d'odieux au fond dans l'accomplissement de ce devoir délicat et pénible soit racheté par les égards et les ménagements dans la forme. »

2. Quoad secretum confidentiæ notat speciatim Goussset: « Sont dispensés de déposer... 4^e les évêques, les curés, les desservants, pour ce qui regarde des confidences et les révélations qui leur ont été faites dans l'exercice de la juridiction ecclésiastique, du ministère pastoral, même hors du tribunal de la pénitence; autrement un évêque, un pasteur ne pourrait plus exercer efficacement l'autorité toute paternelle qu'il a sur ses inférieurs dans l'ordre moral et spirituel. » (T. I, p. 553.) — V. *Supplica Apologetica a S. A. l'Arciduca Viceré del Regno Lombardo-Veneto a favore del Sacerd. I. G. nella causa di secreto ministeriale, introdotta innanzi i tribunali. Svizzera, 1852.* — *L'Armonia, ecc., giornale: Torino, anno 1856, n. 102.*

3. Illic redarguenda est illorum agendi ratio, qui omnem amicitiaæ sanctitatem parvipendentes, semel ac amicitia cum aliquo soluta est, litteras proferunt, quas sibi mittebat amicus. Qui talia agit, est ex ipso Tullio (Philipp., II, 5), *homo et humanitatis expers et vitæ communis ignarus; quis enim unquam qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, litteras ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit palamque recitavit? Quid est aliud tollere a vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium? Quam multa joca solent esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? sit hoc inhumanitatis tux: stultitiam incredibilem videte.*

225. e. Quid de illis sentiendum, qui ad superiores litteras anopymas mittunt (vulgo cæcas), quibus occulta alicujus subjecti delicta manifestantur? Communiter docent, ipsos peccare mortaliter,

quia est revelare notabilia occulta fratris: et saltem notabilem suspicionem in superiore excitant: et hoc maxime, cum id ordinarie procedat ex odio ac vindicta. At non esset peccatum, si id fieret ex charitate, solam emendationem quærendo, ac solum celetur nomen scribentis, justa de causa, si nempe aliunde pro se malum aliquod timeatur.

Non possunt tamen per se loquendo superiores ex hujusmodi tantummodo litteris procedere ad specialem personæ nominate inquisitionem quoad delicta, quæ continent litteræ, etiamsi in illis notificentur testes, qui delictum valeant probare; quia hujusmodi litteræ nullam inducent infamiam ex jure Canonico (l. V, t. I de accusat.). Ita Rodriguez, Reginaldus, Lezana, Lessius, et alii communiter. — Diximus *per se loquendo*; nam quando non agitur de poena infligenda, sed de certioranda positiva bonitate personæ quæ, v. g., ad aliquid communitatis officium assumi debet, utique aliqua ratio harum litterarum haberi potest, prudenter scilicet inquirendo, an adsumendus ad illud debitis dotibus sit instructus. Nulla tunc ei irrogatur injuria; nam directa in eum inquisitio est de bonitate, non de crimine: idæo prohiberi nequit, cum pertineat ad publicum bonum, ut tantum digni ad publica ministeria deputentur. Quod maxime currit de ordinandis, siquidem Ecclesia jam de istis habeat contra ipsos, id in Domino deponant. Sed caute procedendum, ne detur ansa malevolis: et merito a malevolis id fieri creditur, si litteræ mittantur, cum non amplius suppetit inquisitioni tempus. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Litteræ.

(T) Page 140.

226. Antiquitus pro gravi furto communiter assignabantur tres circiter libellæ (vulgo *trois francs*) ad constituendam materiam in se et absolute gravem. Materia autem relative gravis habita ratione ad diversas sententias sic determinabatur: erat videlicet materia gravis: 1. *pro mendicantibus* summa contesimorum 50; imo etiam 25 in casu raro magnæ paupertatis; 2. *pro fossoribus* atque similibus operariis, communiter loquendo, una tantum libellæ: pro artificibus vero aliquid amplius; 3. *pro communiter*, sive *pro mediocriter divitibus* duæ libellæ: et minus pro iis, qui ex propriis misere vivunt: 4. *pro absolute divitibus* tres libellæ: idem etiam pro mercatoribus valde opulentis; 5. *pro magnate ditissimo* quinque libellæ: idem putabant pro communitate valde opulenta: saltem pro hac dicebant sufficere quinque libellas cum dimidio; 6. *pro Regibus* decem libellæ. Ita Alphonsum nostrum interpretatur Pater Neyraguet in suo *Compendio*

Theologiæ Moralis ejusdem Sancti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 527.

Audiatur card. Gousset : « Un grand nombre d'anciens théologiens enseignent que la valeur de trois francs est matière grave en elle-même, quelle que soit la personne, riche ou pauvre, à qui le vol est fait. Mais aujourd'hui, vu la dépréciation de l'argent, il faudrait évidemment une valeur numérique plus forte, savoir, une valeur de cinq ou six francs ; et nous pensons qu'on doit généralement regarder comme mortel le vol de cette somme, ou d'un objet d'une valeur équivalente. Nous ajouterons que le vol doit encore être regardé comme mortel toutes les fois que le maître en est raisonnablement et gravement offensé, sinon à raison du prix de la chose volée, du moins à cause du dommage extrinsèque qu'il en souffrirait ; car une matière légère peut devenir grave par les circonstances du vol, comme par exemple, si on volait à un ouvrier un instrument de peu de valeur, sans lequel, ne pouvant plus travailler, il éprouverait un dommage notable. Dans ce cas, on serait tenu, non-seulement de lui restituer son instrument, mais encore de l'indemniser des pertes qu'il a faites, si elles avaient été prévues. » — Prof. Talento hac de re habet : « Respectu regis assignatur summa 40 libellarum ; respectu mediatorum divitum tres libellæ sufficerent ; respectu artificum triginta circiter soldi (libellæ cum dimidia) ; respectu operariorum una libellæ ; respectu mendicantium decem prope soldi (dimidia libellæ). » Hæc regula potest etiam attendi, si placet ; sed furtum excipit respectu regis, quod, nostra sententia, nimis exorbitat.

(U) Page 144.

227. Si essent sylvæ privatorum, dicimus, eos qui ligna cædunt, teneri ad restitutionem ; quia domini absolutum dominium habent super suis sylvis. Et idem recte dicunt de sylvis Communitatis, si privati emerunt vel conduxerunt omnia ligna illius ; quia tunc Communitas totum suum jus transtulit in illis. Quod de sylvis, valet de pasceis. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 529 ; *Homo Ap.*, tr. X, nn. 25 et 25.

Audiatur hic Pavone, *Spicilegio*, ecc., § 44 : « Que dire des pauvres ? Ce cas, comme dit Pontas, *gravis est momenti, et quotidie contingit magnamque parit difficultatem pastoribus*, et aussi aux confesseurs. Voyons donc d'abord ce qu'en disent les théologiens, et puis nous établirons la règle à suivre dans la pratique.

« Collet pense qu'il est permis aux pauvres de prendre, dans les

forêts des particuliers, du bois vert ou sec, mais toujours du bois à brûler, alors seulement que la coutume existe d'en agir ainsi : *Non licere nisi contraria, eaque viveat, consuetudo*. Il ajoute que cette coutume est légitime quand elle se fonde sur le consentement exprès ou tacite des propriétaires. Ce consentement, à son tour, se suppose : 1° quand les pauvres viennent ramasser le bois et que les maîtres se taisent ; 2° quand on ne pourrait empêcher cette action sans montrer une grande dureté de cœur, *sine immuni quadam duritie*. Il conclut que, d'après les principes de Samborius et de Pontas, *homini in ea necessitate constituto, ut alioquin hiemem sine igne et calidis alimentis transigere debeat, licitum esse minuta quæ humi jacent ligna, vipreta genistæque colligere, in usum scilicet foci proprii, ut loquitur Sylvius. Ratio est quia vel domini tunc inviti non sunt, vel irrationabiliter sunt inviti*. Voici les paroles mêmes de Sylvius : *An vero pauperes in silva dominorum possint capere ligna in usum foci proprii necessaria ambigitur. De aridis satis certum est quod sic, de viridibus autem non facile consenserim nisi vera necessitas urgeat, cui vix possit aliter subvenire. Nous avons vu Pontas et Collet d'accord. Azor établit cette règle générale ; que, si quis inopia vel necessitate pressus, ligna cædat suæ vitæ vel inopiæ necessaria, non peccat ; et il ajoute que les gardes ne pêchent pas non plus en ne dénonçant pas le fait au propriétaire.*

« On le voit, les théologiens s'accordent à permettre aux pauvres de se fournir de bois, et ils donnent tous la même raison qui n'est pas la nécessité extrême ou quasi extrême, mais le besoin de ce bois, qu'ils ne pourraient acheter.

« Dans la nécessité extrême ou quasi extrême, il est permis de prendre toute espèce de bois ; tandis qu'ici les auteurs précités permettent de prendre seulement du bois sec ou vert de peu de valeur. Azor, il est vrai, dit *necessaria vitæ*, ce qui indiquerait la nécessité extrême, mais il ajoute, *vel inopiæ necessaria*, expression qui désigne une nécessité moindre. Les paroles de Sylvius ont le même sens. Mais comment, en dehors de la nécessité extrême ou quasi extrême, peut-on dire qu'il est permis de prendre le bien d'autrui ? Collet seul en a donné la raison. C'est la coutume légitime qui l'autorise. Nous tâcherons de la bien faire comprendre, et alors les confesseurs sauront la conduite qu'ils doivent tenir avec leurs pénitents dans ce cas.

« Remarquez d'un côté que ce serait une grande cruauté de refuser du bois à celui qui n'a absolument aucun moyen de s'en procurer ; considérez d'autre part que ce bois sec tombé à terre ou tenant encore sur les arbres, et ce bois vert de peu de valeur, sont de petites choses que le propriétaire serait tenu de donner en aumônes à celui

qui en manque. De là est née la coutume que les pauvres puissent le prendre pour allumer leur feu, sans le demander, coutume légitime qui excuse de péché, parce qu'elle est aussi ancienne que les pauvres eux-mêmes; parce qu'elle est aussi raisonnable que leur besoin est incurable par tout autre moyen; parce qu'enfin les propriétaires donnent un consentement tacite ou ne s'y opposeraient pas raisonnablement. Les confesseurs peuvent donc et doivent permettre aux pauvres de ramasser ce bois, leur faisant connaître la licéité de cette action pour qu'ils ne pèchent pas par erreur de conscience. Ils les avertiront en même temps de se garder de couper des arbres fruitiers ou des bois de construction et de ne point arracher les pieux qui soutiennent les vignes, de ne pas rompre les haies et de ne causer aucun autre dommage de ce genre. »

(V) Page 156.

228. Ad rem Lacordaire, *Conférences*, Conf. XXXV : « Mais qu'est-ce que l'autorité? L'autorité est une supériorité qui produit l'obéissance et la vénération : l'obéissance d'abord, c'est-à-dire la soumission spontanée d'une volonté à une autre volonté : « Capitaine, mettez-vous là avec votre monde, et faites-vous-y tuer. — Oui, mon général. » Voilà, messieurs, l'obéissance; et, vous le sentez, une obéissance d'homme libre, où celui qui commande et celui qui obéit sont également grands. L'un a trouvé simple de demander une vie pour le pays, l'autre a trouvé simple de la donner. L'un n'a conçu le dévouement que parce qu'il en était capable, l'autre n'en a été capable que parce qu'il l'a conçu. Il y a eu action et réaction de deux âmes qui se valaient. Quand ces fameux Spartiates des Thermopyles se préparaient dans leur cœur à mourir pour le salut de la Grèce, ils gravèrent sur un rocher cette inscription : « Passant, va dire à Sparte que nous sommes morts ici pour obéir à ses saintes lois. » Voilà encore l'obéissance, et non pas une obéissance portée au delà du nécessaire, propre seulement à quelques héros, mais une obéissance telle qu'il la faut à la société pour vivre, telle que Sparte l'avait dans ses beaux jours. C'était Sparte tout entière qui avait parlé aux Thermopyles, les vivants comme les morts; et il n'y avait pas dans la république une âme qui n'eût répondu à l'âme des trois cents.

« Sans la soumission spontanée de la volonté à une autre volonté, et même quelquefois sans une soumission enthousiaste, l'unité est impossible, l'ordre et la puissance aussi. Car comment voulez-vous que tant de volontés séparées ne fassent qu'une s'il n'existe pas une

volonté souveraine qui les rassemble en soi? Comment aurez-vous l'ordre si toutes les volontés ne coucourent pas par l'obéissance à maintenir les relations établies par les lois, et sans cesse menacées par tous les intérêts mécontents? Et comment y aurait-il puissance si chaque citoyen n'est pas prêt à prendre, au premier ordre, le poste où il est appelé?

« La vénération est un autre élément de l'autorité, qui lui est aussi nécessaire que l'obéissance. Car la vénération n'est qu'un respect mêlé d'amour, et nous n'obéissons pas longtemps à qui ne nous inspire ni amour ni respect. La volonté a déjà bien de la peine à se soumettre, même quand elle aime et respecte sincèrement; et, si ce double sentiment vient à lui manquer, tôt ou tard elle n'obéit plus. La nécessité ni la contrainte ne sauraient y pourvoir qu'un moment; et la première occasion favorable sera le signal où l'unité, l'ordre et la puissance périront avec l'autorité. Tout pouvoir qui ne produit pas l'obéissance et la vénération ne prépare que sa mort. »

Mirum etiam in modum de hac obedientia loquitur *Civiltà Cattolica*, t. IX, p. 252 : « Certains hommes, ignorants ou méchants, ont beaucoup parlé ou déblatéré contre l'obéissance aveugle des religieux. Mais cette obéissance, dans sa cécité, est pleine d'intelligence et de lumière, à la différence de celle des sectaires, qui n'est que ténèbres et n'a pas un rayon lumineux qui la réhabilite. Les religieux connaissent parfaitement la fin de leur propre institut, les moyens d'y parvenir et toutes les personnes desquelles ils dépendent et avec lesquelles ils ont contracté des liens de fraternité. Ils s'obligent à faire le bien, mais sans aucun mélange de mal. Ils obéissent, mais seulement en des choses qui sont certainement et évidemment à l'abri de toute faute et de toute opposition aux lois divines, ecclésiastiques ou civiles. Ils forment un corps juridiquement reconnu par le souverain pontife; ils agissent à découvert, sous les yeux de la société et de l'Église, dans la dépendance de l'autorité politique comme citoyens, et de l'autorité ecclésiastique comme religieux. L'abnégation du jugement propre, qui se trouve dans leur obéissance, n'affecte que ce qui est purement individuel, ce qui tient aux raisons d'opportunité et de prudence, et ce qui ne touche pas la moralité des fins et des moyens manifestement mauvais et déclarés tels par l'Église. Ils se plient docilement à la voix des supérieurs; mais, outre cette voix, et même au-dessus d'elle, ils reconnaissent et suivent résolument la voix de principes éternels et immuables du juste et du vrai. En somme, la cécité de leur obéissance n'est que la pratique de ce divin oracle : *Ne imitaris prudentiæ tuæ*; un bouclier pour l'intelligence contre l'erreur qui vient du sens privé, une force nouvelle pour la volonté qui la fixe dans l'adhésion au bien

et la défend contre les suggestions de l'égoïsme et les illusions des passions. »

Ad rem etiam Stapf, § 551 : « Qui obtundunt per obedientiam ipsum liberum arbitrium adeoque necessarium moralitatis characterem tolli, vix non risum merentur. Utique dum nos alienæ directioni submittimus, exinde non *libertas moralis*, sed nonnisi *facultas pro merito* agendi cessat, et consequenter prout voluntarie nos subijcimus ita etiam superiorem jussu *voluntarie* obsecundamus. Unde *meritum nostrum* non intercipitur, sed potius coram Deo eo majus erit, quo gravior hæc sui oblatio naturæ superbienti accidit. »

(F) Page 161.

229. « Amorem sensibilem profani honestum seu *platicum* dicunt; sed absit ut affectioni illi mere animali vel nomen amoris doneamus! exinde enim corda mollescere, phantasia vero et pruritus animales vehementer accendi solent, adeo ut serius aut citius nonnisi turpissimi lapsus timendi sint... Quapropter quis non summopere doleat, imo et indignetur, quod poesis, publica spectacula, sublimioresque artes animalem affectum unius sexus ad alterum ubique ceu dignissimum amorem et tanquam summam vitæ beatitudinem exhibeant? Quid mirum, si juvenus ad hoc vitium jam alias proclivis tanto impetu ad voluptates anhelet, quæ auribus, conspectui et phantasiæ tam fallaciter, et tanquam omnis felicitatis culmen obtraduntur?

« Animarum pastor incautam juventutem omni quo potest modo, ab hujusmodi familiari consortio dehortari et abstrahere conabitur; præsertim ubi nulla vel ambigua et remota honesti matrimonii spes effulget... Periculum istud ipsi quoque Sacerdoti præsertim juniori sollicite cavendum est, ne scilicet intuitu singularis innocentiae, pietatis, etc., erga personas alterius sexus molliculum affectum admittat. Sensus iste, inquit Oberrauch, ultra omnem opinionem astutus est, et periculosus admodum, utpote qui nedum ex re turpi, sed etiam ex ratione honesta non raro acrior evadit. » Stapf, §§ 502 et 310.

V. etiam hac de re Silvio Pellico, *Dei doveri degli uomini*, cap. xiii. — It. Beyerlink, *Magnum Theatrum vitæ humanæ*, vº Amicitia. — Blanchard, *L'École des mœurs*. — Calino, *Considerazioni; Lezioni*, ecc. — *Thesaurus Patrum*, vº Amicitia, etc. — De Gartii, *De effectibus amicitiae*. — Lacordaire, *Vie de sainte Madeleine*, c. I.

(F) Page 164.

230. Persuasum omnibus, præsertim adolescentibus esse debet, animum habere suavibus moribus limatum et expositum, non tam utile, quam necessarium, non iis dumtaxat qui vitam agunt in aula, atque in nobilium virorum frequentia, sed iis etiam singulis, qui nolint in desertissima solitudine ætatem consumere; nam urbanitatis frequens est usus, imo familiaris atque quotidianus. Ipsa linguæ castigatio urbanitatem fovet; vernaculorum vero verborum licentia petulans morum licentiam inducit: hoc maxime videant juvenes collegialiter viventes. — V. Mutti, *Sull'importanza di ben conoscere la lingua, in cui si favella o si scrive* (Memorie di morale, di letter., etc. Moden. Contin., vol. XVII). — *Dell'arte della parola*. Milano 1827.

Colere autem urbanitatem ad illos specialiter pertinet, qui ad divinum christiani Sacerdotii ministerium proludunt et rerum sacrarum habent procuracionem. Isti scilicet vias omnes inire debent, quibus amabilem cuicumque reddant Religionem atque virtutem, simulque populorum existimationem et benevolentiam sibi concilient, ut eos facilius ad pie vivendum alliciant. Quid ergo dicendum de illis ecclesiasticis, qui humanum civilemque cultum parvipendunt quasi res sit profana et homini religioso indigna! et ideo rusticanos, agrestes, inurbanos se exhibent; cum tamen vel in ipsa Scriptura officiositas commendetur et plura habeantur exempla, ut videre est apud Jahn, *Archæologia Biblica* (c. xi, de moribus conversationis).

V. Della Casa, *Galaico*. — Soave, *Doveri dell'uomo*. — Gatti, *Doveri di civiltà*. — *Il giovine mal creato*. Torino, Marietti. — *Correspondance d'un ancien Directeur de Séminaire avec un jeune Prêtre sur la politesse, et la manière de se conduire dans le monde*, etc. Lyon, 1843. — Valde præ ceteris omnibus Ecclesiasticis, præsertim Parochis commendamus Pizzoli, *Degli uffici di gentilezza convenienti agli ecclesiastici ne' loro vari rapporti*. Trento, 1845. — Item Baricco, *Ammonimenti a' giovani clerici, ovvero Trattato di educazione per gli alunni del Santuario, specialmente in fatto di urbanità*. Torino, 1847. — Ceretti, *Il galaico del seminarista*. Novara, 1850. — Tandem Paulus Giua, *Liber ecclesiastici latinus versibus interpretatus*, Calari, 1859, qui in adnotationibus summam præcipua urbanitatis officia scite refert.

TRACTATUS OCTAVUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

PRÆAMBULA

231. Q. 1. *Quid est virtus theologica, et an necessaria?*

R. Ad 1: Virtus theologica, quæ pro objecto suo immediato habet Deum uti auctorem gratiæ et gloriæ, ab Augustino definitur: *Bona qualitas seu habitus animi, quo recte vivitur* (quæ nempe facit ut firmiter credamus, fiducialiter speremus, ac bene diligamus), *et quem Deus in nobis operatur*; ideo dicitur etiam virtus infusa, ut distinguatur a virtute naturali, quæ potest naturaliter acquiri. Differt quoque tum a Religione, quia hæc directe non habet pro suo objecto Deum, sed ejus cultum; tum a ceteris virtutibus moralibus, quarum item objectum immediatum diversum est. In hoc tamen cum morali concordat, quod hominis actiones ad normam legis æqualiter alliciat, et ejus voluntatem provocet ad boni prosecutionem, ac ideo utraque ad principia actuum humanorum allicientia merito revocatur.

R. Ad 2: Cum Angelico: virtus theologica est profecto necessaria; nam cum homo tendat per virtutem in beatitudinem suam, cumque duplex sit hominis beatitudo, altera *naturalis*, ad quam pervenire ipse potest per virtutem nature suæ, altera vero *supernaturalis*, ad quam sua virtute non sufficit; ideo necesse est, ut homini divinitus superaddantur virtutes supernaturales, quales sunt Theologicæ, quibus in finem et beatitudinem quoque supernaturalem, ad quam est a

Deo sublimatus, tendere et pervenire valeat¹. Imo habitus virtutum Theologicarum ipsis infantibus est necessarius necessitate mediæ; cum sine ipso nemo justificari, neque cum Christo uniri possit².

232. Q. 2. *Quot sunt virtutes theologicæ?*

R. Virtutes theologicæ sunt: *Fides, spes et charitas*. Ut recte moveamur in finem oportet: 1. nos illum cognoscere ac credere; quia voluntas non fertur in incognitum; 2. finem illum sic cognitum a nobis exoptari, quia item voluntas ferri non potest in id, quod pertimescit; 3. et finem illum a nobis amari; non enim desideratur, nisi quod haberi speratur et simul diligitur. Hoc modo explicatur origo virtutum theologicarum: *Fidei*, qua Deum cognoscimus; *spei*, qua nos ipsum obtenturos esse aliquando speramus; *charitatis*, qua eumdem amamus. Singulas sic recensuit Apostolus: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc*³: quasi diceret *neque plures neque pauciores sunt*. Dixit *nunc*; in cœlesti enim patria fidei correspondet *visio*, spei *comprehensio*, charitati autem *fruitio* seu *delectatio*: quæ quidem sunt tres animæ beatæ dotes⁴.

Ratione originis primum locum tenet *fides*, cum sit initium omnis justificationis. Ratione præstantiæ *charitas*, dicente Apostolo: *Major harum est charitas*; est enim complementum et perfectio ceterarum. Hinc recte Augustinus: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*⁵.

¹ 1, 2, q. 62, a. 1. — ² Tridentinum, sess. vi, c. vii, *De R.*

³ I Cor. xiii. — ⁴ S. Thomas, *Supplem.*, q. 95, a. 5.

⁵ Serm. xxvii, *De Verb. Apost.*

DISPUTATIO PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE FIDEI NOMINE, NATURA AC DIVISIONE

233. Q. 1. Quid est fides?

R. Fidei nomen multipliciter sumitur: — 1. pro fidelitate in promissis adimplendis juxta illud: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit*? — 2. pro ipsis promissis: sic Apostolus dicit de quibusdam viduis, quod *primam fidem irritam fecerunt*; — 3. pro conscientia ac intima persuasione juxta illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; — 4. pro fiducia, qua quis pro certo habet, se obtenturum gratiam quam postulat, secundum illud: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*; — 5. pro argumento ad suadendum, quo sensu Paulus: *Deus... statuit diem, in quo judicaturus est orbem... fidem præbens omnibus*; — 6. pro ipsa doctrina et objecto fidei, ut in symbolo Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*; — 7. tandem fides sumitur communius pro assensu intellectus nostri ob alterius auctoritatem: si est ob auctoritatem hominis, fides est humana; si ob auctoritatem Dei, est fides divina, de qua in præsentem.

Apostolus sic fidem divinam definivit, ut sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. *Substantia*, id est basis et inchoatio; quidquid enim aliis supponitur et substernitur, nomen substantiæ, quod a *substando* dictum est, sortitur. *Sperandarum rerum*, et sic distinguitur virtus

¹ Rom. III.² I Tim. V. — ³ Rom. XIV. — ⁴ Jac. I. — ⁵ Act. XVII.Hebr. XI. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I, II, n. 2. — Ferraris, *Bibl.*, etc.,
vº Fides.

fidei theologicæ a fide generatim sumpta¹; neque sane omnia quæ credimus, speramus. *Argumentum non apparentium*, id est juxta textum græcum *convictio* seu demonstratio firma rerum, quæ non videntur; quæ ideo verissima esse creduntur ac si manifestis demonstrationibus nobis essent nota. Hæc definitio convenit etiam Patriarcharum fidei: eam tamen præsentem statui magis accommodando fidem sic definimus, ut sit *virtus theologica divinitus infusa, qua libero ac pio voluntatis affectu firmiter assentimur iis omnibus, quæ Deus revelavit, et quæ Ecclesia credenda proposuit ob Dei ipsius veracitatem*. Explicatur definitio.

Dicitur: 1. *virtus theologica*, quæ Deum directe respicit, ad discrimen virtutum moralium, quæ ad Deum non nisi indirecte referuntur.

2. *Divinitus infusa*: quia fides nostra cum sit donum supernaturale divinum, naturales animi vires excedit; ideo ad illam requiritur gratiæ divini auxilium. Hinc Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis*, etc.². Ceterum etsi *virtus infusa causetur in nobis a Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus*³.

3. *Qua libero ac pio voluntatis affectu*: sic fides nostra distinguitur a dæmonum fide, qui etsi credant et contremiscant⁴, non tamen libere ac pie veritatibus assentiuntur; unde eorum fides neque divina est, neque est infusa.

4. *Firmiter assentimur*; quia assensus fidei debet esse sine ulla errandi formidine: alioquin hæsitatio esset, non fides.

5. *Iis omnibus quæ Deus revelavit*, quæ quidem constituunt objectum fidei materiale. Dicimus *omnibus*, ut refellatur hæreticorum doctrina, qui distinguentes inter articulos fundamentales et non fundamentales fidei, dicunt primos necessario esse credendos, non secundos. Singula fidei objecta, quæcumque sint, habent eandem veritatem, ut credantur, nempe veracitatem divinam falli ac fallere nesciam⁵.

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 4, a. 1. — ² Phil. I. — ³ I, 2, q. 68, a. 8. — ⁴ Jac. II.⁵ V. Ciercià, *De Eccles. Christi*. — Arciv. Charvaz, *Guida del catecumeno valdese, ossia Difesa del cattolicesimo*, vol. I, p. III, ragion. III.

6. *Et quæ Ecclesia credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiæ propositionem, dicente Augustino: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*¹.

7. *Ob Dei ipsius veracitatem*; quia veritas infallibilis, quæ est ipse Deus, constituit objectum fidei formale, id est rationem formalem ob quam credimus. Hinc Apostolus scribit: *Fides ex auditu, auditus autem* (seu assensus) *per verbum Christi*².

234. Fidei natura collocanda est in actu intellectus, quo creduntur dogmata: est contra Calvinistas, qui docent fidem non esse assensum, quo veritates revelatæ firmiter creduntur; sed fiduciam, qua certo credimus nos et promissionum Dei et ejus justitiæ participes fieri. Probatur catholica veritas: 1. ex Scripturis, ubi distinguitur fides a spe: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc*³; at si fides et spes idem sonarent, non essent tria, sed duo; 2. ex Patribus: unus sit Augustinus, qui fidem collocat in actu intellectus, quo creduntur dogmata: spem vero in actu voluntatis, quo sperantur res promissæ: *Aliquid etiam quod non speratur, credi potest; quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen*⁴.

235. Q. 2. *Quomodo fides dividitur?*

R. Quadruplici modo fides dividitur:

1. In *habitualement*; et est *habitus supernaturaliter infusus, animam permanenter habitans ad actus fidei eliciendos*. Et in *actualement*, quæ est *actualis, firma ac supernaturalis adhæsiō rebus revelatis, et ab Ecclesia ad credendum propositis*: hæc si exterius prodeat, exterior; si autem intus in animo lateat, interior appellatur.

2. In *explicitam* et in *implicitam*. *Explicita* fides illa est, qua aliquis fidei articulus creditur in se, sub propriis ac particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur: v. g., qui expresse credit Deum trinum, Patrem, Filium et Spiritum

¹ L. contra Epist. fund., c. v. — V. Bolgeni, *L'Economia della fede cristiana*.

² Rom. x. — ³ I Corinth. xiii. — ⁴ *Enchir.*, c. viii.

sanctum, habet fidem explicitam Trinitatis: sic etiam credit explicitè mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam, et Christum esse Deum et hominem. — *Implicita* autem fides illa est, qua aliquid creditur non in se et in propriis terminis particularibus, sed in alio, in quo illud continetur: sic qui credit in Christum Deum et hominem, eo ipso implicite credit in duplicem ejus voluntatem, etsi eam ignoret.

Fides ipsa implicita iterum duplex ab accuratioribus solet distingui: vel enim credimus aliquid in alio, tanquam in principio universali, cui adhæremus, ut cum quis in communi credit quidquid credit Ecclesia, quin tamen aliquid particulare (neque etiam in confuso vel in umbra) sciat aut credat. Vel credimus aliquid in alio jam ut in umbra et figura, per quam nempe ipsa veritas credenda confuse significatur: ut cum quis credit Deum esse missurum salvationem, sed nesciat media, quibus id sit acturus. Prima dicitur fides implicita latiori sensu: altera fides implicita dicitur sensu stricto ac proprio; est tamen utraque semper fides implicita.

3. In *catholicam* et *privatam*. Fides catholica complectitur universas veritates, quarum revelationem testificatur Ecclesia. *Privata* vero versatur circa eas veritates, non expresse ab Ecclesia propositas, quarum revelatio potest quibusdam alio medio innotescere.

4. In *formatam*, quæ dicitur etiam *fides viva*; et in *informem*, quæ dicitur etiam *fides mortua*. *Viva* est quæ gratiam habitualement, sive charitatem sibi conjunctam habet: talis est fides hominis justi. *Mortua* est quæ caret justitia et charitate: talis est fides hominis in statu mortalis culpæ constituti.

236. Quolibet peccato mortali ita fidem extinguere, ut nulla amplius in peccatoribus admittenda sit neque *viva* neque *mortua*, et si quæ adhuc remanere videatur, ea non sit fides vera, nempe divina, sed mere humana, docuit Calvinus, Quesnellus, alique de Schola Jansenistarum. Sed veritas catholica est, fidem *veram*, nempe divinam, esse posse etiam sine charitate, ac proinde fidem *informem* sive mortuam esse admittendam uti veram ac divinam fidem.

Probatur 1. ex Scripturis: *Si habuero omnem fidem, ait Apostolus, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil*

sum; sed fides, quæ montes transfert, est fides vera et divina; ergo hæc a charitate sejuncta potest in natura sua esse. *Quid proderit, fratres mei, inquit S. Jacobus, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* Hic pariter sermo est de fide non humana, sed divina ideoque vera: atqui hæc dicitur subsistere posse etiam per se et sine charitate: — 2. ex Patribus: pro omnibus unus sit Augustinus, *qui de fide et operibus* totus in eo est, ut ostendat neminem debere salutem æternam sperare, si fidem habeat sine charitatis operibus; — 3. ex Tridentino: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia* (en charitatis mortem), *simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit*; — 4. ex pontificum Oraculis: Alexander VII hanc sub n. 12 propositionem damnavit: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina*. Clemens XI aliam similem in Quesnello Jansenismi professore valde insigni confixit. Dicendum ergo, charitatem quidem esse non posse sine vera fide, quia fides vera est ejus fundamentum: sed veram fidem esse posse sine charitate; nam stat fundamentum sine edificio.

237. *Sed si fides* (inquit) *in statu peccati mortalis, sive sejuncta a charitate, est fides mortua; ergo amplius non existit, sicuti cessat existere homo actu quo moritur; vel saltem fides quæ remanet, non erit amplius fides vera, nempe divina.*

Resp. neg. *conseq.* et *paritatem*: fides enim sine charitate dicitur quidem *mortua*, sed non quasi cesset existere, quemadmodum mori dicitur homo; bene vero quia operationem in Christiano cessat habere in ordine ad vitam æternam, eo modo quo corpus dicitur *mortuum*, quod existit quidem, sed vita destitutum: hanc comparisonem supeditat S. Jacobus: *Sicut... corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est*. Atqui corpus hominis, etiamsi mortuum, quia sine anima, adhuc remanet verum corpus humanum; a pari fides, etiamsi mortua, quia sine charitate, adhuc remanet vera fides, nempe divina. In quo enim sita est fidei divinæ natura? profecto in hoc quod faciat nos assentiri rebus a Deo revelatis ob divinam veracitatem; atqui assensus iste etiam sine charitate haberi potest.

Imo si sermo sit de merito, quod Theologi vocant *de congruo*, ipsa

¹ I Cor. XIII.

² Ep., c. II. — V. Dubois, *Pratique du christianisme ou Nécessité de pratiquer ce que l'on croit*. II. *Le Saint Prêtre*, §§ 57 et seqq.

³ Sess. VI, can. XXVIII.

⁴ Ep., c. II.

fides mortua meritoria est apud Deum; opera enim meritoria *de congruo* præcedunt justificationem: *Nec ipsa remissio peccatorum, inquit Augustinus, sine aliquo merito est, si fides hanc impetret*. Si res ita non esset, quis amplius peccatores hortaretur, ut se vehementer commendent Dei misericordiæ et Beatæ Virgini, quæ est *refugium peccatorum*, ut in Christi gratiam reverti possint? Quapropter qui absolute et sine ulla restrictione pronuntiat *fidem sine charitate non esse meritoriam*, nobis videtur cum Quesnello sentire, cujus erat hæc thesis damnata sub n. 56: *Deus non remunerat, nisi charitatem.*

CAPUT SECUNDUM

DE FIDEI OBJECTO, REGULA, ANALYSI AC SUBJECTO

238. Q. 1. Quodnam est objectum fidei?

R. 1: *Materiale* fidei objectum (seu materies, circa quam fides nostra occupatur, sive quod credere tenemur) est Deus ipse, et illud omne quod ab eo revelatum fuit. Deus quidem ipse est objectum primum et proprium: cetera vero ab eo revelata objectum minus proprium et secundarium. Si vero, ait D. Thomas, *consideremus materialiter ea, quibus fides assentitur, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum*, sive tanquam principium a quo procedunt, sive tanquam finem ad quem tendunt.

R. 2: Objectum vero *formale* fidei seu formalis et ultima ratio, quæ nos movet ad credendum, est testimonium divinum, sive Deus ipse uti summe verax, imo et prima veritas; omnis namque fides innititur testimonio verum dicentis; ideo enim alicui credimus, quia verax est et vera semper loquitur. Ergo summa Dei veritas est ratio fundamentalis nostræ fidei, seu motivum ultimum et supremum determinans assensum nostrum. Hoc sane sensu inquebat Apostolus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non*

¹ Epist. cxcv. c. v, n. 19. — ² 2, q. 1, a. 1.

ut verbum hominum, sed (sicuti est vere) verbum Dei¹. Et in actu fidei expresse dicimus: *Credo, Domine, quidquid revelasti, quia summe verax es, qui nec falli nec fallere potes.* Hinc perbelle aiebat Cassianus: *Deus hoc dixit? verbum illius summa ratio est: removeo disputationes; sola mihi sufficit ad credulitatem persona dicentis*².

239. Q. 2. *Quænam est regula fidei?*

R. Regula fidei dicitur illud omne, quod verum fidei objectum vel continet vel declarat: tres vulgo assignantur fidei regulæ: *Scriptura, divina traditio, et Ecclesia.* Quoniam vero neque S. Scriptura neque traditio veritates in se contentas viva voce explicant, iccirco appellari solent regulæ fidei mortuæ seu inanimatæ; Ecclesia autem, quæ Scripturam et traditionem clara ac infallibili auctoritate explicat, dicitur regula viva seu animata³. — Vel etiam dici potest, quod Scriptura et Traditio sint fontes, quæ fidem continent; Ecclesia vero est via seu medium, quo a Deo revelatæ veritates, et in Scriptura vel traditione contentæ certo nobis innotescunt; unde patet duo requiri, ut aliquod catholicæ fidei dogma dicatur, Deum revelantem, et Ecclesiam proponentem. Hæretici unam tantum admittunt fidei regulam, nempe sacram Scripturam; medium autem ad Scripturam intelligendam reponunt adhuc in ipsa Scripturæ lectione, in sensu privato, in Spiritus sancti privata motione et in examinis via; sed falluntur toto cælo.

Ac 1. præter Scripturam etiam divinas traditiones admittendas uti divinæ fidei regulas Tridentinum definivit⁴. Sane decretorium est illud Apostoli: *Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*⁵. In quæ verba scripsit Chrysostomus: *Hinc patet*

¹ I Thess. II.

² De Incarn., l. IV, c. VII. — V. Liguori, Op. Mor., l. II, n. 4.

³ Propositio Ecclesiæ dicitur etiam regula *immediata*, seu *proxima* fidei; verbum autem Dei sive scriptum sive traditum, in quo divina revelatio continetur, regula *remota*, seu *mediata*.

⁴ Sess. IV. — V. Perronne, Il Protestantismo e la Regola di fede.

⁵ II ad Thessal. II. — V. Milner, Il fine di una religione controversa. — Wiseman, Conférences sur les principales vérités de l'Eglise catholique. — Malou, De la lecture de la Bible en langue vulgaire. — Moehler, Dell'

quod non omnia per epistolam, sed multa etiam sine litteris; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista. Adde: primæ Ecclesiæ conditæ sunt et plures diu extiterunt sine Scripturis, saltem novi Testamenti; sola igitur traditione illæ fidelium collectiones veritates a Deo revelatas tunc cognoscebant. Adde: si traditiones dogmatico-divinæ a Scripturis distinctæ non admitterentur, neque de numero divinorum librorum ac de eorum divina inspiratione, neque de dogmatico eorundem sensu, neque de non paucis fidei articulis quos nobiscum protestantes profitentur constare posset: ut est dogma de valore baptismi ab hæreticis vel infidelibus collati, de valore item pædobaptismi (baptismi infantium), de cessatione a sanguine et suffocato, de die dominico sabbatis suffecto, etc. Falluntur ergo novatores qui eas tantum traditiones admittunt, quas vocant *inhæsitivas* et *declarativas*, quæ nempe firmant traditiones jam in Scripturis contentas.

2. Medium ad certo cognoscendas veritates a Deo revelatas debet esse: 1° *certum, securum*, atque *aptum* ad omnes dubietates solvendas; secus non posset obtinere assensum firmum et immutabilem; 2° *universale*; si enim omnes vocati sunt ad fidem, omnibus obvia esse debet regula, qua fidem ipsam firmiter assequantur ac teneant; 3° *perpetuum*: quantum fides, tantum ejus regula perdurare debet; sed fides est usque ad consummationem sæculorum duratura.

Si ita est, ut patet, medium istud non potest constituere neque sacra Scriptura, cum multa difficilia et obscura contineat, et ipsa in omnibus fidelium manibus non versetur; neque motio divini Spiritus, quam nimis facile quisque fingere potest; neque sensus privatus, alioquin tot haberemus sententias quot capita; neque examinis via, tunc enim paucissimi fidei veritates assequerentur: cum alii ingenii tarditate, alii rerum temporalium cura et cupiditatum amore ad eas assequendas impedirentur. Et vel ipsi paucissimi, non nisi cum plurium errorum admixtione, et uni aliis in pluribus dissentientes, veritates fidei sibi compararent. Hoc patet ex prote-

unità della Chiesa, c. II. — Charvaz, Guida del catecumeno valdese, part. IV. — Liguori, Opera dogmatica, sess. IV. — Martinet, Solution des grands problèmes, l. II, etc.

stantibus : quod lites inter illos quoad ipsa primaria fidei capita¹ unde unitas fidei apud illos penitus evanuit. Dicendum ergo cum Catholicis medium tutum, facile, omnibus obvium ad cognoscendas veritates revelatas in auctoritate viva ac infallibili reponendum esse; et sane major hominum pars sola regitur auctoritate². Hæc autem autoritas viva et infallibilis in nullo alio reperiri potest, nisi in visibili et perpetuo Ecclesie magisterio; Ecclesia enim dicitur *columna et firmamentum veritatis*, quam quidem *qui non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*³ (A).

240. Q. 3. Quid est fidei analysis?

R. Analysis seu resolutio fidei est illa mentis operatio, qua pervenitur ad rationes, quæ assensum nostrum determinant: seu est discussio principiorum, propter quæ creditur aliqua veritas. Unde quando credimus, v. g., tres in Deo esse Personas, ideo nos credere dicimus, divina agente gratia, quia id Deus revelavit in Scripturis; ideo vero nos credere hoc revelatum in Scripturis, quia illud testatur Ecclesia; ideo demum nos testimonio Ecclesie tuto fidem habere, quia Ecclesia pro se habet omnia credibilitatis et infallibilitatis motiva⁴. Actus ergo fidei quinque importat, veritatem revelatam, au-

¹ V. Bossuet, *Hist. des variations*. — Moehler, *La simbolica*, ossia *Esposizione delle antitesi dogmatiche tra i cattolici ed i protestanti*. — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, §§ 266 et seqq.: Origine storica e costituzione delle sette eterodosse. — *Annali Religiosi*, vol. I, ser. I, art.: Il principio protestante di appellarsi alla Sacra Scrittura sovversivo della dottrina protestante, e confermativo della fede cattolica, ecc. — Perrone, *Præl. Theol. de locis theol.* — *Civiltà Cattolica*, ser. III, vol. IX: L'Assemblea cattolica e le Assemblee eterodosse, etc., etc.

² Quæ auctoritas libertatem non destruit: « Ceux-là sont intellectuellement les plus libres qui ont les moyens les plus faciles pour trouver la vérité, et non ceux qui ont la plus grande liberté pour la recherche de la vérité par leurs propres forces. » Ad rem Card. Wiseman in *Op. Quatre années d'exercice de la religion catholique*, c. iv: *l'Esclavage du protestantisme*.

³ I Tim. iii; et Matth. xviii. — V. Martinet, *Philosophie du catéchisme catholique*, l. I.

⁴ Hac methodo omnes fideles ad eliciendum actum fidei rationabilem facile deducuntur. — V. Exemplum apud Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. II, leq. 47.

ctoritatem Dei revelantis, Ecclesiam proponentem, motiva credibilitatis de veracitate Ecclesie nos tutos reddentia, tandem gratiam Dei assensum nostrum dirigentem atque ad statum supernaturalem elevantem; fides enim est donum supernaturale, et nemo venit ad Christum, nisi Pater coelestis traxerit eum: idque Tridentinum definivit¹.

Primus tamen et ultimus annulus, a quo fides incipit et in quem desinit, constituendus est in divino testimonio ab Ecclesia proposito. nempe divinum testimonium est ratio formalis cur credimus; Ecclesia vero est iudex infallibilis seu viva et infallibilis auctoritas, quæ nos certos reddit hoc vel illud esse revelatum, ut nulli dissensioni sit locus. Quæ quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia (ut verbis utamur Pii Papæ IX), quæ a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesie Caput, Principem et Pastorem, cujus fidem nunquam defecturam promisit, ædificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris ac potestatis hæredes et vindices (Encycl. Qui pluribus, anno 1846) (B).

241. Q. 4. An fidei objecta lapsu temporis creverint?

R. Veterum præsertim scholasticorum communis erat sententia cum D. Thoma², fidem catholicam quoad substantiam credendorum semper eandem fuisse vel ab ipso mundi exordio, et tantum novas explicationes successive obtinuisse. Omnia enim dogmata jam satis implicite continebantur in fide Dei et divinæ providentiæ; hinc Augustinus: *Tempora variata sunt, non fides*³.

Verum plures recentiores cum Antoine docent: — 1. objecta fidei ab Adamo ad Apostolos inclusive crevisse non tantum secundum quid, quatenus quædam fuerunt pedetentim explicata; sed etiam simpliciter, quatenus aliquid novi fuit revelatum. Sane complura in lege naturæ revelata sunt Abrahamo aliisque Patriarchis: complura item innotuere per Moysen aliosque Prophetas in lege scripta, quæ nequeunt haberi ut nudæ explicationes primæ revelationis. Et merito ex ipso Augustino; *nam gradatim et per incrementa fragili-*

¹ Joann. vi; et Trident., sess. vi, c. vi. — ² 2, 2, q. 1, a. 7.

³ Tract. XLV in Joan.

*tas humana nutriri debuit*¹. 2. Ab Apostolis usque ad nos objectum fidei simpliciter non crevisse; tum quia Spiritus sanctus docuit *omnem veritatem*²; tum quia Ecclesia nunquam sibi attribuit potestatem dogma novum revelandi. Crevit tamen et crescit *secundum quid* quatenus revelatio jam facta per auctoritatem Ecclesie infallibilem vel explicatur vel ad singularia objecta applicatur, vel contraversa certificatur, quod tamen non est condere nova dogmata³. Ex quo item constat absurditas hæreticorum, quod nempe Ecclesia per succedentes ætates fit minus docta et intelligens in mysteriis fidei; semper enim Ecclesia est fundamentum et columna veritatis, cui Deus assistentiam suam promisit ad consummationem sæculi. Et contraria doctrina damnata est a Clemente XI Bulla *Unigenitus* in Quesnello (propositione 95), et a Pio VI Bulla *Auctorem fidei* in Synodo Pistoriensi (propositione 1).

242. Q. 5. *Quid de revelationibus privatis tenendum est, quas Sanctis plerisque factas scimus etiam post Apostolorum ætatem?*

R. Privatæ revelationes ad fidem catholicam non pertinent; fides enim nostra, ait Angelicus, non innititur revelationibus quibuscumque; sed iis dumtaxat, quæ Patriarchis, Prophetis et Apostolis factæ sunt, et ideo fideles dicuntur in Scripturis *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*⁴. Neque facessit, quod Ecclesia nonnullas approbaverit, ut sanctarum Birgittæ ac Catharinæ Senensis; cum enim Ecclesia id agit,

¹ Q. ex novo Test., c. LXXVI. — Ad rem habet doctiss. Klée in suo opere, *Histoire des dogmes*, vol. I, sub initio: « La substance du dogme, déterminée dès l'origine, demeure toujours la même; sa formation dans le temps est progressive, en sorte qu'il se développe selon les progrès de la raison vraie et droite qui l'étudie, en même temps qu'il grandit pour résister aux efforts de la pensée ennemie qui l'attaque. » — V. *Amico Cattolico*. Milano, vol. XII, ser. I, articolo: Le variazioni in dottrina. — *Sul criterio de dogmi*, reminiscenze di Seminario e di studi di un sacerdote milanese; Milano, 1860.

² Joann. v et xvi.

³ V. Dezinger, *Euchiridion symbolorum et definitionum, quæ de rebus fidei et morum a Consiliis et summis Pontificibus emanarunt*. Lipsiæ et Neapoli, 1861.

⁴ Eph. II. — V. D. Thomas, 1 p., q. 1, a. 8.

nunquam easdem revelationes nobis credendas proponit uti dogma catholicum; sed sua approbatione solum intendit declarare nihil in ipsis contineri contra fidem aut bonos mores: nempe tanquam pias et absque ulla superstitione prudenter recipi posse, licet adhuc, salva fide, ab iis possit recedi, si fiat, ut ait Benedictus XIV¹, *cum debita moderatione, non sine ratione et citra contemptum*.

Ex quo recte concluditur, generatim loquendo, neminem teneri reapse credere tali revelationi: nec si credat, talem assensum posse esse fidei catholicæ aut divinæ, cum non innitatur divino testimonio, sed testimonio humano, id est personæ, cui revelatio facta est. Diximus *generatim loquendo*; etenim non tantum persona cui fit revelatio, sed etiam persona ad quam dirigitur revelatio (uti si Deus alicui revelet quod talis Prælati non recte se gerit), si proponatur cum sufficientibus argumentis rite probatis, eam credere debet; Deus enim illi loquitur per alium, et proinde ab eo exigit fidem² (C).

243. Q. 6. *Quodnam est fidei subjectum?*

R. Subjectum fidei aliud est proximum, aliud remotum. *Proximum* est ipsa facultas seu potentia personæ, in qua fides residet: hæc nihil aliud est, quam intellectus. *Credere*, ait D. Augustinus, *est cum assensu cogitare*: atqui cogitatio residet in intellectu; ergo et credere, ac proinde etiam fides. Adde ex Apostolo: fidei succedit visio patriæ: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; atqui visio est in intellectu, ergo et fides³. — Subje-

¹ L. III, c. ult. *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum Canonizatione*.

² Imo quod pertinet ad illum, cui fit revelatio, sunt qui cum Gotti docent hanc credi debere fide theologica: et consequenter quæcumque ipsi revelantur a Deo esse objectum materiale fidei divinæ: cum prima Veritas sit ratio propria et proxima assentiendi omnibus quæ revelantur quibuscumque revelentur. Sed negant alii ipsum posse privatæ revelationi credere ex fide catholica, qua Christianus est; cum hæc revelatio non contineatur in ambitu objecti formalis catholicæ fidei, sed ex alio speciali lumine superno eruatur. — V. Benedictus XIV, *loc. cit.* — Liguori, *Homo Apost.*, append. I, n. 49, ubi etiam de locutionibus et visionibus.

³ I Cor. XIII. — Verum ad illius assensum requiritur etiam pia in nobis

etum fidei *remotum* est persona fidei capax : tales porro fuerunt non solum homines, sed etiam Angeli in eorum prima conditione, qui donati quidem fuerunt gratia, sed cum hæc in ipsis non esset consummata, ita ut Deum per essentiam videre possent; oportuit in iisdem quamdam fuisse inchoationem speratæ beatitudinis. Quæ quidem inchoatio locum habet in voluntate per spem et charitatem, in intellectu per fidem.

244. *Quid (quæres) de beatis, damnatis, animabus purgantibus atque infidelibus? habentne veram fidem?*

R. 1. Quoad beatos dicimus: cum fides ex Apostolo sit *argumentum non apparentium*, id est *certa apprehensio eorum, quæ non videntur*, ut exponit Angelicus, beati autem jam *facie ad faciem* contemplantur quæ nos non videmus, nisi per *speculum in ænigmate*, consequenter aperta res est, fidem in beatis non reperiri¹; — 2. ad damnatos quod attinet, cum ex eodem Apostolo fides sit *sperandarum substantia rerum*, et donum valde insigne gratiæ divinæ, cumque damnati nulla amplius spe recreari possint in eorum suppliciis sine fide duraturis, iis divina fides non competit; — 3. idem valet de dæmonibus: etsi enim, dicente Jacobo, *dæmones credunt et contremiscunt*; hæc eorum fides non est supernaturalis, sed naturalis, coacta et orta ex evidentia rerum; — 4. quoad animas purgantes, cum ipsæ nondum videant Deum *facie ad faciem et sicuti est*, patet in iis adhuc fidem manere; — 5. demum infideles, ut ipsum per se nomen sonat, fidem non habent.

liberæ voluntatis affectio, et iccirco dicimus fidem esse etiam penes voluntatem: et Apostolus ad Rom. x habet: *Corde... creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Sane mens nostra nunquam ad assensum determinatur, nisi vel ab ipsa veritate per suam evidentiam, vel a voluntate per liberam sui motionem. Atqui in rebus fidei non potest mens nostra determinari ad assensum per veritatis evidentiam, cum res fidei non sint apparentes; ergo determinatur per liberam ac piam voluntatis motionem: ideo fides est meritoria apud Deum. S. Thomas.

¹ 2, q. 4, a. 1. Sed quomodo sciunt quæ nondum sunt, ut futura resurrectio, iudicium generale, aliæque veritates futuræ? R. Communius docent Theologi, beatos hæc non scire per fidem divinam sicuti nos; sed illa in Deo video videre intuitive.

245. *Quid de hæretico, qui quosdam articulos credit, et quosdam rejicit? R.* Vel agitur de hæretico materiali, qui nempe credere paratus est quidquid Ecclesia catholica credit, et ex ignorantia tantum in quibusdam fidei dogmatibus errat; quia nondum Ecclesiæ sensum est assecutus. Vel agitur de hæretico formali, qui nempe post assecutum Ecclesiæ sensum adhuc in quibusdam assentiri recusat.

Si 1, hæreticus ille totam et integram fidem habet *in habitu*; nam non errat pertinaciter: sic nemo negaverit veram fidem habuisse S. Cyprianum etiam actu, quo Baptisma ab hæreticis collatum rejiciebat uti invalidum. Si 2, Durandus aliique pauci existimant veram fidem in hæreticis formalibus aliquantulum adhuc manere relate ad eos articulos, quos credunt. Communis tamen et verior sententia cum D. Thoma negat; etenim sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita discredere unum articulum contrariatur fidei: atqui charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale; ergo nec fides in eo, qui discredet unum articulum fidei. Adde: qui nonnulla credit, et nonnulla rejicit, agit ex proprio iudicio, ideoque non ex fide, ut argumentatur D. Augustinus¹. Adde: fides habet unum medium credendi, *scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiæ intelligentis sane; et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret*: ita Angelicus². Hinc Apostolus de quibusdam, qui tantum negabant corporum resurrectionem, generatim ait, quod *circa fidem naufragaverunt*³.

CAPUT TERTIUM

DE FIDEI PROPRIETATIBUS

Plures sunt fidei divinæ proprietates, seu plures requiruntur conditiones, ut fides divina uti genuina habeatur. Oportet nempe, ut sit: 1. *libera*; legitur enim: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*⁴. Quæ verba evidenter supponunt possibilitatem credendi et non credendi; 2. *honestæ*: sane si laudabilis est fides humana, multo magis divina juxta illud: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*⁵; — 3. *supernaturalis*, fides enim hæc nostra tendit ad Deum supernatu-

¹ L. XVII, c. m, contra Faustum.

² 2, q. 5, a. 5. — ³ I Tim. i.

⁴ Marc. xvi. — ⁵ I Joan. v.

raliter cognitum : ergo ejus actus supernaturalis est; — 4. *una*, juxta illud Apostoli : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*¹ : una tum ratione rerum quæ creduntur, quatenus omnes unum et idem credere debemus; tum ratione motivi quod nos movet ad credendum, scilicet una Dei veracitas; — 5. *meritoria*; hinc Tridentinum docet fidem præparare hominem ad justificationem²; et Apostolus de Judicibus et Prophetis dicit : *Per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*³; — 6. *obscura*, ex parte nempe rei revelatæ; alioquin de ea non haberetur fides, sed scientia. Revelatio quidem fidei existentiam infallibiliter aperit, sed naturam ejus non manifestat. Ceterum hoc non impedit, quominus fides omnimodam habeat certitudinem, credibilitatem et necessitatem.

Etsi fides sit fundamentum omnis justificationis, ac sine illa salus non obtineatur; non ideo tamen prima gratia dici debet; prior enim est gratia illa quæ ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem : ita fideles et hæretici sæpe gratias sufficientes recipiunt, quibus alliciuntur ad fidem ipsam amplectendam. Contraria autem doctrina damnata est Bulla tum *Unigenitus*, tum *Auctorem fidei*.

Art. I. — De fidei certitudine ac credibilitate.

246. Q. 1. Quanta est fidei certitudo?

R. Tanta est fidei certitudo, quanta est ipsa Dei revelantis auctoritas : huic enim soli tanquam objecto suo formali innititur; atqui Dei auctoritas in revelando certissima est; ergo et fides nostra. *Major* a nemine impugnatur : *minor* rejicitur a Priscillianistis, a Manichæis et a quibusdam aliis, qui contendebant Deum mendacii esse capacem. Sed est atrox blasphemia; auctoritas enim Dei in revelando est quædam quasi complexio tum ex infinita sapientia, qua res uti sunt ita novit, ut falli non possit; tum ex infinita bonitate, qua res uti sunt, ita nobis vult revelare, ut non possit fallere. Hinc in Scripturis legitur : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : est autem Deus verax; omnis autem homo mendax*. Unde tuti exclamare debemus cum Apostolo : *Scio... cui credidi, et certus sum*⁴.

¹ Eph. iv.

² Sess. vi, c. vi. — ³ Hebr. xi.

⁴ Num. xxiii; Rom. iii; et Tim. i.

Accedit ratio : 1. Deus est summa veritas; atqui si in revelando mentiri posset sive de potestate ordinaria sive de extraordinaria, jam non esset summa veritas; 2. Deus est ens perfectissimum, ideo ejusdem naturæ omnino repugnat agere malum; quia semper est contrarietas boni et mali, veri et falsi; 5. fides supernaturalis et utilis ad salutem requirit assensum certum ac firmum; sed hic assensus haberi non potest sine certa ac firma revelatione. Hinc Innocentius XI hanc sub n. 21 damnavit propositionem : *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne locutus sit Deus (D)*.

247. Q. 2. Quid est fidei credibilitas et quotuplex?

R. Fidei credibilitas est evidentia illa, propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exhibemus. Duplex evidentia genus oportet distinguere : aliud, quod rem aliquam ostendit evidenter esse veram, et dici potest *evidentia veritatis*; aliud, quod evidenter ostendit rem illam esse credibilem, et potest appellari *evidentia credibilitatis*. Illud est evidenter verum, quod ab intrinsicis rei principiis evidenter cognoscitur : hoc modo certum est duo et duo efficere quatuor. Illud autem est evidenter credibile, quod probatur argumentis extrinsecis, nempe testibus, monumentis, signis et similibus tam fide dignis, ut illud evidenter appareat firmo assensu omnino dignum, neque in dubium amplius revocabile absque imprudentiæ censura : hoc modo certi sumus existere Romam, licet ibi non fuerimus.

248. Quænam (quæres) evidentia fidei nostræ convenit? Fidei nostræ non convenit evidentia veritatis; si enim fides haberet hanc evidentiam, jam frustra diceretur ab Apostolo *argumentum rerum non apparentium*. Convenit tamen evidentia credibilitatis, qua fit rationabile obsequium nostrum : *Non enim crederet (homo), ait Angelicus, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*¹. Sic evidentia credibilitatis cognoscimus mysterium SS. Trinitatis fuisse nobis a Deo revelatum, et ab

¹ 2, 2, q. 1, a. 4.

Ecclesia propositum, quin tamen mysterii naturam perspiciamus. Nam hoc illi temporari reservatur, cum Deum non amplius videbimus *in speculo, in ænigmate; sed facie ad faciem, et sicuti est*¹.

Fidei nostræ evidentiam credibilitatis revera convenire, septem præcipue argumentis solent ostendere Apologistæ: quæ quidem sunt totidem quasi sigilla, ut ait Scaramelli², quibus catholica fides obsignatur. Hæc Gagliuffi paucis exemplo contraxit versibus:

*Credite. Sunt vobis præsto septena sigilla,
Ut sit tuta Fides. Sanctorum Oracula Vatum;
Portenta æterna semper rutilantia luce;
Lex Sancta; immensi famæ laudumque Triumphi;
Firmantes verum devoto sanguine Testes;
Gloria qua mundus late patet incluta; et usque
Firmumque et certum tot post discrimina Regnum.*

1^{um} Est *Prophetiarum*, quæ Religionem nostram respiciunt, adimplementum: quæ nedum a Christianis postmodum confictæ sint, ab adversariis nostris Judæis religiosissime pluribus ante eventum annis asservabantur. At futura contingentia prædicere est solius Dei³.

2^{um} Est numerus prope infinitus *miraculorum*, quæ in Religionis nostræ confirmationem patrata sunt, et quorum præcipuum est ipsa gloriosissima Christi resurrectio. Miracula enim esse nequeunt, nisi a vero Deo, et quidem in testimonium veritatis, ne Deum ipsum testem falsitatis faciamus. Hinc pulchre Richardus a S. Victore: *Domine, si error est quem credimus, a te decepti sumus; iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi a te fieri non potuerunt*⁴.

5^{um} Est *sanctitas et excellentia doctrinæ catholicæ Reli-*

¹ I Corinlh. xiii.

² *Direttorio ascetico*, tract. IV, c. 1. — V. Liguori, *Verità della fede; 2. Verità della fede fatta evidente per i contrassegni della sua credibilità*. — Frayssinous, *Défense du Christianisme*, lib. I. — Balmès, *Lettre à un sceptique en matière de religion*.

³ V. Puy, *L'incréduité convaincue colle profezie*. — Muzzarelli, *L'Emilio disingannato*, t. I, dial. xiv et xv. — Lacordaire, *Confés*. xli.

⁴ L. 1, *De Trin.*, c. 11

gionis; puritas enim decurrentis aquæ puritatem scaturiginis testatur.

4^{um} Est omnium doctissimorum atque ipsorum adversariorum *testimonium*, qui fidem scrutantes defecerunt in investigationibus suis: at non ipsa defecit fides in sua firmitate. Ex quo illud contigit, ut quos fides habebat adversarios, habeat laudatores¹.

5^{um} Est *Martyrum* constantia et multitudo, qui Religionem catholicam proprio sanguine obsignarunt; neque enim nisi per virtutem divinitus infusam evenire potuit, ut hilariter tot omnium ætatum, sexus et conditionis vitam prodigerent². Ex qua multitudine nedum ipsi exterminarentur, plures efficiebantur christiani; unde Tertullianus dicere non dubitaverit: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos...*; plures efficimur quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum³.

6^{um} Est catholicæ Religionis in orbem universum *propagatio*, quippe quæ facta fuerit summa cum celeritate, maximis obstaculis contra nitentibus, et instrumentis ex se omnino ineptis ad tantum finem obtinendum. Quare nihil humani hic esse potest; adeo ut exclamandum sit cum eodem Tertulliano: *Incredibile? ergo divinum*⁴.

7^{um} Est ipsa antiquitas et nunquam interrupta *perseverantia*, qua catholica Religio tot inter procellas et persecutiones semper invicta conservata est, ut merito possimus exclamare: *Digitus Dei est hic*; ne dum enim submergat, imo fluminis

¹ V. Houteville, *La vérité de la religion chrétienne prouvée par les faits*. — Jamin, *Pensieri*, ecc. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. III, lec. xx. — *Cattolico*, vol. XXII: Testimonianze de' pagani in favore del Cristianesimo. — Ricordi, *La Religione Cattolica Apostolica dimostrata dalla Rivoluzione del 1789*. Torino. — Lucchesini, *L'incréduité convaincu dagli stessi suoi seguaci*. Lugano.

² V. Muzzarelli, *Il buon uso della logica*. opusc. viii et xxii. — Ruinart, *Acta SS. Martyrum*. — Liguori, *Vittorie de' martiri*. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., vol. X.

³ In *Apologet*.

⁴ Ad Marcion. V. Bulet, *L'Établissement du Christianisme*. — Rohrbacher, *Histoire de l'Église*, etc., l. XXIV. — Perrone, *L'Apostolato Cattolico ed il proselitismo protestante*; Genova, 1862.

impetus lætificat civitatem Dei. Sane error non habet, quod sit permanens¹ (E).

249. *Sed (dices) si tot argumentis innititur nostræ fidei credibilitas, non erit virtus divinitus infusa, nec donum Dei supernaturale. R. Tametsi argumentis a ratione petitis ad catholicam Religionem adducamur; tanta tamen est imbecillitas intellectus humani, ut nemo divina fide credere actu valeat, nisi lumine etiam supernaturali ejus mens illustretur; nam cum credibilitatis motiva extrinseca sint et ab hæreticis impugnata, non penitus tollunt rei credendæ obscuritatem; neque ideo tantam pariunt evidentiam, ut intellectus illico ac necessario rapiatur ad assentiendum. Quare requiritur illustratio intellectus et motio voluntatis, et quidem ex gratiæ auxilio juxta illud quod de Lydia conversione legitur: Dominus aperuit cor (Lydiæ) intendere his, quæ dicebantur a Paulo².*

Hæc nempe divina illustratio et motio: 1. mentem roborat ad divinam revelationem attentius considerandam; 2. pium excitat in voluntate affectum erga revelatam Religionem; quo vix concepto, voluntas imperat menti, ut veraci testimonio Dei revelantis innixa, licet revelatis rebus non intrinsece perceptis, firmiter tamen iis assentiatur. Ideo motiva credibilitatis hoc tantum præstant, ut assensus, quem nostræ Religionis præbemus, sit utique prudens, sed non supernaturalis, atque uti par est omnino firmus ac meritorius. Quare motiva credibilitatis licet extrinsecam pariant objectorum fidei evidentiam, nunquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei³.

Hinc ab Innocentio XI jure merito damnata est hæc sub n. 25 propositio: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

¹ V. Segneri, *L'Incredulo senza scusa*. — Valsecchi, *I fondamenti della Religione*. Contra modernos, qui Ecclesiam privilegiis expoliantes debellare putant, ad rem *Saggio intorno al Socialismo*: « Des hommes d'un jour s'imaginent de vaincre l'Église et le clergé (qui, par son union avec elle, parlant et agissant en son nom, n'est autre chose qu'elle-même, c'est-à-dire sa partie pensante et dirigeante), lorsqu'ils lui ont ravi un droit, enlevé une liberté, soustrait quelque domaine dans un des espaces étroits du monde qu'on appelle États, dans un de ces moments qu'on appelle âges ou générations pour un peuple, O les malheureux! ce sont des vermisseaux qui s'agitent un moment dans un petit coin de la terre, tandis que l'Église est universelle pour le temps, le lieu, la perpétuité, la vérité. »

² Act. xvi. — Si semper, hodie maxime precibus instandum, ut fidem servemus, imo fides nostra supercreseat, in tanta iniquorum contra eam pugnantium multitudine.

³ V. Perrone, *De locis Theolog.*, p. III, sect. 1, c. II. — D. Thomas, 2, 2, q. 1, a. 4.

Art. II. — De fidei necessitate.

250. Duplex hoc loco distinguitur necessitas (quæ distinctio in re theologica est maxime attendenda): alia *medii*, alia *præcepti*. Necessarium *necessitate medi* illud est, sine quo etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri non potest; et ideo dicitur etiam *necessitas finis*. Necessarium *necessitate præcepti*, est illud, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest, et dicitur etiam *necessitas moralis*. Unde quidquid est necessarium necessitate medi, est etiam necessarium necessitate præcepti, si in nostra sit potestate; nam eo ipso præcepto, quo tenemur nostram nobis salutem procurare, tenemur etiam nobis ipsis illa comparare media, quæ ad salutem sunt necessaria.

Hic non loquimur de fidei habitu; fidem enim habitualement ad salutem omnibus esse necessariam necessitate medi clarum est: nemo enim potest salvari sine gratia sanctificante; at gratia sanctificans est a fide habituali inseparabilis. Est igitur tota quæstio de fidei actu, et quidem respectu adultorum; nam infantes illius sunt incapaces, qui ideo salvantur per fidem habitualement, quæ per Baptismum iisdem confertur.

§ I. — De fidei necessitate ratione actus interioris.

251. Q. 1. *An sit de necessitate medi aliquid credi debere fide supernaturali?*

R. Certum est omnibus adultis ratione utentibus necessarium esse supernaturalem et interiorem fidei actum necessitate medi, adeo ut sine eo veram justificationem obtinere non possint. Est contra Wega et eos, qui putant hominem invincibili mysteriorum fidei ignorantia laborantem salvari posse sola naturali cognitione Dei. Probatur:

1. Ex Scripturis; Apostolus enim expresse docet: *Sine fide... impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator*

sit¹; Apostolum autem loqui de fide supernaturali constat, quia loquitur de ea fide, quæ est *sperandarum rerum substantia et argumentum non apparentium*. Quæ porro fides certe supernaturalis est, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, et res non apparentes humana ratione investigari nequeant.

2. Ex Patribus: *Fides* (ait D. Ambrosius) *est salutis nostræ pretium, sine quo non emitur Regnum cælorum*². *Fides est* (inquit Sanctus Fulgentius) *bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, nec in futuro vitam consequitur æternam*³.

3. Ex Ecclesiæ decretis; Tridentinum aperte asserit *sine fide nulli unquam contigisse justificationem*; et addit: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire*⁴. Confirmatur ex propositione sub n. 25 ab Innocentio XI proscripta.

252. *Sed* (dices) *si ita est, ergo adultus licet in infantia jam baptizatus, si de rebus fidei nec audivit unquam, nec audire quidquam potuit æternis, inferorum suppliciis addiceretur ob omissionem actus, qui fuit ipsi impossibilis; atqui hoc repugnat divinæ bonitati*. Non desunt Scholastici, quibus persuasum est saltem eos adultos, qui per Baptismum in infantia susceptum justificati sunt, posse sine fidei actu salvari. Verum hoc probari non potest; ideo respondemus cum D. Thoma: cum amicis suis Deus in necessariis non desit, nisi prius ipsi defuerint, neque eos deserat nisi prius deseratur ab ipsis; curabit ergo gratuita sui bonitate suppeditare iisdem media necessaria, quibus pervenire possint ad fidem (sicuti fecit cum Cornelio,

¹ Hebr. xi.

² In Ps. xxxvii. — ³ In proleg. de fide.

⁴ Sess. vi, c. vii et viii. — V. Bourdaloue, *Dominicales, sermon sur la Foi*. Est autem rejicienda singularis opinio Andreae Vegæ aliorumque paucorum, qui docent recensita testimonia posse intelligi de fide etiam in voto, et non tantummodo in re; ideo adultum invincibiliter ignorantem mysteria fidei posse justificari. Nam fides est dispositio interna, omnis justificationis radix: nihil proinde supponit, in quo votum ejus includatur. Suarez censet absque errore in fide id negari non posse.

mittendo Angelum), ita ut nemo eorum pereat ob defectum fidei sibi-met impossibilis¹.

253. *Fides* (addes) *necessaria ad justificationem, non est firmus assensus ad omnia revelata a Deo; sed tantum fiducia in divinis promissis, qua nempe quis sperat obtinere a Deo qui illam dare promisit, suam gratiam. Hinc Christus ad paralyticum: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; ad hemorroissam, Confide, filia, fides tua te salvam fecit*², etc.

R. Negando; fides enim quam Christus ad remissionem peccatorum postulat, illa est quæ profluit ex firmo assensu iis omnibus quæ Deus revelavit: patet ex scopo quem ipse habuit divinam suam comprobandi missionem; ad hunc enim finem sua ordinavit miracula, ut nempe crederetur Filius Dei. Unde ab omnibus qui suam exigebant opem, fidem, imo et fiduciam in ipsis exigebat, ut patet ex objectis locis et aliis pluribus. Hinc apud Marcum: *Prædicate evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Apud Joannem: *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*³. Merito ergo Tridentinum contra novatores definivit: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit*⁴.

254. Q. 2. *Quænam credenda sunt de necessitate mediæ*⁵

R. Adulti de necessitate mediæ alia credere debent fide supernaturali *implicita*; alia fide supernaturali *explicita*. Fide supernaturali *implicita* (saltem latiori sensu) credere debent omnia a Deo revelata: nempe necessarium est, ut generatim credant vera esse omnia, quæ a Deo revelata sunt et per Ecclesiam proposita; ita enim quærit Dei revelantis auctoritas. Verum sola hæc *implicita* fides non sufficit: sive enim agatur de tempore ante sufficientem Evangelii promulgationem, sive de tempore post promulgationem illam, aliqua fides *explicita*

¹ Act. x. — V. D. Thomas, *Quæst. xiv de ver.*, a. 1. — Bible de Vence, vol. VI, *Dissert.* Sur le salut éternel des gentils. — *Tesori di confidenza in Dio*. — De Lugo, *De fide*.

² Matth. ix, 2 et 21.

³ Marc. xv; Joann. xx.

⁴ Sess. vi, can. xii. — V. Bellarminus, *De Justificat.*, l. I, c. ix. — Perrone, *De gratia*, pars II.

⁵ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 2; et *Homo Apost.*, tract. IV, n. 5. — Klee, *Histoire des dogmes*.

ac determinata nonnullorum articulerum semper fuit necessaria de necessitate medii ad æternam salutem.

Ac primo : hæc duo fuerunt omni tempore ab omnibus, et ideo etiam ante Evangelii promulgationem, de necessitate medii, determinate et explicite credenda fide supernaturali, nempe Deum existere, atque justos in vita futura esse remuneraturum. Patet ex Apostolo ¹ : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hinc propositio : *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicite Remuneratoris*, ab Innocentio XI damnata est sub n. 22. Et sane, ut quis vitam æternam mereatur, modo supernaturali vivere debet; quod non potest, nisi Deum remuneratorem cognoscat. Communissime autem docent, fidem explicitam Dei bonos remunerantis, importare etiam fidem explicitam Dei malos punientis. Non autem necessaria fuit ante Evangelium fides explicita in Trinitatem; sed satis erat fides implicita, et quidem latiori sensu. Si secus esset, Deus Trinitatis revelationem Judæorum vulgo non denegasset : quod tamen merito fecit, ne scilicet ipsi in cultum idolorum jam promi Deorum pluralitatem suspicarentur ex tali notitia.

Utrum vero post Adæ peccatum ante promulgatum Evangelium fuerit necessitate medii necessaria etiam aliqua fides Incarnationis, seu in Christum, affirma : homo enim lapsus reparari non potest, nisi aliquo modo uniatur Redemptori et per Redemptorem Deo; quod fieri nequit nisi per aliquam fidem. Hinc in Scriptura : *Non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri; non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* ². Fides autem hæc ante sufficientem Evangelii promulgationem, non requirebatur explicite; sed sufficiebat implicita, in sensu tamen stricto. Hinc Apostolus loquens de mysterio Incarnationis aiebat ³ : *Quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus.* Ita generatim cum S. Thoma ⁴.

¹ Hebr. xi.

² Act. iv; et Gal. xi. — ³ Coloss. i.

⁴ 2, 2, q. 2, a. 7.

Secundo : hodie, facta Evangelii promulgatione, non sufficit fide explicita credere Deum existere et in altera vita remuneratorem esse, sed insuper requiritur ut de necessitate medii, et quidem explicite ac determinate, credantur mysteria tum SS. Trinitatis, tum Incarnationis, sub qua comprehenditur Redemptio : etenim post Evangelium status gratiæ factus est perfectior, unde perfectior requiritur notitia Christi ac Trinitatis. Utrumque confirmatur : ac primo de Incarnatione legitur : *Hæc est autem vita æterna* (nempe medium ad vitam æternam), *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* ¹; atqui *solus verus Deus* est credendus explicite; ergo et missio Jesu Christi. Et D. Augustinus habet : *A damnatione se non liberabunt qui dicere poterunt, se non audivisse Evangelium Christi.* Neque sufficit cognitio Incarnationis Jesu Christi solitarie accepta; sed insuper conjungi debet cum ejus morte; nam ipse Christus instituit comparisonem inter seipsum exaltatum in cruce et serpentem exaltatum in deserto, ut sicuti nullus salvus erat a morsibus serpentum, nisi qui aspexisset serpentem in deserto elevatum, ita in nova lege nemo consequitur salutem, nisi qui Christum in cruce exaltatum aspicit.

Hoc autem esse non potest sine explicita Trinitatis notitia; nam, ut ait S. Thomas : *In mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus sancti mundum renovaverit; et iterum quod de Spiritu sancto conceptus fuerit* ². Hinc in Symbolo Athanasii : *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur... Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque D. N. J. C. fideliter credat... Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Id docent communius, et videtur probabilius (F).

Alii tamen, satis etiam probabiliter cum Gotti, Sylvio, Soto, etc., docent omnes necessitate præcepti teneri quidem hæc mysteria tum Trinitatis tum Incarnationis explicite credere; necessitate autem medii sufficere si credant implicate,

¹ Joann. xvii. — ² 2, 2, q. 2, a. 7.

etiam posita Evangelii promulgatione. Repugnat enim divinæ bonitati ac providentiæ, quod damnet adultos ea invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturæ honeste vivunt; nam *in omni gente quæ timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi*¹. — Ceterum quidquid sit, certum est absolutionis esse incapacem, qui illa mysteria ignorat. Hinc damnata est ab Innocentio IX hæc sub n. 64 propositio: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis*².

255. *Quid (quæres) si a pœnitente in bona fide cum tali ignorantia jam peracta sit Confessio?* Alii dicunt illam Confessionem non esse repetendam; nam satis probabile est eam fuisse validam. Unde qui sic recepit Sacramentum, post factum non tenetur repetere, quia quod bona fide actum est, post factum supponitur recte factum, quoadusque contrarium non sit certum. Propositio autem damnata loquitur non de collato, sed de Sacramento conferendo, et de eo qui laborat ignorantia etiam culpabili. Alii volunt Confessionem esse repetendam; nam obligatio certa Confessionis non adimpletur, nisi per certam satisfactionem, ideo per confessionem certo validam.

Verum nos dicimus: generatim quidem verum est non esse repetendum opus, cui bona fide, et ex sufficienti ratione satisfactum est; quia rêvera supponitur recte factum, nec præsumitur velle legislator iterum obligare cum tanto incommodo. Hic tamen alia occurrit ratio: non enim sufficienter satisfactum esse videtur ab ignorante ea mysteria saltem si ignorabantur quoad substantiale illorum³. Et merito: vel quia agitur de valore Sacramenti; vel quia agitur de mysteriis longe maximis. Sed potior ratio est, quia absurdum videtur, quod pœnitens Pœnitentiam recipiendo ubi Salvatoris merita communicantur, non debeat illis explicite credere, et suam fidem exercere.

256. Q. 3. *Quænam sunt dicenda de necessitate præcepti?*

R. Quilibet fidelis, ut vitam instituat christianam, cum ad usum rationis pervenerit, præter ea quæ scire debet neces-

¹ Act. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 5.

² V. Benedictus XIV, *Brevi Etsi minime*, anno 1742. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 2.

³ *Substantiale* mysterii esset juxta aliquos, si quis, v. g., ignorat Deum factum fuisse hominem; *accidentale* vero mysterii, si illud sciret quidem sed nesciret, quod qui homo factus fuit, secunda Trinitatis persona est. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 3.

sitate mediæ, tenetur necessitate præcepti et sub mortali credere explicite ac scire crasso saltem modo et quoad substantiam, nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset: 1. Symbolum Apostolorum: quod exigit vel ipsa professio christiana, quæ in eo compendiose continetur: idque confirmat praxis fidelium et Catechismus Romanus; 2. Orationem Dominicam; hæc enim a Christo præcepta est, continetque omnia a Deo petenda. Addunt Salutationem Angelicam ex usu fidelium, sed sub levi ex communi sententia; 3. præcepta Decalogi et Ecclesiæ: ut enim singula observentur, singula cognoscenda sunt; 4. Sacramenta maxime necessaria, ut sunt Baptisma, Eucharistia et Pœnitentia; reliqua vero cum suscipere velit, ut ea rite suscipiat.

Diximus 1. *crasso saltem modo et quoad substantiam*. Ita S. Carolus¹; non enim omnes tenentur sub mortali prædicta scire memoriter, aut eo ordine et verbis, quibus proponuntur in Catechismo. Sed quoad Symbolum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ ac Sacramenta sufficit, si quis rogatus de singulis recte respondeat. Quoad Orationem Dominicam sufficit, si sciat omnia bona petenda esse a Deo; aiunt enim ex consuetudine, non esse nisi veniale ea memoriter non habere, modo qui interrogatur, sciat in genere respondere; — 2. *nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset*: sic excusantur quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia addiscendi, aut qui nimis sint rudes, ut nullimode possint eadem comprehendere aut memoria retinere: nam impossibilia in re præcepta nulla obligatio; — 3. *cum ad usum rationis pervenerit*; nam tunc incipit obligatio ea addiscendi, cum tunc incipiat obligatio se per ea ad finem ultimum dirigendi².

257. An Confessarius (quæres) teneatur pœnitentem inter-

¹ *Instr. ad Confess.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 5.

² Addenda Officia proprii status, quæ quisque scire debet. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 170 et seqq. Notamus cum D. Thoma (2, 2, q. 2 et 6): Ecclesiastici tenentur ad magis explicitam notitiam rerum quæ ad fidem pertinent, quam laici. Sicut enim superiores Angeli, quia inferiores illuminant habent plenioram notitiam de rebus divinis; ita superiores homines, qui alios debent erudire, tenentur habere plenioram notitiam de credendis. Hoc tamen non de necessitate fidei, sed officii ac status.

rogare de scientia fidei? Ne se gravi peccato commaculet Confessarius Sacramentum exponendo periculo nullitatis, tenetur utique sub gravi pœnitentem interrogare de scientia fidei, si habeat rationale motivum dubitandi, quod sit ignarus: quod quidem colliget ex modo confitendi ipsius pœnitentis, ex conditione, ex statu, v. g., si sit rudis. Quamquam non raro inveniuntur homines in humanis litteris sat expoliti, qui circa Religionem crassa laborant ignorantia; cavendum porro, ne propter damnabilem reverentiam in ea relinquantur! — Qua quidem in re videat Confessarius, an pœnitentis ignorantia respiciat quæ credenda sunt et scientia vel necessitate mediæ, vel necessitate præcepti.

Si 1, pœnitens instrui debet ante absolutionem, uti patet ex damnata illa propositione: *Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia mysteriorum fidei*, etc. Si 2, debet Confessarius interrogare de negligentia in iis addiscendis, quia per eam plurimi peccare solent: si doleant cum proposito discendi, neque alias moniti neglexerint, poterit illico eos absolvere: tunc enim recte præsumitur ipsos velle *operam impense dare, quæ divinæ gratiæ præsidio ea discant*, ut ait Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime*².

Quid (dices) si pœnitens sit in mortis articulo? Si ignorantia in rebus fidei respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate mediæ, debet Confessarius talem pœnitentem docere primo quæ respiciunt vitam futuram; deinceps mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis et Passionis D. N. J. C.; ac sic curare, ut Dei opitulante gratia, in eo excitetur dolor peccatorum cum proposito non peccandi de cetero; cum aliter non sit capax absolutionis. — Si vero ignorantia ista respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate præcepti, non debet impendere tempus in eo instruendo; sed potius ad dolorem excitet,

¹ V. Gousset, *Justification de la Théologie morale de saint Alphonse*, c. ult.

² Celebris ille et doctus Missionarius P. Leonardus industriam edocet modum, quo agendum est cum pœnitentibus civilis conditionis, qui res fidei ignorant, sed contumeliæ habent, se de iis interrogari directè; ait enim decere Confessarium, ut invitet et una simul cum pœnitente christianos actus eliciat. — V. Liguori, *Praxis Conf.*, n. 22.

et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et charitatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum præteritæ negligentiae pœniteat, et promittat discere, si convaluerit.

258. Q. 4. *Quandonam obligat internum fidei præceptum?*

R. Internum fidei præceptum quatenus negativum obligat ad nunquam dissentendum vel dubitandum de revelatis a Deo; secus injuria ipsi irrogaretur gravissima, quasi falli aut fallere possit. — Quatenus positivum obligat aliquando per se, aliquando per accidens:

Obligat per se: 1. pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti mysteria fidei audiunt, et mente apprehendunt sibi ad salutem necessarium esse illa credere; nam adulti ubi primum possunt, tenentur debitum mentis obsequium præstare Deo: ad quod fides requiritur. Unde peccant mortaliter id omittendo, nisi excusentur ob inadvertentiam, aut invincibilem ignorantiam, uti de eorum compluribus solet evenire¹; 2. adultos infideles, quando dictare incipit res fidei nostræ sufficienter iisdem esse propositas, et sectam suam esse falsam. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 4 propositio: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*; 3. obligat non semel in vita, quia *justus ex fide vivit*²; 4. in morte: tunc maxime urget obligatio in finem ultimum nos dirigendi per fidem, ut ultimo vincere possimus: nam *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*³. Hinc current animarum pastores illam in moribundis excitare simul cum spe et charitate.

Obligat per accidens: 1. quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter superari non possit (attamen scrupulosi facilius superant tentationem convertendo mentem ad alia objecta); 2. quando ea urget etiam contra alias virtutes, et superari non potest, nisi per actum fidei; nam quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum; 3. quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. g., spei, charitatis et pœnitentiæ, quæ fidem supponat.

¹ V. Bossuet, *Réflexions sur un écrit de M. Claude*. — ² Gal. iii.

³ I Joann. v.

Quæres : Quoties tenemur in vita elicere actum fidei? Præmittimus propositiones ab Alexandro VII et Innocentio XI proscriptas : 1^a Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium; 2^a fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se; 3^a satis est actum fidei semel in vita elicere; 4^a sufficit ista mysteria (Trinitatis et Incarnationis) semel credidisse¹. Hoc posito :

R. Non satis convenit inter Theologos quoties in vita tenemur ex vi præcepti actum fidei elicere. Aliqui docent ad id nos teneri singulis diebus festis. Alii quoties mysteria in Ecclesia celebrantur. Alii quoties id sufficit ad profitenda mysteria nostræ Religionis. Sat probabiliter Concina, Franzoja, Salmanticenses et Sanchez cum communi tradunt, nos teneri saltem semel in anno. — Quidquid sit, ad tollendas anxietates advertimus huic præcepto fieri satis etiam per exercitium aliarum virtutum, v. g., audiendo Missam, adorando Crucifixum, orando, etc.; quamvis enim hæc non fiant directe ex motivo fidei; ex illo tamen motivo radicaliter oriuntur, et fidem ipsam specialius continent.

Quare qui semel amplexus est fidem et christiane vixerit, Paschali saltem præcepto satisfaciendo, non debet dubitare, quin ipse satisfecerit præcepto fidei et etiam spei, ex sapientissimo Lugo. Ceterum Parochi et Sacerdotes qui in Ecclesiis ruralibus in festis Missam celebrant, meminerint eorum, quæ Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* 1742, sancivit : vult nempe ut post Missam die festo celebratam statim antequam provolati, clara et intelligibili voce, dictos virtutum actus (fidei, spei et charitatis) eliciant, et præire satagant populo verba ab ipsis prolata devote redditaro; hoc enim pacto fideles sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedom festis, sed aliis etiam diebus in pia exercitacione versari (G).

¹ Alexander VII sub. n. 1; Innocentius XI sub nn. 16, 17 et 65.

§ II. — De fidei necessitate ratione actus exterioris, de symbolis fidei et catechismis.

259. Q. 1. An extet præceptum fidem exterius profitendi?

R. Affirmative : Duplex officium, inquit Augustinus, a nobis exigunt fides, cordis et linguæ¹. Hoc est fidem, quam intus in corde tenemus, exterius etiam profiteri lingua debemus juxta illud Apostoli : Corde... creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem²; etenim honor Deo debitus exigit, ut ei adhæreamus spiritu et veritate. — Hoc præceptum quatenus affirmativum præcipit confessionem externam pro certo tempore : quatenus vero negativum prohibet omni tempore negationem fidei, etiam mere externam.

Obligatio autem fidem exterius profitendi aliquando viget jure naturali Divino; aliquando jure Ecclesiastico, et quidem vel generali pro toto orbe catholico, vel particulari pro qualibet particulari Diocesi.

1. Jure naturali Divino viget obligatio fidem exterius profitendi, prout omnes Theologi docent cum D. Thoma, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus, et etiam utilitas proximis impendenda³. Ratio est, quia actus virtutis jure naturali divino tunc est præceptus, quando necessarius est ad præceptum ipsum servandum : atqui ita currit in duplici casu proposito. De primo dicitur : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet; de secundo legitur : Debemus pro fratribus animas ponere⁴. — Dixit autem Angelicus utilitas proximis (non proximo) impendenda, ut intelligamus nos non teneri pro uno aut altero in fide confirmando vitam nostram periculo exponere; nam charitas nos non urget ad impediendum

¹ De fide et symb., c. 1.

² Rom. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, 1. II, n. 5.

³ 2, 2, q. 3, a. 2. — V. Alasia, *De fide*, dissert. 1, c. II, art. 2. — Ferraris, *vº Fidei professio*.

⁴ Luc. ix; et Joann. III. — Hinc Catholicus videns Eucharistiam, vel sacras imagines contemni obsistere debet, si valeat hoc impedire : est de honore Dei. Qui vero aliquid agit unde alii coniciant ipsum negasse fidem, tenetur a facto desistere : est de charitate proximi.

alterius peccatum, vitam nostram profundere; sed tenemur tantum quando periculum est, ne ipsa multitudo a fide desinat, et ipsi nos certo valeamus impedire.

2. *Jure Ecclesiastico* generali præter baptizandos (qui scilicet tenentur vel per se, si adulti; vel per paternos, si infantes), fidem exterius profiteri una cum juramento obedientiæ erga Ecclesiam romanam tenentur (et quidem per seipos, non autem per procuratorem¹): 1. provisi de beneficio Curato, intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, vel ejus Vicario generali aut Officiali; — 2. provisi de Canonatu vel Dignitate in Cathedrali (et hanc professionem emitte-tere debent etiam in Capitulo): addita semper pœna, quod alioquin non faciant fructus suos²; — 3. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi ante litteras propriæ provisionis expeditas. Quæ insuper ab ipsis emittenda est in prima Provinciali Synodo una cum juramento Tridentinum observandi³; — 4. Pius IV Constit. *Injunctum et In sacrosancta* hanc obligationem extendit ad Superiores Religionum etiam militarium. Itemque ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores cujusvis scientiæ liberalis, addita excommunicatione latæ sententiæ et privatione omnium dignitatum, Beneficiorum et officiorum in eos, qui promovent ad tales gradus sine dicta fidei professione, et in Episcopos interdicto ab ingressu Ecclesiæ⁴; — 5. omnes, qui in Synodum Diocesanam convenire debent⁵; — 6. tandem hæretici ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur et hæresim abjurare et expressam fidei professionem emitte, prout passim fit, et ratio suadet atque jus firmat.

3. *Jure Ecclesiastico particulari* seu Diocæsano generatim tenentur: 1. provisi etiam de Beneficio simplici, vel Canonatu, vel Dignitate etiam in Collegiata; 2. novi Confessarii et Concionatores⁶.

¹ Benedictus XIV, *Notificatione* LX. Constat ex declaratione S. C. C.

² Tridentinum, sess. xxv, c. xi, *De R.* — ³ Sess. xxv, c. n, *De R.*

⁴ Verum hoc aliquibus in locis, notant, non observatur.

⁵ Tridentinum. — In Synodo Diocæsana quamvis nulla sit obligatio ut juramentum præstet Episcopus; id tamen in usu est in Diocesi Novariensi. pag. 20.

⁶ Ita Synodus Novariensis, pag. 21.

260. Q. 2. *Quid prohibet præceptum fidei, quatenus negativum?*

R. Tria maxime prohibet præceptum fidei negativum: fidem negare, falsam Religionem profiteri, et falsam Religionem simulare.

1. *Fidem negare.* Est contra Basilidianos, Priscillianistas et Dulcinum, qui dixerunt sæculo II, IV et XIV fidem sine culpa negari posse coram hominibus. Quod adversatur Christi verbis: *Omnis... qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo.* Quare Apostolus: *Si negaverimus, et ille negabit nos*¹. Et Augustinus: *Quanta est vita confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Accedit ratio: vel enim exterior fidei negatio correspondet internæ; vel non. Si correspondet, est infidelitas, quæ suapte natura mala est: si non correspondet, est mendacium in re gravissima et sacra, prout est Religionis negotium.

2. *Falsam Religionem profiteri.* Hoc enim est manifeste veræ fidei valedicere; cum nulla possit esse conventio inter lucem ac tenebras. Hinc graviter peccat contra fidem, qui a quovis interrogatus de sua Religione responderet, se esse turcam vel judæum, aut gentilem; quia hoc ipso negaret se esse Christianum. Neque excusat timor mortis; cum illud non liceat, quod intrinsece malum est.

3. *Falsam Religionem simulare:* cum minime intersit, utrum quis verbo potius an facto mentiat, iccirco eodem præcepto quo prohibemur fidem exterius negare, prohibemur etiam falsam Religionem quæcumque simulare verbis, factis, signis, aut alia qualibet ratione, dicente Christo: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*². Ideo omnis simulatio in rebus Religionis sive ad fidem sive ad mores spectent, semper est detestanda; qui enim ea utitur, facto ostendit se esse falsæ Religionis sectatorem. Hinc merito damnati fuerunt libel-

¹ Matth. x; et II Tim. n. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 12.

² Luc. ix. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 10 et seqq.

lati, qui nempe obtinebant libellos securitatis, ex quibus eos idolis sacrificasse constabat, quod tamen verum non erat¹. Hinc Benedictus XIV Constitutione *Ex quo singulari* anno 1742 declaravit non licere Sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem.

Diximus *omnis simulatio*; est enim commune, fas esse aliquando tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis ac indifferentibus ob justam causam, etsi nulla adsit necessitas confitendi; cum nulla tunc interveniat deceptio, sed sola adsit deceptionis permissio.

261. An (quæres) liceat fidem occultare? Non licet fidem occultare, quoties urget præceptum illam exterius confitendi; tunc occultare fidem idem esset ac illam negare. Si vero hoc præceptum non urgeat, fidem occultare aliquando erit non tantum permissum, sed conveniens ac necessarium, ne scilicet vel fidem vel nos ipsos gravi periculo exponamus aliter agendo: sic Sacerdos ex rationabili causa iter agens inter hæreticos vel infideles ad occultandum suum statum et fidem uti potest vestibus sæcularibus. Ceterum curandum ne occultando fidem videamur ipsam aperte negare, ut esset si iis utamur signis quæ ex usu, hominum institutione, aut ex sui natura fidei negationem indicent (H).

262. Q. 3. An liceat tempore persecutionis fugam arripere?

R. Licet tempore persecutionis fugam arripere, nisi aliud honor Dei populique necessitas ob peculiare circumstantias expostulet; est contra Tertullianum et Montanistas id absolute negantes. Clare id tradidit Christus inquit: *Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam*². Et sane qui fugit, ideo fugit, ne fidei negandæ periculo se exponat; hinc D. Bernardus³: *Fugere persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis*. Confirmatur exemplo Sanctorum, præsertim Athanasii, Cypriani, etc., et ipsiusmet Christi, qui

¹ V. *Storia della Chiesa dalla sua fondazione fino al pontificato di Gregorio XVI*, Torino, Marietti, pag. 81. — Salzano, *Storia Ecclesiastica*, l. V. — Rohrbacher, *Hist. de l'Église*.

² Matth. x. — ³ Ep. 1.

abscondit se a Judæis cum lapidare volentibus¹. Imo aliquando fugiendi obligatio est, si nempe bono publico expediat: quod Augustinus probat exemplo Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem *se fuga eripuit a præposito Damasci*².

Verum hoc ordinarie non convenit Episcopis et Rectoribus: imo grave esset piaculum, cum magnis Ecclesia tempestatibus agitur, eos se timidos exhibere et pusillanimes. Quid de navis gubernatore, qui illam deserit fluctibus jactam? en casus illius pastoris, qui persecutionis tempore suam Ecclesiam deserit, ut aiebat Nicolaus V a quodam Episcopo consultus. Hac in re en regula generalis, quæ eruitur ex D. Thoma: in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis; obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem, et ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel propter suæ tantummodo personæ periculum corporaliter gregem deserere³ (I).

263. An liceat Pontifici Maximo tempore persecutionis fugam arripere, etiam relicta Roma? Quod neque majoribus nostris, neque clarioribus nostrorum temporum Theologis et Canonistis hactenus in mentem venit, neotericus quidam italus presbyter (Ernestus Filalete vocari voluit) ætate recentiori impudentissime ausus est negare, Romano Pontifici tempore persecutionis, etiam Roma ipsa sive nondum, sive jam capta ab inimicis, fugam arripere et alio se transferre fas esse⁴. Quid consilii secum animo gereret, quo intenderet auctor cum in tantam devenit absurditatem, nos præterit: ipse viderit. Quatuor hæc

¹ Joan. viii.

² Tract. XLVI in Joann. — It. ejus *Epist. ad Honor.* cxxx. ubi fase.

³ Lect. in x Joann. — V. Muzzarelli, *Dell'obbligo dei pastori in tempo di persecuzione*. Torino, 1862; it. *Il buon uso della logica*, opusc. xxxvii. — *De obligationibus*, t. I, n. 492.

⁴ Ernesto Filalete. Sull'obbligo del vescovo romano e pontefice Massimo di risiedere in Roma, ecc. Firenze, Lemonnier 1861.

nos certissime scimus et tutissime propugnamus : 1. Christum Dominum non exceperisse suum in terris vicarium quando dixit apostolis : *Cum persequantur vos in civitate ista, fugite in aliam* ; 2. neminem sanæ mentis hominem negare posse Romano Pontifici jus illud, quo ob Ecclesie bonum usus est apostolus Paulus cum *se fuga eripuit à Præposito Damasci* ; 3. sæviente in Sedem apostolicam impiorum persecutione, ad Romanum ipsum Pontificem, non ad Ernestum Filaletem neque ad inconsultos ejusdem asseclas spectare judicium circa id, quod Ecclesie universalis regimen et utilitas a suo Capite exigat, moram, an potius fugam ; 4. denique plenam esse exemplorum historiam Pontificum Romanorum qui tempore persecutionis e manibus inimicorum evaserunt, Roma ipsa relicta ; et illorum complures inter Sanctos totus veneratur Orbis Catholicus. Quis porro erit Filaletes in mundo, qui eo audaciæ procedat, ut ipsos accuset quasi officio suo defuerint atque peccaverint ?

264. Q. 4. *Quid est symbolum ?*

R. Symbolum vox græca est, quæ latine significat vel rerum plurium collationem in commune, vel signum aut tesseram militarem, quæ veri milites ab aliis secernuntur. Apud Christianos hoc nomen sumitur pro regula fidei, sive pro *brevi confessione fidei catholicæ, præcipuos hujus articulos continenti*. Hoc inductum est : 1. ut uniformis ubique sit fidelium institutio ; 2. ut facilius memoriæ commendetur ; 3. ut facilius veri fideles discriminentur ab infidelibus. Symbola illustriora sunt : Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum : *Quæ, ad rem ait Angelicus, in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia*¹.

a. *Symbolum Apostolicum* recitatur a fidelibus in precibus quotidianis et in Officio divino : in duodecim veluti capita dividitur, quæ dicuntur *articuli*. Fatentur ipsi hæretici jure dici *Apostolicum*, quia continet doctrinam traditam ab Apostolis ; negant tamen multi ex Protestantibus (imo quidam ex ipsis Catholicis) illud esse genuinum Apostolorum opus. Sed falso ; ejus enim auctores fuisse Apostolos, nonnullis articulis exceptis, probat 1. usus ejusdem in Ecclesia vetustissimus, quem nullus ante Erasmus et Calvinum negavit. At teste D. Augustino, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* ; 2. id docuerunt expresse traditionis Ecclesiasticæ testes locupletissimi, Ruffinus², S. Ambrosius³, S. Hieronymus⁴, Leo M.⁵, Casianus⁶, et alii ferme innumeri. Imo S. Leo aliique censent, singulos

² 2, q. 1, a. 1. — ³ In Expos. symb. — ⁵ Sermo ult., *De jejun.*

⁴ Epist. ad Pammach. — ⁶ Epist. ad Pulcher. — ⁶ l. VI, *De Incarnat.*

Apostolos articulum edidisse suum. Diximus *nonnullis articulis exceptis* ; quia non est negandum symbolo additas fuisse aliquas voces ad exortas hæreses melius profligandas. Communiter voces addite censentur : *Creatorem cæli et terræ : passus, mortuus, descendit ad inferos ; omnipotentem ; catholicam ; Sanctorum communionem* : tandem illud *vitam æternam*¹.

b. *Symbolum Nicænum* conditum est in I generali Concilio Nicææ in Bythinia (circa annum 325) celebrato contra perfidum hæresiarcham Arium, qui blasphemabat Dei Verbum non esse Deum, sed meram creaturam ex nihilo, licet ante ceteras creatum. Unde declaratum fuit Christum esse Patri *consubstantialem*.

c. *Constantinopolitanum* conditum est in Concilio Constantinopolitano I, quod est generale II celebratum (anno 381) tum contra hæreticos Eunomianos contententes Spiritum sanctum non procedere a Patre, contra quos definita est processio Spiritus sancti a Patre ; tum contra Macedonianos negantes Spiritus ejusdem divinitatem, contra quos posita sunt hæc alia vocabula : *Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*. Non differt a Nicæno, nisi a distinctiori aliquot articulorum explicatione. — Huic autem symbolo nonnulla addidit explicando Concilium Chalcedonense generale IV anno 451. Tandem appposito verbo *Filioque* (a pluribus primum particularibus Conciliis, quod confirmarunt Concilia œcumenica Leonense II anno 1274, et Florentinum anno 1459), illud est, quod hodie in Missa Ecclesia latina recitat².

d. *Symbolum Athanasianum* sic dicitur, quia summam fidei continet, cujus S. Athanasius sæculo Ecclesie IV præcipue fuit assertor et vindex invictissimus. Non est tamen certum penes eruditos, ab ipso fuisse confectum : ita censet Baronius. Sed communiter negatur, tum

¹ V. Chr. Lupus, in *Symodo Nicæna*. — Kuoll, *Instit. Theolog.*, vol. I, *Introduct.*

² Etsi autem Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen hoc teneantur in symbolo pronuntiare. At pronuntiant dum ubi id viget ; imo si commorentur in Italia, Insulisque adjacentibus, si ab Ordinariis locorum vel ob scandalum, vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam *Filioque* in Symbolo teneantur pronuntiare. Ita Benedictus XIV, Bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Apostolus, Symbolum. — Si quæras ad quemnam pertineat editio symboli catholici, hinc his verbis respondet Præceptor Angelicus : *Ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinandi ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur : hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis* (2, 2, q. 1, a. 10).

quia in eo confutatur Nestoriana, atque Eutychiana hæresis nondum suo tempore exortæ; tum quia in eo non legitur verbum *consubstantialem*, cum tamen esset eo tempore unica fidei nostræ tessera. Alii illud tribuunt S. Ambrosio; alii S. Hilario; alii S. Eusebio Vercellensi; alii Vigilio Tappensi; censent alii opus esse Vincentii Lirinensis. Ceterum non est dubium quod certa fidei nostræ sit regula; cum illud jubeat recitari Ecclesia sancta.

Gravissima fidei puncta, v. g., Eucharistia, Sacrificium, etc., in Symbolis non fuerunt expressa; et merito id factum credimus respectu infidelium et catechumenorum, tum ob eorum infirmitatem; tum propter abusum qui merito tunc timebatur; tum etiam ex Augustino, *ut tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur*. Hac etiam ratione in illo Religionis initio plura tacebantur mysteria, ac non nisi sensim sine sensu tradebantur. Quæ quidem prudentissima *silentii* disciplina nostris hisce temporibus videtur, ab Ecclesiasticis præsertim in familiaribus cum vulgo colloquiis adhibenda, ne sacra divinaque profanorum stultitiæ et impietati quandoque exponantur contemnenda. Neque dicant nos lucem timere; veritas lucem non timet; sed timeamus ne adulatorum cibo gravetur ad mortem parvulus. Hanc œconomiam nos docuit Christus cum discipulis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*¹.

265. Q. 5. *Quid de catechismis dicendum occurrit?*

R. Catechismi nomine solent indicari accurata christianæ doctrinæ compendia: principem tenet locum Catechismus Romanus jussu Pii V editus ad mentem Concilii Tridentini, pro Parochis præsertim, ut sapientem haberent normam in populo edocendo. Unaqueque etiam Diœcesis suos habet catechismos, et iis omnino uti debent qui doctrinam docent: hoc merito omnes pro sua Diœcesi præcipiunt Episcopi; expositionis enim diversitas perturbaret fideles ac confusionem pareret⁵.

Quanti autem faciendum sit catechistæ munus, patet; nam per illud populi vera enutriuntur Religione: hinc Paulus V (6 oct. 1607) et Clemens XII (26 junii 1735) plures Indulgentias hoc nobile ac sanctissimum Opus exercenti concessere. Antiquitus hoc munus exercebant summi Viri Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Origenes; ac dein Gerson, Bellarminus, Gerdil, etc.

¹ Joan. 1. — V. *Storia della Chiesa dalla sua fondazione al Pontificato di Gregorio XVI*. Torino, Marietti, 1840, pag. 49, 127 et 150. — Salzano, *Corso di storia Ecclesiastica*, l. IV, § 9: *Disciplina dell' arcano*. — Ferraris, vº *Arcani disciplina*.

² V. Martinet, *La Philosophie du Catéchisme catholique*.

⁵ V. *Synod. Nov. de doctr. christ.*

CAPUT QUARTUM

DE PRÆCIPUIS VITIIS ET PECCATIS FIDEI
OPPOSITISArt. I. — De infidelitate et fidelium communicatione
cum infidelibus.266. Q. 1. *Quid de infidelitate?*

R. Infidelitas est *carentia fidei*: triplex distinguitur. Aliquando enim accipitur secundum puram negationem, ita ut quis dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem, et dicitur *infidelitas pure negativa*: talis est in illo, cui fides vel nullo unquam modo, vel non satis fuit annuntiata. Aliquando accipitur secundum negligentiam, vel ignorantiam, vel errorem culpabilem circa res fidei, et dicitur *infidelitas privata*. Aliquando accipitur secundum contrarietatem ad eandem fidem, quia aliquis repugnat auditui fidei aut ipsam contemnit, et dicitur *infidelitas positiva*, vel etiam *infidelitas contraria*.

a. Infidelitas pure negativa non est peccatum, sed tantum pœna peccati; nam Christus Dominus ait: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent*¹. Atqui Christus infidelibus negativis non est locutus neque per se, neque per suos ministros; ergo peccatum non habent. Merito hinc damnata fuit illa Bani propositio: *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Non ergo hac de causa damnabuntur ad inferos, nisi etiam sint idololatri vel alio actuali et gravi peccato maculati moriantur. Isti, apud quos evangelium necdum penetravit, in eo statu versantur in quo versabantur gentes ante Christi adventum, quibus Deus non deerit, si juxta rectæ rationis dictamen vitam ducant. Etenim Christus Dominus est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et non est qui se abscondat a calore ejus*²; ideo etiam infidelibus pure

¹ Joan. xv.

² Joan. 1; Psal. xviii.

negativis gratia tribuitur ex meritis Christi, gratia *medicinalis* videlicet, quæ ordinatur ad sanandam nativam illorum infirmitatem, quæque vires suppetit necessarias ad legem naturalem servandam. Cujus ductum qui sequitur *in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum* (ex Angelico) quod *ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*¹.

b. Infidelitas autem privativa peccatum est; qui vero non *crediderit, condemnabitur*². Est enim neglectus gratiæ et omissio rei necessariæ ac possibilis, sine qua non est salus.

c. Infidelitas tandem positiva est item peccatum, et gravius infidelitate privativa; quia continet gravem injuriam, atque contemptum Divinæ bonitatis, veritatis et auctoritatis.

267. *Quot sunt (quæres) species infidelitatis?* R. Ad infidelitatem tanquam species ad genus suum revocantur generatim paganismus et judaismus. *Paganismus* est infidelitas illius, qui neque in re neque in figura fidem suscepit. Huc reducuntur: 1. *polytheismus*, qui plures Deos; 2. *atheismus*, qui nullum Deum; 3. *deismus*, qui unum Deum tenet, sed omnem revelationem rejicit (et dicitur etiam *naturalismus*, cum Deo cultum tribuere prætexat, quem sola natura suggerit); 4. *mahumetismus* sic dictus ab arabo Mahumede illius auctore, qui licet unum Deum creatorem fateatur, plurima tamen rectæ rationi contraria ac honesto homine indigna tradit in putido suo Alcorano. — *Judaismus* autem est infidelitas illius, qui fidem suscepit in figura, sed non in re³.

¹ Quæst. xiv, *De Verit.* a. 11 ad 1. — V. Perrone, *De gratiæ distributione*; et *De baptismo*. — Collius, *De animalis paganorum*. Mediolani, 1758. — Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni*, ecc. Torino, ediz. 3, c. u.

² *Marc.*, c. ult. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 47.

³ Huc revocari etiam potest monstruosus *pantheismus* (a græco *pan* omne, et *theos* Deus). Rerum universitatem ab eodem nonnulli *pantheistæ*: totus mundus Deus est, totus nonnulli Deus; et quæ contingunt in eo mutationes, sunt modificationes illius divinæ substantiæ. Nihil absurdius, nihil magis oppositum evidentissimis notioniibus, quas quisque habet de spiritu ac materia; attamen putidum Spinozæ systema ab inferis hodie revocarunt in Germania primum Fichte, Schelling, Salvador, Hegel; in Gallia, Cousin, Leroux et Sansimoniani. — V. P. Perrone, *Præl. Theol.*, *De Deo*, p. II. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., ad *append.*, vº *Panthéisme*. — Roselly, *Della morte*

Hic certe non datur parvitas materiæ; cum hæc omnia semper includant verum atque formalem Dei contemptum.

268. Q. 2. *An infideles compelli possint ad fidem suscipiendam?*

R. Ecclesia habet jus prædicandi Evangelium ubique per ea verba: *Euntes docete omnes gentes; prædicate Evangelium omni creaturæ*: et infideles tenentur et prædicationem audire et fidem suscipere; nam qui *non audierit exterminabitur*, et qui *non crediderit condemnabitur*¹. Attamen Ecclesia vi compellere non potest infideles ad fidem suscipiendam; tum quia illa nullam habet directam potestatem in non baptizatos²; tum quia fidei susceptio debet esse voluntaria, ut vera sit. Confirmatur ex jure Canonico, ex Tridentino³, et praxi ipsius Ecclesiæ, quæ nunquam coactione usa est, sed suasionem tantum: quo sensu explicant illud: *Compelle intrare*⁴.

Diximus *ad fidem suscipiendam*; docent enim Ecclesiam posse compellere infideles sibi in temporalibus subjectos ad audiendam fidem cum adhuc electio libera ipsis relinquatur⁵; item eis vetare idololatriam, cum hæc legi naturali repugnet. Sic, Ecclesia plaudente, Constantinus et Theodosius illam proscripserunt. Hoc tamen intelligitur de subditis in temporalibus, quia in eos jurisdictionem Ecclesia habet, atque ideo potest illis jubere quæ sunt recti ordinis, si adhuc libertas ad fidem relinquatur. At in eos qui nec temporaliter sibi sunt subjecti, nullum jus dicere potest, ut vi compellat ad audiendam fidem, etsi possit eos compellere vi, ne fidei prædicationem vel ipsam fidem impediant. Audiatur Angelicus: *Dicendum quod infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et judæi; et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis*

anteriore all'uomo. Discorso preliminare. — Maret, *Essai sur le Panthéisme*. — Lacordaire, *Conférences, Confé.* xix. — Liberatore, *Elementi di filosofia*: tit. Ontologia. — Ferraris, vº *Polytheismus*.

¹ I Cor. v. — ² Actor. ii; Marci ult.

³ Cap. Majores I, *De bapt.* et *De judæis*, diss. xlv. Tridentinum, sess. xiv, c. ii.

⁴ Luc. xiv. — V. Pignatelli, *Consultationes*, etc., lib. IX, cons. lxxviii.

⁵ V. Bulla Nicolai III, *Vineam*; et Bulla Gregorii XIII. *Sancta mater Ecclesia*.

est. Sunt tamen compellendi a fidelibus si adsit facultas, ut fidem non impediunt, vel blasphemis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus: et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne Christi fidem impediunt. Alii vero sunt infideles qui quandoque fidem susceperunt et eam profitentur, sicut hæretici et quicumque apostatae; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt¹. Nihil sane clarius.

Habes hic plura contra serpentes errores: 1. Ecclesiam Christi jus habere fidem prædicandi ubique; 2. hoc suum jus etiam vi tueri posse contra eos qui illud impedire nituntur, quicumque tandem sint, pagani vel non; 3. etsi non possit compellere infideles ad fidem suscipiendam; posse tamen etiam externa coactione compellere qui semel fidem susceperunt, ut eam teneant. Quod si aliquando prælatus hac potestate, nimio vel intempestivo zelo, abusus est, id vitium hominis fuit, non vero rei. Item neque mirum si nonnulli patres externam coactionem Ecclesie sancte negare videantur; id non absolute intendebant, sed volebant corrigere excessus, vel eos redarguere, qui non baptizatos et invitos ad fidem minis et poenis compellebant.

269. Q. 5. An liceat fidelibus communicare cum infidelibus?

R. Duplex communicatio: civilis et religiosa. Prima consistit in rebus ad commercium civile et politicam societatem pertinentibus: altera in rebus spectantibus ad Religionem. Communicatio civilis per se non est vetita; inquit enim Apostolus: Si quis vocat vos infidelium et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate². Diximus per se, nam per accidens erit prohibita, si sit nimis familiaris et periculosa. — At communicatio religiosa prohibetur jure tum naturali, tum

¹ 2, 2, q. 10, n. 8. — V. *Civiltà Cattolica*, ser. II, vol. VI: *La guerra d'Oriente*, serie IV, t. VI: *Le armi spirituali a difesa del temporale*; item: *Le armi temporali a difesa dello spirituale*. Item, t. I, n. 353, ubi plurima.

² I Cor. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 18.

divino; est enim quædam exterior professio et approbatio falsæ Religionis. Unde idem Apostolus: Quæ pars fidei cum infideli¹?

Speciatim vero de fidelium communicatione cum judæis, tum ad tuendam christianæ Religionis dignitatem, tum ad vitanda perversionis pericula, statutum est ab Ecclesia²: 1. ne Christiani cum judæis habitent; 2. ne eorum conviviis intersint, aut communi balneo utantur; 3. ne iisdem famulentur, aut eosdem medicos adhibeant; 4. ne eorum azymis vescantur; 5. ne mulieres christianæ lactent judæorum infantes tam eorum domi, quam domi propriæ³. Attamen, excluso quocumque scandalo et perversionis periculo ac peculiari prohibitione, probabiliter non est lethale, si quis vel eorum adeat Synagogas, vel nuptiis intersit, vel ludat cum ipsis. Imo neque ulla est culpa, si id fiat ob rationabilem aliquam causam, vel consuetudine interveniente⁴; quæ hodie ferme ubique obtinet.

Art. II. — De hæresi et apostasia.

270. Q. 1. Quid est hæresis⁵?

R. Hæresis græca vox est ab eligendo dicta; et definitur: Error intellectus et pertinax contra aliquod fidei dogma in eo, qui fidem suscepit. Unde ad hæresim proprie dictam hæc requiruntur.

1. Ex parte intellectus error; quia sicut fides est actus intellectus veritati revelatæ adhærentis, ita hæresis debet esse actus intellectus veritatem revelatam rejicientis. Quare non

¹ II Cor. vi.

² C. Nullus; c. Omnis; c. Judæi. — V. Benedictus XIV, Encyclica *A quo primum*, anno 1751.

³ Pius IV, Const. *Cum enim*. — S. C. C. 15 martii 1612. — Cap. v et viii, tit. *De Judæis et Saraceni*. It. RR. Pedemontanæ Const., l. I, t. VIII, c. xii. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Hebræus.

⁴ V. Pinamonti, *La Sinagoga desingannata*. — Lombroso, *Degli ostacoli che le consuetudini oppongono alla evangelica rigenerazione degli Ebrei, e come superarli*. — De Rossi, *Della vana aspettazione degli Ebrei del loro re Messia*. — Demée, *La missione del Cristo considerata ne suoi principali titoli, e presentata all'estimazione della coscienza e del buon senso*. — Drach, *Lettere agli Israeliti*.

⁵ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 19. De hæreseos nominibus, causis et progressu, vid. Klée, *Hist. des dogmes*. — Ferraris, v^o Hæresis, Hæreticus. — *Civiltà Catt.*, ser. I, t. V: *Teodosio il Grande*.

erit hæreticus qui exterius tantum fidem negat, aut colit idolum sine iudicio interno fidei contrarius; quia non errat errore intellectus, etsi graviter peccet contra fidem, et externe præsumatur hæreticus.

2. Ex parte voluntatis *pertinacia*. Pertinaciter autem errare non est acriter errorem suum tueri, sed est eum retinere etiam postquam contrarium est sufficienter propositum, sive quando jam scitur contrarium teneri a Christi Ecclesia; tunc enim errans existimat iudicium Ecclesiæ non esse sufficiens credendi argumentum, in quo sita est vera animi pertinacia. Hinc nemo hæreticus, quamdiu paratus sit saltem habitualiter iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nesciat contrarium teneri ab ipsa, tametsi sententiam suam mordicus teneat ex ignorantia crassa et culpabili. Hinc illud Augustini: *Errare potero, hæreticus non ero*, defectu scilicet pertinaciæ.

3. Ex parte objecti *veritas clare ab Ecclesia proposita, uti revelata*: unde qui negaret veritatem non clare uti revelatam ab Ecclesiæ magisterio propositam, non esset strictè hæreticus.

4. Ex parte subjecti *Christianismi emissa professio*, seu fidei in Christum per Baptismum. Quare catechumeni si veritatem catholicam negarent, essent infideles: non autem hæretici, nisi lato sensu, nempe in foro Dei, non autem in foro Ecclesiæ.

5. Item requiritur, ut nec *omnia dogmata*, nec fidem quis universe rejiciat; alioquin esset apostata, non vero hæreticus.

271. Hæresis dividitur: 1. in materialem et formalem. *Formalis* est error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam. *Materialis* est, qua quis aliquid credit fidei contrarium, sed tale esse omnino ignorat¹; 2. in *mere internam*; in *mere externam*; et in *internam et externam simul*. Prima ita latet in mente, ut nullo signo externo manifestetur; secunda tota exterius est, et per eam aliquis ore vel facto negat fidem, quam corde adhuc retinet; tertia et est in mente et exterius manifestatur. Hæresis externa vel est *occulta*, quæ

¹ V. Civ. Catt., ser. I, vol. V: Degli Eretici materiali.

nemini aut paucis innotescit: vel *manifesta*, quæ patet compluribus. Verum hæresis sive materialis sive tantum externa non est hæresis proprie dicta; nam prima caret pertinacia, secunda errore intellectus.

272. *An (quæres) dubius in fide sit hæreticus?* R. Vel quis dubitat positive de aliquo fidei dogmate ab Ecclesia jam definito, iudicans nempe illud esse incertum ob rationes oppositas. Vel dubitat tantum negative, suspendens nempe iudicium, et mentem suam ad alienam cogitationem divertens. — Si 1, hæreticus est, uti legitur in iure Canonico: *Dubius in fide infidelis est*, id est *hæreticus*¹. Iste enim mente sua non dubium, sed certum elicit iudicium fidei contrarium et vere pertinax; cum iudicet incertum quod certum est: unde pœnas etiam incurreret, si dubium suum exterius panderit. Si 2, erit pariter hæreticus, casu quo iudicium suspendat quidem circa illud dogma, sed jam teneat motiva fidei contraria incertam facere veritatem Catholicam; semper enim iudicat fidem nostram esse infirmam. Secus non erit; cum in hoc casu nullum iudicium fidei Catholicæ injuriosum eliciat. Ita Cuniliati, Sylvius, aliique².

273. Q. 2. *Quale peccatum hæresis, et qui legitimus ejus iudex?*

R. ad 1: Hæresis unum est ex gravissimis peccatis; cum expellat fidem, quæ est fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. Imo est maximum peccatum in specie infidelitatis, quia est positivus, et maxime voluntarius contemptus auctoritatis divinæ: et sic est immediate ac directè contra Deum. Hinc Paulus: *Hæreticum hominem... de vita, sciens, quia subversus est, quia ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*³. Et Joannes: *Nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*⁴. — Qui

¹ In dubiis circa fidem videndum, num hæsitatio sit in voluntate, an in imaginatione tantum; an fundata, vel vaga. Si 1, solvenda est difficultas; si 2, spernendum est dubium. Hoc maxime agendum cum scrupulosis: qui si vincere velint, non debent disserere cum tentatione, sed mentem alio divertere, aliosque elicere actus, contritionis, spei, charitatis, etc. — V. Liguori, *Praxis Confessarii*, n. 255.

² C. 1, *De hæret.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 502.

³ Ad tit. III. — ⁴ Ep. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 50.

lapsus est in hæresim, in veriori sententia, non tenetur explicare qualis ea sit, sicuti neque quot fidei articulos denegaverit; nam objectum fidei formale unicum est, nempe veritas Dei revelantis. Ideo qui plures fidei articulos negat, est infidelis non secus ac ille, qui negat unum tantummodo.

R. Ad 2: Cum hæresis sit crimen contra Religionem, iudex legitimus in eo esse non potest, nisi Ecclesia: et jure definitum est¹. Sunt nempe: — 1. Pontifex pro toto orbe, et S. Congregatio Cardinalium generalium Inquisitorum ideo instituta; — 2. Episcopus pro sua Diocesi, cui demandatum est gregem suum a venenatis pascuis avertere: imo ei facta est delegatio a Pontifice etiam contra Regulares exemptos, si opus sit. Ut tamen de hæresi cognoscat, Episcopi Vicarius, commissionem ab eo accipere debet²; — 3. Vicarius capitularis, Sede vacante: huic tamen probabiliter negant auctoritatem procedendi contra exemptos sine speciali apostolicæ Sedis delegatione; quia ipse non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ sunt de jure ordinario: non autem in potestatem jurisdictionis delegatam, uti est præsertim quæ a Tridentino tribuitur Episcopis, *tamquam Sedis Apostolicæ delegatis*.

274. Q. 5. An hæretici denunciandi sint?

R. Quælibet persona cujuslibet dignitatis et gradus, si sciat aliquem esse hæreticum, tenetur illum denunciare Episcopo vel Inquisitori ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III (anno 1580). Quod quidem, ait Devoti, consentaneum est Apostoli præcepto, et legibus, cum quibus omnis bene constituta Respublica administratur³: nam Apostoli præceptum est, ut observemus eos, qui dissensiones et offendicula... faciunt, et... seducunt corda innocentium⁴. Leges autem cujusque Reipublicæ bene constitutæ sunt, ut omnis civis magistratui significet, si quis studeat rebus noxiis, si turbas excitet, si ruinam intentet. At quod licet civili Reipublicæ contra suos prodito-

¹ Cap. xviii, *De hæres.*, in 6. — ² C. xii, *De hæres.*, in 6.

³ Par. IV, t. VIII, § 41, *Instit. Canon.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 122; et l. IV, n. 149.

⁴ Rom. xvii. — V. Giraldu, *Expositio juris Pontif.* — L. Ferraris, v^o *Denuntiatio, Inquisitores.* — *Istruzione pei novelli Confessori*, p. II, c. xiv. — *Civ. Catt.*, ser. I, vol. IX: Il denunciatore e la spia.

res, non licebit Reipublicæ ecclesiasticæ contra hæreticos omnes, qui illam in extremum pene discrimen adducunt?

Ex citata autem Constitutione denunciatio fieri deberet sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ: verum ex Decretis S. R. Inquisitionis tum 5 jan. 1625, tum 10 martii 1677 in non denuntiantes excommunicatio est latæ sententiæ ac reservata; a qua tamen post factam denuntiationem quilibet Confessarius absolvere potest eos, qui ipsam neglexerint, ut posterioribus edictis definitum est¹.

Hæc denunciandi obligatio urget: 1. intra dies triginta ab habita hæretici cognitione, ex decreto sacre Inquisitionis 1677; — 2. ante ipsam correctionem fraternam, cum agatur de bono publico: et etiamsi hæresis probari non possit, quia damnata est ab Alexandro VII propositio: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis*; — 3. etiam cum hæresis crimen sciatur sub secreto naturali, vel sub juramento ejusdem non manifestandi. Etenim conservatio secreti naturalis est bonum privatum; hæresis vero manifestatio est in bonum publicum. Nec obstat juramentum, si enim obligaret, esset contra bonos mores: cum hæresis sit pestis, quæ serpit ut cancer, et semper vergat in damnum commune spirituale; — 4. etsi hæreticus sit mortuus vel emendatus; quia forte alios hæresi sua corruptit, vel ab aliis ipse corruptus fuit; — 5. etiamsi hæreticus jam sit ab aliis denunciatus, quia ex pluribus testibus facilius convincitur reus; — 6. etiam cum quis sit tantum de hæresi suspectus, aut credens, aut fautor, aut receptor hæreticorum².

275. Sed (dices) quinam de hæresi suspecti habendi sunt?

R. Plurima olim crimina hæreseos ingerebant suspicionem, ut constat ex Constitutionibus Urbani VIII, Clementis VIII, Gregorii XIII et XIV, et Benedicti XIV, et ex Decreto S. Inquisitionis³. Attamen vel ob contrariam consuetudinem, vel quia censetur hodiernis moribus ferme impossibile, ut semper

¹ Hæc decreta contendunt Lupus et Bonacina valere tantum pro Hispania; sed hodie etiam pro aliis regionibus citant passim auctores. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 254.

² C. viii, *De hæres.*, in 6. — ³ V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o *Hæresis*.

denuntiatio utiliter fiat; ideo nunc commune evasit sequentes tantum uti de hæresi suspectos denuntiandos: 1. Confessarios ad turpia sollicitantes: vel sigillum frangentes, si tamen (ex communiore ac probabili sententia, per errorem doctrinaliter teneant illud non obligare, vel non ita rigorose). Salmanticenses extendunt etiam ad Sacerdotes pluries in die, vel non jejunos celebrantes; 2. voto solenni obstrictos, si matrimonium contrahant; 3. reos polygamiae simultaneae; 4. sæculares Missam celebrantes vel Confessiones audientes; 5. supersticiosos, si superstitio sit cum conscientia peccati, ac veram de hæresi suspicionem fundet, ut evenit si in ea misceantur res sacræ, vel ex superstitione effectus eveniat; aut si quis alios ex professo de superstitione instrueret. Item si intercedat pactum expressum cum dæmone, vel si dæmon adoretur: quando vero sola intervenit expressa dæmonis invocatio, disputant de obligatione denuntiandi; 6. blasphemos hæreticales; 7. hæreticorum denuntiationem dissuadentes, nisi fiat ex amicitia: item hæreticos denuntiare negligentes, si teneantur ex officio denuntiare; 8. sectis clandestinis nomen dantes¹.

Attamen generatim loquendo obligatio denuntiandi formaliter hæreticos, vel de hæresi suspectos non urget, et ideo omittitur sine peccato: 1. Si agatur de denuntiando seipso; quia nemo tenetur propriam prodere turpitudinem: ideo et quando agitur de denuntiando complice, si id fieri nequit, quin denuntians se manifestet; — 2. quando denuntiatio fieri nequit sine gravi incommodo, uti definiit S. Congregatio 22 jan. 1727. Hinc aiunt neque fratrem sorores, neque patrem filium teneri denuntiare; quia id natura refugit, et esset

¹ Synodus Novariensis vult etiam, ut tanquam de hæresi suspecti denuntientur Episcopo vel ejus Vicario: — 1. qui Ecclesia potestatem, ritus, leges et præcepta aspernantur; — 2. qui Sacramenta et eorum usum, orationes, indulgentias et suffragia mortuorum irrident et calumniantur; — 3. qui blasphemias in Deum, in Beatam Virginem, atque in Sanctos ex habitu et peccato animo eructant; — 4. qui ut alios ad turpia et inhonesta pertrahant, dicunt impudicitiam vel non esse malum vel prorsus leve; — 5. qui fidei et morum rudimenta, ætate adulta, discere negligunt; ac moribus tam dissolutis vivunt ut fidem exterius interiusque amisisse videantur, pag. 24. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 251.

in proprium dedecus: hoc tamen intelligendum, si abest periculum damni communis, quod semper prævalet nostro bono privato. Hinc S. Alphonsus distinguit inter hæreticos formales et solum suspectos de hæresi: illos docet denuntiandos esse semper, et a quolibet etiam consanguineo ob rationem boni communis (quod etiam dicendum est de *carbonariis* ex declaratione S. Pœnitentiariæ¹); istos vero generatim consentit non esse denuntiandos cum gravi incommodo; quia generatim supponitur in hac facti specie abesse communitatis damnum. Igitur eo in casu satis probabiliter non solum filii, non solum conjuges a denuntiatione excusantur, sed etiam sanguine conjuncti usque ad quartum gradum inclusive; denuntiare enim conjunctum idem est ac grave damnum seu incommodum subire²; — 3. quando nulla omnino est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur: uti esset in iis locis, ubi hæretici Catholicis permixti sunt, vel ubi tanta est male sentientium de Religione multitudo, ita ut eos superior nullimode punire nequeat, prout ipse docet clarissimus Alasia.

Diximus generatim loquendo; nam si ageretur de hæresiarchis, aut hæreticis dogmatizantibus omnes ad denuntiationem tenerentur, quia hæresis est pestis tam noxia, ut difficillime habeat remedium, si radices in societate semel conjecerit. Etsi autem alicubi (ob temporum iniquitatem) non possit Episcopus directe forsitan ac subito providere; poterit saltem indirecte alios cautiore reddendo, bonos libros pravis opponendo, instando opportune, importune, etc.: unde tuti non sunt in conscientia, qui tales delinquentes ideo superiori non deferunt, quia in eorum sententia malo efficaciter statim providere non potest.

276. Q. 4. Quænam sunt poenæ in hæreticos constitutæ?

R. Poenæ latæ ab Ecclesiastica auctoritate sequentes enumerantur ex variis juris Canonici capitibus: 1. excommunicatio latæ sententiæ³; et est Pontifici reservata per Bullam *Cænæ*; 2. irregularitas, quam etiam incurrunt hæreticorum

¹ V. Appendix I, in fine vol. — ² *Op. Mor.*, l. IV, nn. 249, 250.

³ C. *Noverint* de sent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 500 et seqq. — Salzano, *Corso di Storia Ecclesiastica*, l. XV, § 9: Digressione su di una dottrina del Guizot. It. § 15: Sconfitta degli Albigesi: Inquisizione.

fili; 3. privatio jurisdictionis spiritualis quoad illos, qui nominatim sunt denunciati²; 4. inhabilitas ad Beneficia obtinenda: et hæc statim incurritur. Item privatio Beneficiorum, si quæ jam fuerint collata: et quidem quantum ad titulum privatio contingit ipso facto, unde statim fructus cessant³; quantum vero ad possessionem, requiritur sententia declaratoria saltem criminis ex S. C. Congregatione; 5. privatio sepulturæ ecclesiasticæ: et qui temere hæreticum in loco sacro sepeliret, ipso facto esset excommunicatus⁴. Qui volunt leniter semper cum hæreticis agendum, audiant D. Bernardum: hic vult quidem primum argumentis, non armis hæreticorum errores repelli; sed addit, eos si in suæ pertinaciæ tenebris remanent, *foris relegandos atque mittendos*: imo aliquando *melius gladio coerceri*, quam ut in suum pestilentissimum errorem multos trajicere permittantur⁵ (J).

277. Observandum est nomine *hæreticorum* intelligi etiam: 1. eorum *receptatores*, qui nempe ipsos hospitio receperint, etsi semel, ne a iudicibus legitime quæsitii capiantur. Attamen excipitur valde probabiliter qui recipit ratione amicitiae, vel consanguinitatis, etenim iste non faveret hæretico ut hæretico: alii tamen id negant; nam virtualiter defendendo personam, hæresis defenditur. Quod si non obstante receptione, hæreticus incidat in manus iudicis, tunc alii negant pœnas incurri; quia amplius non fovetur hæresis: nobis tamen arridet contrarium; nam jam verificatus est effectus favoris in receptione; 2. *defensores*, qui nempe personas hæreticorum, vel eorum errores tuentur: 3. *fautores*, qui nempe favorem præstant, ut facilius hæresim doceant atque diffundant; 4. *credentes*, qui scilicet verbis, factis aliisque modis externis hæreticorum sectam profitentur⁶.

¹ C. Statutum II, de hæ., in 6.

² Ex Decreto, p. II, causa XXIV, q. 1, can. IV et XXXVI.

³ Ex Sexto, l. V, tit. II, cap. XII.

⁴ Ex Sexto Decret., l. V, tit. II, cap. II.

⁵ Serm. LXIV, LXV et LXVI, *In Cant.*; et *Epist.* cccclxv. — Attamen, quam nobis sævitiæ obijciunt protestantes, ea ipsi rei sunt. — V. Martinet, *Solution des grands problèmes*, vol. ult., ubi id historia probat ineluctabiliter. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., vol. VIII.

⁶ C. XII, § 5, *De hæ.*, in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 506 et seqq.

278. Q. 5. *An simplex Confessarius possit ab hæresi absolvere?*

R. Inter pœnas contra hæreticos latas, pro Confessarii officio maxime attendi debet excommunicatio; non enim aliter hæresis quoad peccatum reservatur S. Pontifici, nisi ob adnexam excommunicationem ipsi reservatam; hæc porro si non incurrat, jam hæresis poterit a quolibet Confessario absolvi, nisi adhuc sit casus reservatus in ejus Diœcesi¹.

Ut igitur Christianus excommunicationem ob hæresim incurrat, ex parte excommunicationis requiritur, ut illius notitiam habuerit; censura enim ab ignorante non incurritur. Ex parte vero hæresis requiritur: 1. ut ea sit formalis, nempe ut errori adhæreatur cum pertinacia voluntatis, neque sit conjuncta cum ignorantia, licet culpabili ac supina²; 2. ut exterius manifestetur (non tamen ad consilium capiendum, vel puræ argumentationis causa); nam in foro externo cogitationis pœnam nemo patitur. At sufficit si error sit aliquo modo externatus sive voce, sive scripto, sive nutibus, etsi externatio ista sit facta secreto, nemine præsentem aut scientem; quia semper verificatur hæresis externa.

279. *An Episcopus (quæres) possit ab hæresi absolvere?* R. Et Episcopus, et Inquisitor possunt absolvere in utroque foro ab hæresi, licet ea sit formalis et externa, si ad eorum forum judiciale jam sit quomodocumque deducta: ut si, v. g., ibi sit probata saltem per unum testem, ut aiunt; aut si eo hæreticus sponte conveniat, qui enim res cognoscere potest, poterit eas quoque terminare³, quin imo uterque potest penitentem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem Confessarium remittere ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licet a Confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat Del Bene: verba sunt ipsius Benedicti XIV⁴.

Si vero hæresis formalis et externa non sit deducta ad eorum forum,

¹ Quoad Diœcesim Novariensem vid. dicta de pœnis in blasphemos.

² Hinc qui propositiones enuntiat fidei injuriosas, sed interne ei non assentiuntur et sunt parati acquiescere judicio Ecclesiæ, excommunicationem non incurrunct defectu contumaciæ, quamvis fiant rei blasphemie hæreticæ, et in ipso foro externo pro veris hæreticis plerumque reputentur.

³ C. ult., off. *De hæ.*, in 6. — V. Bouix, *De Episcopo*, p. V.

⁴ *De Syn. Diac.*, l. IX, c. IV.

terior et tenenda sententia ex Benedicto XIV docet, Episcopos non posse ab illa absolvere; sic enim in Bulla *Cænæ* statutum est. Neque obstant hæc Concilii Tridentini verba: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare. Et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientie gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientie eis tantum, et non eorum Vicariis, sit permissum*¹. Hæc, inquam, non obstant; nam per dictam Bullam hæc facultas Episcopis derogata fuit, ita ut hodie amplius non liceat Episcopis *prætextu facultatum quarumcumque*, ut dicitur in ipsa Bulla, absolvere in foro interno ab hæresi occulta².

Sed adhuc poterunt absolvere ab irregularitate ideo incursa; sunt enim diversæ facultates, atque ad diversos actus, et una tantum ipsis sublata est.

280. Q. 6. Quid est apostasia?

R. Apostasia a fide est totalis defectio seu recessus a fide Christiana per Baptismum suscepta; vox a græco est, et indicat post stare. Cum autem apostasia a fide sit vera hæresis, iisdem pœnis subjicitur³.

Diximus *apostasia a fide*; nam datur etiam; 1. *apostasia ab obedientia*, quæ est in quolibet homine, qui justis Superiorum præceptis obedire recusat; 2. *ab Ordine*, et est in eo,

¹ Sess. xxiv, c. vi, de R.

² Intellige iis in locis ubi hæc Bulla viget, uti apud nos. Porro quamvis hæc sit antiquior Tridentino, ipsi tamen prævalet; quia, etiam Tridentino celebrato, Bulla non desit publicari cum additamentis etiam juxta Pontificum voluntates. Ceterum notandum: de jure communi possunt aliquando, Bulla non obstante, Episcopi absolvere ab omni hæresi. V. Tractatus. De censuris. — It. Pavone, *La luce fra le tenebre*, §§ 278 et seqq. Quando a superiore datur inferiori facultas ab hæresi absolvendi, addi solet in rescripto: *Servatis de jure servandis*; quæ indicant pœnitentem non tantum esse obligandum ad abjurandam hæresim, sed etiam ad complices denunciandos, libros hæreticos, cui de jure, tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, occasiones fugiendas, etc. Valet, servata proportione, si detur facultas quoad alios casus.

³ « Il nous paraît que les impies qui professent l'athéisme ou le déisme doivent être rangés parmi les apostats. » Gousset, 345. — V. Ferraris, *Biblioth. canon.*, etc., v^o Apostasia.

qui sacris Ordinibus initiatus deserit habitum Clericalem, ut more laicorum procedat et vivat; 3. *a Religione*, et est in eo, qui, emissa jam professione, sine licentia tamen recedit a statu religioso (K).

Unicus. — De Catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei; ac hæreticis dignoscendis.

281. Q. 1. Quid de Catholicorum communicatione cum hæreticis?

R. Vel sermo est de Catholicis, qui in propriis regionibus communicare debent pro vita civili cum hæreticis toleratis. Vel de Catholicis, qui seipsos conferunt ad Provincias hæreticorum. Vel de Catholicis, qui cum hæreticis (aut schismaticis) communicant in divinis.

Si *primum*, ad omne subversionis periculum avertendum, hæc a Catholicis veniunt observanda: 1. ne ex familiari hæreticorum consuetudine aliquid capiant detrimenti spiritualis; 2. ne, laici præsertim, ullam cum ipsis disputationem suscipiant de rebus ad Religionem pertinentibus; 3. ne Rectores Ecclesiarum permittant hæreticos sacris Officiis inservire. Et multo minus debent illis pacem in Missa tribuere osculandam, quod esset signum solemne religiosæ unionis et concordie.

Si *secundum*, pro Italis hæc præcepit Clemens VIII Constitutione *Cum sicut*: 1. ut nemo Italus audeat habitare in locis hæreticorum, ubi non extet aliqua Ecclesia cum Sacerdote catholico, cui liberum sit ritus nostros publice exercere; 2. ne matrimonium cum hæreticorum sœminis ineant sine R. Pontificis licentia; 3. ne eorum sepulturis intersint: nec filios eorum, nisi baptizentur a Sacerdote catholico, levare præsumant de sacro fonte: neque vicissim filios proprios levare sinant ab illis; 4. ne utentur medicis hæreticis, si adsit copia medici catholici satis idonei; 5. ut discessuri ad habitandum in locis prædictis, id significant Ordinariis vel Inquisitoribus propriis, a quibus serio admoneantur de fide

¹ V. dicenda *De matrimonio* ubi de cognatione spirituali.

catholica ibi perpetuo retinenda, de Ecclesiae præceptis observandis, de Sacramentis percipiendis et earum rerum attestatione referenda¹.

Si *tertium*, est sub gravi et sub minori excommunicatione prohibitum communicare cum hæreticis in divinis; hoc enim esse non potest, quin vel occasio adsit periculi subversionis aut scandali, vel communicatio in falso ritu, vel quædam exterior approbatio falsæ sectæ aut honoris retributio. Hinc non licet *permittere*, ut hæretici in nostris Ecclesiis celebrent, neque nobis licet in eorum celebrare Ecclesiis²; nec licet Sacramenta extra necessitatem extremam ab eis recipere, ut pluries declaravit Congregatio sancti Officii. Censuit tamen tolerari posse, ut schismatici comitentur funera nostra causa honoris civilis, modo nullimode ritibus nostris se immisceant.

282. Q. 2. *An liceat Catholicis audire religiosas hæreticorum conciones, funus deducere, sacris eorum interesse, aut nuptiali eorum convivio?*

R. Si ex regionis consuetudine et communi iudicio hæc agere non habeatur ut signum professionis fidei, uti contingit in Germania, præcluso omni animæ periculo, per se loquendo licet; nam in communi æstimatione tunc Catholici interessentes non habentur uti communicantes in divinis. Hinc de se non peccant contra fidem qui intersunt convivio nuptiali aut sepulturæ hæreticorum, quia hæc proprie ad fidem non spectant, sed præfata adunationes mere civiles sunt habendæ.

Item est de iis qui templa hæreticorum ingrediuntur, eorum conciones audiunt, et sacris eorum intersunt sine pravo fine; habentur uti simplices spectatores, quod quidem usus permittit. Esset si quis,

¹ Hinc colligere est parentes, qui indiscriminatim pro temporali lucro filios tenellos in partes hæreticorum mittant, quin ipsis provideant quoad Religionem, peccare graviter: — 1. contra *charitatem*, quæ vetat, ne proximo occasio peccandi tribuatur; — 2. contra *pietatem*, quæ ipsos impellit ad spiritali filiorum bono vacandum: — 3. contra *fidem*, cujus amittendæ periculo filios exponunt: porro virtus quælibet præcipit, ut nemo sit illius lædendæ causa vel occasio. Cum autem hodie discessus non amplius significetur Ordinariis, Parochorum ergo erit providere, ac debita monita tribuere ac forti animo loqui; cum ipsi sciant hæc in re suorum parochianorum mores ac consuetudines.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 188. — In aliquibus tamen Helvetiæ locis in eadem Ecclesia ritus suos exercent tum catholici, tum hæretici, alii post alios: id ob locorum paupertatem.

v. g., interesset vel ex curiositate, ut sciat quid agant; vel ad ea spectanda uti comediam; vel ad politicum famulatum domino suo præstandum, ut in more habebat Naaman Syrus, qui incurvabat se, ut Rex illi inmitteretur dum coram idolo genuflecteret. Hoc enim civile obsequium tenebatur præstare Regi, qui solebat sive in foro sive in templo inniti humero alterius, et adstantibus id notum erat¹.

283. Item neque in aliis locis per se loquendo videtur graviter illicitum Sacris hæreticorum interesse, puta ob curiositatem, modo semper absit scandalum, quod quidem vel in ipsa frequentia adesset; item periculum perversionis et communicatio impietatis, et specialis prohibitio. Diximus *per se loquendo*; nam nunc temporis in tanta hæreticorum procacitate, et Catholicorum morum dissolutione, cum vehemens sit subversionis periculum, ideo merito id nonnulli prohibent Episcopi sub gravi pœna, etsi agatur ex curiositate; id enim hodie evenire non potest sine hæreticorum ansa, catholicorum scandalo et etiam animæ propriæ ruina².

284. Q. 3. *Quotuplex disputatio de rebus fidei, et an liceat?*

R. Disputare de rebus fidei est ad examen revocare Religionis dogmata, ea coram adversariis veris vel fictis polemicè defendendo. Hinc duplex disputatio, alia *formalis*, quæ instituitur ad defendendum aliquod dogma adversus eos, qui illud revera inficiantur: alia *materialis*, quæ merè exercitationis gratia fit inter ipsos qui credunt. Disputatio formalis est publica vel privata, prout fit publice et coram populo vel private et inter privatas personas, nemine aut paucis audientibus.

Porro si agatur de *materiali* disputatione, ut est quæ reverenter fit in Theologicis nostris scholis ad utile exercitium, utique licet; cum id maxime inserviat ad doctrinam veram firmiter stabilendam, acquirendam, propugnandam; qua de causa proferunt illud Augustini: *Circulus et calamus fecerunt*

¹ IV Reg. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 16.

² Archiepiscopus Taurinensis 12 maii 1853, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac reservatæ omnibus Diocesanis indiscriminatim prohibet etiam ob curiositatem Protestantium templum adire sive ad spectandos ritus sive audiendos sermones. Quam prohibitionem dedit etiam Episcopo Nicaensi in *Syn. Dioc.*, c. vi, append. n. 3. In Diocesi Novariensi hic casus est Episcopo reservatus: lit. 2 apr. 1857. Item Neapoli. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 16.

me, id est disputatio ac scriptura. Si vero agatur de disputatione *formali*, tunc distinguendum est inter publicam et privatam. Publica ac formalis disputatio fieri nequit absque expressa R. Pontificis licentia: *Quia* (ait S. Congregatio de Propaganda, 8 martii 1625) *plerumque vel ob loquacitatem, audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur*: quod patet ex historia. Unde in tanta difficultate, non nisi supremi Pontificis esse debet iudicium ferre, ac disputandi licentiam tribuere.

285. Disputatio autem formalis, sed privata per se cuique docto licita est, imo expedit: nam quisque tenetur saluti proximi, ac Dei honori consulere. Hinc illud: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia*¹. Diximus *per se*; nam jure positivo sub pœna excommunicationis ferendæ laicis id prohibetur: quod tamen intelligit extra casum urgentem². Clerico vero permittitur: 1. si ipse sit provocatus, non provocans; cavendum enim, ne hæretici provocentur, quia isti orthodoxa dogmata refellendo fidem contemnerent; 2. si prudenter iudicet hæreticum provocare ad disputationem desiderio cognoscendæ veritatis; 3. si cum fundamento speretur fructus aliquis vel in provocante vel in audientibus, v. g., si futurum sit, ut alii hæretici ab errore excutiantur, vel Catholici in fide magis confirmantur; 4. si sit maxima doctrina instructus: secus bonæ causæ noceret. Hinc pro praxi potius a disputatione abstinendum, cum non facile omnes conditiones simul concurrere valeant: et ideo etiam est, quod Ecclesia generatim parum amat tales disputationes³ (L).

286. Q. 4. *Quænam sunt regulæ pro dignoscendis hæreticis?*

R. Si semper valde utilis fuit ars aliqua pro hæreticis dignoscendis iisque discriminandis a veris Catholicis, utilissima certe est ætate nostra et penes nos præsertim, cum omnibus compertum sit quorumdam impiorum consilium de *Italis populis traducendis ad prote-*

¹ Ep. I Petr., c. III. — ² C. II, § 2, De hæret., in 6.

³ Hac de re habemus Decretum Congregationis de Propaganda Fide, 26 febr. anno 1650: *Disputatio de rebus fidei laicis est prohibita; Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis et prætextibus.*

*stantium placita*¹. Sed quantum utilis, tantum difficilis; cum eorum character sit

Discolor et longa solitus caligine pasci.

Sunt videlicet aliqui, quorum conatus in eo totus est, ut honorum sibi æstimationem valeant comparare ad eos facilius decipiendos: summam morum gravitatem extrinsecæ præ se ferunt: severiores doctrinas morales prædicant: mirabilia de se publicari amant quoad ingenium, eruditionem et omne genus scientiæ: sancti apparere volunt ad miraculorum usque ostentationem. In hæreticis Jansenii discipulis hic character fuit semper communis, ut constat maxime ex historia diaconi Paris². Huc facit illud Christi: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*³. Alii ex adverso honorum æstimationem floccifaciunt et hominibus pessimis se aperte consociant, ut hos sibi facilius reddant suorum errorum discipulos ac ministros. — Nihilominus regulæ quædam non desunt ad hæreticos dignoscendos; quarum primam, generalem et certam nobis tradidit Christus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere*⁴.

Regulæ autem peculiare atque conjecturales sunt præcipuæ:

Prima, fortasse omnium maxima, est amor novitatis circa doctrinas religiosas; velle nempe nova prædicare, typis edere, juvenibus tradere et in plebem christianam diffundere. Hæc hæreticis fere omnibus in more fuisse nos docet historia: sic, ut ceteros omittamus, de Joanne Hus, a quo Hussitæ, legitur *quod peregrinas semper et novas opiniones amabat*: qui novitatis amor, ut plurimum, in ipsis etiam, quibus annuntiatur vocabulis antea nunquam in Schola usitatis, facile perspicietur: quare Apostolus Timotheum monebat: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem ceciderunt*⁵. Patres item africani ad Theodorum papam scribebant:

¹ Ita Pius IX Encycl. *Nostis*, 8 dec. 1849.

² « Ces prétendus miracles (du diacre Paris) étoient affirmés par tout le parti janséniste, qui étoit très-nombreux et très-puissant en France. — Néanmoins avec quelle facilité ces prétendus miracles n'ont-ils pas été supprimés? Il n'a fallu pour cela que murer simplement le lieu où la tombe se trouvait. — Si Dieu avait été réellement l'auteur de ces miracles, aurait-il supporté qu'une simple muraille mit obstacle à son action? — Mais l'abbé Paris ne put abattre le faible mur qui le séparait de ses dévots, et sa vertu miraculeuse ne put rien opérer au delà du mur. » (Littleton Georg.) V. Feller, *Dictionnaire*, art. *Paris*.

³ Matth. VII. — ⁴ Matth. VII. — ⁵ I Timoth. VI.

Notum est, quod tales sermonum novitates de malo amore gloriae nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quaerunt quid novi proferant. Et Alphonsus a Castro: Qui talibus novitatibus delectatur, easque inquirat anxius, ut inde inanem capiat gloriam, hac sola ratione conjicio eum esse haereticum, aut saltem in haeresim pronum et qui facile in eam labetur¹.

Altera regula est nimia quaedam libertas in pronuntiando circa res fidei et doctrinae christianae quidquid in os venerit; et quod semel improvida in definiendo temeritas prodit, superbia deinde tuetur, perfidia postea auget, et sic demum errori pertinacia adjuncta facit haereticum. Huc pertinet quod in Bulla *Auctorem Fidei* legimus: *Procaea affirmandi et negandi ac secum pro lubito pugnandi licentia... fraudulenta semper fuit Novatorum astutia ad circumventionem erroris.* Huc pertinet quod tradit Carolus Borgo: « Il faut faire attention à une ruse à l'usage des hérétiques, et en particulier des plus lâches, qui n'ont pas la loyauté de dire entièrement ce qu'ils pensent, tels que sont les jansénistes par-dessus tous les autres. Lorsqu'ils veulent insinuer une erreur trop grossière, ils la fractionnent et en sèment çà et là les débris dans leurs écrits; ils en font boire le venin par gorgées, et il n'en est pas pour cela moins fatal à ceux qui ne s'en défient pas. Mais celui qui connaît leurs mauvais desseins sait bien recueillir et rapprocher les membres du monstre: c'est alors que les lecteurs ingénus éprouvent le dégoût et l'horreur que mérite une doctrine hérétique². »

Tertia regula est, quod ferme omnibus haereticis est proprium, ut si quis eos benevole de errore monuerit, ipsi cito irae fluctibus exstuent, pro benefacto maledictum regerant, conviciis et contumeliis contra monitorem insaniant, neque doceri ullo modo patiantur. Hujus rei exemplum habemus in Luthero Novatorum facile principe: suorum nempe errorum initio a viris doctis amice admonitus, nedum se emendaret, imo in peiores furiose prolapsus est: a Leone papa X hu-

¹ *Adversus haereses*, c. xiv. Ubi observandum sub *novitatis* vocabulo venire etiam renovationem errorum veterum: sic quamvis Lutherus plurimos errores suos a Waldensibus, Wiclepbitis, aliisque obsoletis haereticis hausisset; *novi* tamen habiti sunt in Ecclesia, quasi novam ad vitam impie revocati. Sic qui vellet aetate nostra quinque Jansenii propositiones jamdiu proscriptas vel in toto vel in parte, licet diverso indutas habitu, in lucem proderet, *novitatis* haereticæ maculam non effugeret apud Theologos vere catholicos.

² *Lettera II* sul Sinodo di Pistoia.

manissime correctus, contra ipsum aperte cepit debacchari, sicque, abisso abyssum invocante, in profundum tandem devenit¹.

287. An (quaeres) liceat haereticum dicere aliquem, eo quod doctrinam haereticam tenaciter verbo tradat aut scripsit, etiamsi nondum ab Ecclesia uti talis fuerit decretorie denunciatus? Quamvis regula generalis sit, ut mala insectentur doctrinae parcendo personis secundum illud Augustini: *Interfucite errores, diligite homines*; attamen Melchior Canus ex D. Thoma habet ad rem²: *Si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quin ad fidem catholicam certo pertineant, tunc judices tuto de haeresi pronuntiabunt.* Quod si haeretica potest dici doctrina, poterit etiam haereticus dici, qui eam scienter docet, idque maxime, si ille bene audiatur a publico, ut sic a laqueo caveant fideles; nam fideles auctoritate vivunt et auctoritate credunt: proinde haeretica docentium auctoritas labefactanda est: ad rem Salesius suam Philoteam monet: « C'est une charité de crier au loup quand il est au milieu du troupeau, quelque soit le rang qu'il occupe dans la société³. » Nec obstat, quod vulgo, habeatur uti catholicae, Ecclesiae addictus, imo et morum integritate praedicetur. Audiatur Tertullianus: *Quid si Episcopos, si Diaconos, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit? ideone haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Quapropter si vere constet de illius pietate exclamandum cum D. Bernardo: *Quantum laudanda est ejus vita, tantum abominanda est ejusdem doctrina (M).*

288. Q. 5. An discrepent inter se haeresiarca, haereticus et dogmatizans?

R. Affirmative, quamvis promiscue aliquando usurpentur: nempe haeresiarcae dicuntur tam qui haereses invenerunt vel susceperunt, quam qui haereticorum capita aut duces sunt, ut Calvinus, Zwinglius, Lutherus et his similes (ex Regula 2^a *Indicis librorum prohibitorum*). *Simplices haeretici* sunt qui pertinaciter tenent errorem contra fidem, quin tamen aliis eundem persuadere studeant. Haeretici vero *dogmatizantes* sunt qui ex professo haeresim suam publice vel private alios

¹ V. Gaume, *Catéchisme*, etc., p. III, lec. xiv. — Et maxime Bossuet, *Hist. des Variations*, ubi ad vivum pinguntur Lutheri scabies atque furiores. — ² *De loc. Th.*, l. XII, c. ix.

³ Iterum Sanctus: « Il faut avoir soin, en blâmant le vice, d'épargner autant qu'on le peut la personne du vicieux. J'excepte cependant les ennemis des lois de Dieu et de son Église, puisqu'ils veulent être diffamés comme le sont les sectes des hérétiques, des schismatiques et de leurs chefs. » Idque in more habebant Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, Bernardus, etc. — V. *Civ. Catt.*, ser. V, t. I: un po'di carità, ossia i liberali mendicanti.

etiam docent, voce vel scriptis: hæretici ludimagistri vix esse potest, quod etiam non sint dogmatizantes. Hinc videant quomodo tuli esse possint in conscientia, qui ut filios suos commercium aut litteraturam edoceant, talibus eos committunt hæreticis instruendos: modum acquirunt ditescendi, at simul artem acquirunt animam perdendi.

Art. III. — De lectione librorum prohibitorum.

289. Si quæ alias necessitas fuit scribendi legendique licentiam cohibendi, hodie est maxima. Atque ideo a Pio IX, sua prima Encyclica *Qui pluribus* (1846), inter hodiernas machinationes inimicorum, quæ tot damnorum tum christianæ, tum civilis Reipublicæ sunt causa, adnumeratur *teterrima tot undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciæ et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianæ plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima Religioni inferunt nocumenta.*

290. Q. 1. *An Ecclesia habeat potestatem libros noxios prohibendi, atque ideo gravi peccato teneantur, qui hanc legem violant?*

R. Inter tot errores, quibus ætate nostra portæ inferi dimicare conatæ sunt contra veram Christi Ecclesiam, iste etiam fuit, quo contendebant nonnulli hanc ei non convenire potestatem, prohibendi nempe libros noxios; ideoque ipsius lege non obstante (modo evidens subversionis periculum non appareat) libros quoscumque ab omnibus tuta conscientia perlegi posse. — Hæc doctrina potius hæreticorum est; sed non defuere etiam ex nostris, qui eam impudenter ausi sunt evulgare cum incredibili animarum pernicie. Talis fuit imprimis petulans ille hæreticorum fautor Paulus Sarpus, quem copiosissime refutavit cardinalis Pallavicini: tales fuere alii Sedis apostolicæ detractores infensissimi, uti Van Espen, Fleury, Tamburini, Dupinius et Launojus. Verum communiter docent dogma esse catholicum, quod Ecclesia, et pro ipsa summus Pontifex, utpote Christi Vicarius, jurisdictionem habeat prohibendi fidelibus lectionem ac retentionem librorum sive de Religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiæ disciplinam aliquid continentium, adeo

ut eos nihilominus legentes, graviter peccent coram Domino et Ecclesia.

Prob. 1. *Scriptura*: nemo negare audebit per ea Scripturæ verba: *Pasce agnos meos, pasce oves meas: pascite qui in vobis est, gregem Dei; attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*¹, omnibus Ecclesiæ Prælati, et præsertim eorum capiti romano Pontifici datam fuisse potestatem decernendi de fidei et morum causis, et bona pascua ovibus Christi designandi, easdem arcendo a contrariis et noxiis.

2. *Traditione*: testes inter innumeros appellamus SS. Augustinum et Cyprianum. Primus morem præcavendi a libris malis, et eos concremandi ab Apostolis dimanasse demonstrat². Alter vero ait: *Si quando talia (id est contra bonos mores) quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur*³.

3. *Consuetudine*: hanc perpetuam in Ecclesia fuisse consuetudinem demonstrant indubitata historiæ monumenta; ab ipsa enim Apostolorum ætate multi... ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus⁴. In Concilio Nicæno an. 325 Patres damnarunt et comburendos esse decreverunt libros Arii. In Ephesino an. 431 damnata sunt scripta Nestorii. In Calcedonensi anno 451 scripta Eutychetis. S. Leo M. Romæ combussit libros Manichæorum. Idem fecerunt Symmachus, Hormisdas, Nicolaus I, Nicolaus II, Leo X et alii innumeri. — Postquam vero inventa est ars typographica⁵, cum noxiorum librorum colluvies in immensum excresceret, Concilium Lateranense sub Leone X anno 1515 decrevit, ne deinceps ullus possit liber typis in

¹ Joann. xxi; I Petr. v; Act. xx.

² L. IV, *De bapt.*, c. xxiv. — ³ Ep. xiii, ad Cornel. — ⁴ Act. xix.

⁵ Versus annum 1455 hanc artem Gutenberg invenit, Faust protexit, Schoeffer perfecit, omnes Mogontini. Primi ab ipsis editi libri fuere *Psalmorum Codex*, et *Rationale* Durandi, anno 1457: *Clementinæ* 1460: *Biblia Sacra* 1462. Quam quidem artem e Germania in Italiam attulerunt anno 1462 Corradus Sweynheim et Arnoldus Pannartz. Primi libri, quos Subiaco prope Romam ediderunt, sunt *Opera Lactantii*, anno 1465; et S. Augustinus, *De civitate Dei*, anno 1467.

lucem edi, nisi probantibus Episcopis aut fidei quæsitibus. In transgressores vero (præter excommunicationem) suspensionem ab exercitio artis, amissionem omnium librorum, aliasque pœnas, Ordinariis arbitrio infligendas constituit. Deinde Paulus III, anno 1542, statuit Romæ Congregationem Generalis Inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit. Postea sub Paulo IV confectus est *Index* librorum prohibitorum, quem Pius IV, annuente Tridentino, ampliavit magisque perfecit. Sed cum libri perniciosæ lectionis magno in numero undique ederentur, nec laudata Congregatio Inquisitionis ad eos examinandos sufficeret, S. Pius V novam Congregationem instituit, appellans *Indicis*, ideo quia libros noxios indicat. *Ex hac itaque constanti omnium ætatum sollicitudine... patet luculentissime* (ut verbis utar Gregorii XVI Encyclica *Mirari vos* an. 1831) *quantopere falsa, temeraria atque apostolicæ Sedi injuriosa, ac secunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt; sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a recti juris principis abhorreere, jusque illius decernendæ habendæque audeant Ecclesiæ denegare.*

4. *Ipsa ratione naturali*: naturæ vox est, libros qui Religioni et moribus officiant, extirandos esse; quia neminem latet quot inde mala! *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, inquit Apostolus¹; at colloquiis pravis pravi libri noxiores sunt, quippe qui (ait Clemens XIII Constitutione *Christianæ Reipublicæ*, anno 1766) *manent perpetuo et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo et occulto auctori aditus non pateret.* Adde: si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere eidem non tenerentur, nec fides illæsa servari posset, nec Christus satis Ecclesiæ suæ providisset: *Frustra Ecclesia laboraret in hæresibus extirpandis bonisque moribus fovendis, nisi unde scatur errorum ac vitiorum colluvies, fons penitus obstruetur, ut bene ait Baronius ad annum 447.*

¹ I Corinth. xv.

Ipsi gentiles putida ejusmodi scripta execrabantur. Sic Plato aiebat libros impudicos omnino a civitatibus eliminandos. Sic Virgilius opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, morti proximus, præcepit ut igni traderetur. Sic Tullius in poetas ira exardescit utpote qui mollibus versibus *nervos virtutis elidunt*¹. Sic multoties apud Romanos, ut Livius refert, negotium hoc Magistratibus datum est, ut libros vaticinos, aliosque malos conquirerent et igni consignarent²(N).

291. Q. 2. *An detur discrimen inter librum a Sancta Sede damnatum, et librum ab eadem prohibitum?*

R. Inter librum a Sancta Sede damnatum et librum ab eadem prohibitum nullum datur discrimen; ita ut liber damnatus et liber prohibitus sint unum et idem; et contraria doctrina novitas est in Theologia et in Jure Canonico valde damnosa: quippe quæ adversatur communi loquendi modo tam Theologorum quam Canonistarum, Constitutionibus Pontificiis, formulæ Decretorum, quam tenet Sacra Indicis Congregatio in libris proscibendis, et rationi ipsi Theologiæ; digna idcirco, ut a turpissima illa, versula, et nobis semper invisâ Jansenistarum schola nuper egressa fuerit, ad incautos decipiendos.

1. Theologi et Canonistæ *condemnationis* et *prohibitionis* vocabulo ita promiscue uti solent, ut penes ipsos habeantur tamquam pure synonyma. Theologorum omnium instar brevitalis causa unus sit Sanctus Alphonsus noster, qui in sua erudita Dissertatione hac de re sibi hanc proponit quæstionem: *Quæro, quid ageret auctor si coram (Sacra Congregatione) audiat? vel diceret se catholico sensu fuisse locutum; vel opus non esse suum: si primum, nihil ei proderit ad damnationem operis vitandam ubi aliqua propositio censeatur posse aliis offendiculo esse, quamvis ipse innocens judicetur; si secundum, neque id prohibitionem impedire valebit, cum non au-*

¹ *Quæst. Tuscul.*, l. II et III.

² *Hist.*, l. XXXIX, c. xvi; l. XL, c. xix. « On connaît également le mot de Platon: « Qu'on ne publie aucun écrit à l'insu du magistrat. » Quintilien ne voulait pas qu'on expliquât à la jeunesse les livres des poètes latins qui traitaient des choses obscènes (*Inst.*, l. XIII, c. 1). Luther, pareillement, jugeait nécessaire que tous les livres de cette espèce fussent bannis des écoles et de tout autre lieu, en disant qu'ils ne pouvaient être lus sans un grave danger pour la jeunesse (Luth., lit. *de doctis*). L'incrédule Bayle, parlant d'un roman obscène, démontre qu'il n'est pas possible de se préserver de la séduction, et il conclut en exhortant à la destruction entière de cette espèce de livres » (Bayle, *Dictionn.*, art. Guarini). Teppa, *Sulla lettura dei libri proibiti*.

ctor damnationi subjiciendus sit, sed tantum fideles ab operis lectione removeri debent.

2. Congruunt Pontificiæ in hanc rem Constitutiones, in quibus pariter librorum prohibitio vocabulo damnationis indiscriminatim appellatur: videatur præsertim Constitutio *Sollicita* Benedicti XIV.

3. Congruunt vel ipsa formula Decretorum qua semper utitur Sacra Indicis Congregatio, quæ ista est: *Sacra Congregatio, etc., habita in Palatio Apostolico Vaticano damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat opera quæ sequuntur, etc., etc., quibus SS. Domino Nostro N. N. per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit et promulgari præcepit; in quorum fidem, etc.* Ita etiam loquitur Regula 2^a Indicis.

4. Congruunt ratio theologica: cur enim libri referuntur in Indicem prohibitorum? profecto quia sunt ab Ecclesia condemnati, et utpote tales a fidelium lectione removeri debent (O).

292. Q. 3. *An Episcopus possit et debeat in propria Diœcesi libros malos proscribere?*

R. Affirmative: sive agatur de Episcopis extra sive intra Italiam; hoc quippe essentialiter pertinet ad munus quod habent jure divino populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Id docet cl. Alasia, nulla addita limitatione; et Alphonsus noster ait: *Prohibere libros per totum orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad S. Congregationem; Episcopi autem et Inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio.* Idque ideo etiam, quia non tam facile ac statim notitia omnium noxiorum librorum potest Romam pervenire; præstat ergo ut Pastores ipsi illico oves suas ab illis avertant. Hinc Leo Magnus: *Si quis Episcoporum... apocrypha habere per domos non prohibuerit... hæreticum se noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Id etiam eruitur a regula Indicis decima: *Liberum sit Episcopis... eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, proscribere, si hoc in suis... Diœcesibus expedire judicaverint.* Quid plura? Leo XII in suo Mandato addito Decreto S. Congregationis 26 martii 1825 jussit, ut om-

⁴ Ep. xv, al. 95 ad Turribium, c. xv. — V. Croix, *Theol. Mor.*, l. VII, n. 594, q. 46. — It. Bulla 25 nov., 1766, Clementis PP. XIII, cujus totum argumentum est *cunctos per catholicum Orbem Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque Diœcesium Rectores enixe hortari, ut creditum sibi ipsis Dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant.* Item Encycl. 25 aug. 1852, Gregorii PP. XVI. Item Breve *Ad apostolicæ Sedis*, 22 aug. 1851, regnantis Pii PP. IX. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 290.

nes Episcopi propria auctoritate pravos libros student e manibus fidelium evellere, quod vocabulum si moraliter intelligatur, ut debet intelligi, non aliud valet indicare, nisi verum jus Episcopis omnibus tam intra quam extra Italiam competere in librorum prohibitionem et simul grave onus fideles premere huic prohibitioni obtemperandi. Præstat tamen ut librum a se prohibitum Romam transmittant et decretorium judicium implorent⁴ (P).

293. Q. 4. *An qui moraliter certus est nullum sibi imminere perversionis periculum, legere possit absque licentia libros prohibitos?*

R. Sententia communissima et sequenda omnino negat; finis enim prohibitionis non solum est, ut damnum evitetur conscientiarum, sed etiam ut servetur obedientia Ecclesiæ debita maxime in re tam periculosa; ac ne detur hæreticis aut aliis improbis scriptoribus ansa perniciosissima malos libros typis demandandi: unde eo in casu non cessat omnino finis adæquatus prohibitionis. Et sane in Bulla prohibitiva dicitur prohiberi lectionem factam *ex quavi causa vel colore.*

Adde neminem quantumvis pium ac doctum tuto posse confidere, quod nullum detrimentum capiat ex tali lectione, maxime si elaborato stylo ac captioso (ut solet) liber sit conscriptus, et zelum ac charitatem ostendet; quidquid enim legitur, ita mentem occupat, animum demulcet, atque ad cor pertransit, ut sensim sine sensu res lecta fieri soleat propria lectoris: unde bene S. Basilius libros *cibum animarum* appellat. Sane luctuosa experientia testis est: sic Eutyches invictus antea fidei confessor ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi mutatus est in infandum hæreticorum caput. Sic Bulineerus doctor catholicus olim piissimus, librum legit Melancthonis, et cecidit. Sic Avitus presbyter legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret eorum confutationem, imo et per Hieronymum, ut sibi caveret monitus esset, virus tamen lethaliter absorbit. — Adde: semel cognita lege, subditi non est ejus rationem sciscitari, sed observantiæ studere: secus via nimis lata transgressionibus aperiretur, nec leges essent firmæ; cum nimium trahat decipiendo sua quemque voluptas.

⁴ Hoc totum est conformæ Instructioni Clementis VIII, §§ 5, 4 et 5.

294. Q. 5. *A quo licentia legendi libros prohibitos est impetranda?*

R. A solo R. Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii aut Indicis licentia impetranda est legendi libros per ipsum Pontificem vel Congregationes prohibitos; generatim enim illius est permittre cuius est vetare. Hoc jus omnibus Episcopis dabat Instructio Clementis VIII (1598); sed illud postea ipsis sublatum est per Gregorium XV Constitutione *Apostolatum Officium* (1612), innovata ab Urbano VIII (1634). Ex hac vero Constitutione istud jus fuit concessum *Magistro sacri Palatii* pro Roma ac suo districta¹. — Hic tamen notandum: non ideo tutus potest legere qui licentiam obtinuit, si nesciat discernere inter lepram et lepram, neque satis firmus sit in bono proposito; quia lex naturæ est, ut nemo se peccandi discrimini committat. Si tuti esse velimus, non curiositas nos debet impellere ad impetrandam librorum prohibitorum licentiam eosque legendos; sed necessitas, vel sane gravis utilitas, habita videlicet ratione muneris nostri et status².

295. Q. 6. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti, et quid de illis?*

R. 1. Triplici in differentia seu classe collocantur libri prohibiti. *Prima classis* continet libros omnes editos aut edendos hæresiarcharum et hæreticorum, qui vel hæresim continent vel de Religione ex professo pertractant. — *Secunda classis* vero continet libros cujusvis auctoris, qui vel ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibiti sunt. Huc revocantur: 1. libri conscripti ab hæresiarchis (qui nempe sectæ caput sunt), cujusvis tituli et argumenti existant. Quorum libri fuerunt merito prohibiti, ut sic facilius avertantur fideles ab eorum sequela; ne scilicet ob lenocinium libri inescat et lenocinetur prava doctrina: et en prohibitio quæ

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 199; et l. VII, nn. 291 et 290. Imo vel ipsi Episcopi sine Papæ licentia libros ab ipso prohibitos legere prohibentur ex Bullis Julii III *Cum meditatio*, Pauli IV *Quia in futurorum* et Pii IV *Cum pro munere*.

² Episcopi est apud supremam Sedem testari de probitate ac qualitate licentiam postulantis: unde ea de re ad Curiam episcopalem fiat recursus.

dicitur in odium auctoris; 2. libri hæreticorum qui sectæ caput non sint, licet neque de Religione tractent, neque hæresim contineant. Exeipe, nisi dicti libri aliquo modo sint probati, ut probati hodie censentur atque permitti qui ad Catholicorum loca libere sunt delati sub ipsorum superiorum oculis¹. — *Tertia classis* tandem continet libros alia de causa prohibitos, puta si sint contra honos mores, aut charitatem vel aliorum famam, aut si contineant propositiones laxas².

R. 2: Libri primæ classis prohibentur in Bulla *Cænæ* sub pœna excommunicationis ipso facto, et Pontifici reservatæ. Eamque incurrunt *scienter retinentes* (sunt verba Bullæ), *legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore*³. Quæ excommunicatio extenditur ex Pio IV et Clemente VIII ad legentes *Thalmud* et alios similes Hebræorum libros, in quibus christiana Religio calumniatur: ex Sixto vero V extenditur etiam ad libros qui tractant de astrologia judiciaria, eam docentes. Huc tandem pertinet libri speciali Pontificum Constitutione vel Brevi prohibiti, quippe qui semper adnexam habent excommunicationem ipso facto Papæ reservatam.

Libri secundæ classis prohibentur ex Regula decima *Indicis*, et Constitutione *Dominici gregis* Pii IV sub pœna item excommunicationis ipso facto, non tamen reservatæ. Sub eadem quoque pœna prohibiti sunt libri magici: habentur

¹ Id tamen hodie non large accipiendum; in tanta enim vesana scribendi libertate impossibile fere est, ut de libris omnibus Episcopi iudicium proferant ac recognoscant: unde non omnes hæreticorum libri ideo putari debent permitti, quia sub oculis Prælatorum libere eduntur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 288; et *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 61.

² Hic esset quoque recensenda eorum classis librorum, qui prodeunt sine nomine auctoris; sed hodie ex inducta consuetudine, illi non habentur prohibiti, si tamen pravam non contineant doctrinam.

³ Versiones scriptorum catholicorum editæ a damnatis auctoribus permittuntur. Versiones novi Testamenti factæ ab auctoribus in prima classe notatis, etsi genuinæ, omnibus prohibentur sub gravi. Versiones vero veteris Testamenti doctis et piis, iudicio episcopi conceduntur, modo tantam ad dilucidationem adhibeantur. Reg. n^o *indicis*. — Quoad versiones autem in lingua vulgari, vel hæreticaliter factas vide infra.

enim uti de hæresi suspecti. Non tamen prohibentur libri Catholicorum, in quibus referuntur verba alicujus hæretici ad eum confutandum: neque ubi adsunt notæ alicujus hæretici, dummodo non sint ita copiosæ, ut potius liber ex illis notis constaret.

Libri tertiæ classis nulla prohibentur pœna; sed legentes, aut retinentes præter mortalis culpæ reatum ex Constitutione Pii IV *Dominici gregis* dicuntur Episcoporum judicio severe puniendi. Libri tamen antiqui, qui res lascivas continent ab ethnicis conscripti, ob elegantiam indiscriminatim permittuntur, pueris tamen exceptis (Q).

296. *Quid (quæres) requiritur, ut incurratur excommunicatione ab iis qui legunt libros hæreticorum?*

Hæc requiruntur ex communi Doctorum:

1. Ut auctor libri sit vere hæreticus, seu ut liber sit editus ab eo qui actu hæreticus est, ut sunt calvinistæ, lutherani, anglicani, waldenses et alii qui notorie hæreticæ sectæ nomen jam prius dederint: quare non sufficit si postea hæreticus fiat, si talis non erat, dum librum scripsit. Sic etiam qui legeret scripta ob hæresis suspicionem vel etiam ob ipsam hæresim prohibita, et ideo liber sit damnatus ut hæreticus, incurreret quidem excommunicationem *Indicis*, quæ non est reservata; non tamen excommunicationem reservatam Bullæ *Cænæ*, ut docent probabiliter cum Pignatelli; quia ad eam incurrendam requiritur, ut etiam ipse auctor damnatus sit ut hæreticus, vel natus ex secta hæretica. Item neque illam incurreret qui legeret librum pagani, turcæ vel alterius infidelis, licet errores contra fidem contineret: nisi adesset specialis prohibitio; quia infideles non sunt hæretici, cum fidem nunquam susceperint¹.

2. Ut lectio libri auctoris hæretici fiat *scienter*. Unde qui

¹ Dicit Holzman et Gury etiam numerari inter libros in Bulla *Cænæ* vetitos librum, qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat auctor, quia tunc auctor recte præsumendus est hæreticus. Ceterum probabiliter dicunt Holzman, Elbel, etc., quod ex epikea bene excusantur legentes librum hæreticorum, si necessario indigeant ad convincendum hæreticum ex suo vel alterius hæretici libro, puta inveniundo contradictiones, modo periculum sit in mora, nec pateat recursus Romam, vel ad Episcopum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 285.

ex ignorantia etiam vincibili nescit librum esse hæretici, vel hæresim continere, aut de Religione tractare, non incurrit excommunicationem. Excusat autem a censura non solum ignorantia invincibilis, sed etiam crassa: imo juxta plures etiam affectata, quia in hac adhuc deesset dolus formalis, qui censuræ contemptum inducat¹.

3. Ut liber hæretici vel hæresim contineat, et satis est si unum contineat errorem contra fidem; vel tractet ex professo de Religione, etiamsi tunc nullum contineat errorem, nam Bulla loquitur disjunctive. Dicitur autem liber *de Religione tractare*, si contineat sacram doctrinam, sive sit exponendo Scripturam, sive scholasticam, sive conciones sive casus conscientie, sive alia quæ ad cultum Dei aut Sanctorum vel ad salutem animarum spectant, aut de Clericis et Monacis disserunt et similia. Ita Suarez et Sanchez². Dicitur vero *tractare ex professo*, si in fronte vel titulo præferat materiam Religionis; aut in decursu ita fuisse rationibus eam stabilit, ut eam legentibus persuadere velle videatur. Ita Voit. Ratio communis est, quia hæretici solent talia scribere vel in odium fidei nostræ, vel aliquid veneni inserendo, vel ad conciliandam suæ sectæ existimationem.

4. Ut lectio sit in materia notabili; communiter enim admittunt hac in re parvitatem. Sed quænam sit habenda uti materia parva vel notabilis, inter diversas sententias sic melius distinguunt Croix, Elbel, Holzman, Sporer, etc., attendendo ad finem prohibitionis. Si aperiendo librum offendis in doctrinam, quæ directe fidei adversatur, excommunicatur.

¹ Nos adhæremus sententiæ communiiori, quæ docet affectatam ignorantiam non excusare legentes libros primæ classis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 4124; l. VII, nn. 48 et 296. Qui legit librum, sed nullimode intelligat libri idioma, non incurrit censuram ut lector, quia non legit nisi materialiter, quod non intendit Ecclesia; at eam incurrere poterit ut retentor, si librum apud se retineat. Ceterum idem est legere voce ac librum oculis tantum percurrere; hoc enim in communi sensu legere dicitur. *Alasia*.

² « Imo si libri alieni etiam a Religione argumenti, de philosophia, v. g., vel jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eandemque crebro inserant ac persuadere conentur; sicuti passim usu venire solet novatoribus, ii habentur pro libris de Religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus. » Ita Ferraris, *Bibl.*, etc., v* Libri prohibiti.

tionem non effugies, etsi paucas lineas legas; quia periculo perversionis jam te exponis, vel certe directe agis contra finem prohibitionis, qui est non tantum, ut tollatur periculum in particulari; sed etiam in communi, nempe auferendi ansam scribendi edendique libros pravos. Secus esset, si liber hæretici ageret de indifferenti, et in loco quem legis, nullam advertas propositionem erroris suspectam: forte a mortali tunc excusaris et a censura, etsi legas ad integram paginam libri ordinarii seu medioeris magnitudinis. Attamen bene poterit incurri et gravis culpa et censura etiam legendo solum proemium aut indicem libri, si sit in notabili quantitate, ut docet Layman¹ (R).

297. *Quid (addes) de audiente lectionem libri hæretici?* R. Probabilis Alasia, Azorius, Croix cum Sporer et aliis negant hunc censuram incurere, si socium ad legendum non induxerit; quia tunc proprie non potest dici quod ipse legat. Si vero consilio, petitione, vel mandato ad legendum induxerit, tunc alii cum Alasia et Layman illum affirmant et peccatum et censuram incurere, qui enim facit per alium idem est ac si faceret per seipsum. Verum alii merito probabiliter cum Navarro, Fillucio, Sporer et Viva ipsum a censura excusant (licet non a peccato ratione periculi perversionis), etiamsi ad legendum induxerit: imo sunt qui eum etiam a peccato excusant, si nullum timeat periculum perversionis (posito tamen in utroque casu, quod ille qui legit, licentiam habeat; secus inducens peccaret contra charitatem, utpote alium provocans ad actum prohibitum). Ratio quia ex una parte nullus est prævaricationis timor: ex altera lex prohibitionis loquitur solum *de legentibus retinentibus, imprimantibus, vel quomolibet defendentibus*; non vero loquitur *de audientibus*; penæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum².

298. Q. 7. *Quid de libris, quos romanenses dicunt (vulgo romans)?*

R. Narrat Nicephorus primum librorum romanensium inventorem fuisse quemdam Heliodorum episcopum Tricensem in Thessalia, qui tempore suæ juventutis talem librum conscripsit, cujus lectio facile poterat juvenes impellere ad amo-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, append. III, cap. v. Et in aliis libris sine censura prohibitis item datur parvitas materiæ; scandalo tamen secluso et contemptu, ac periculo perversionis.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 292.

res exitiosos. Synodus Provincialis, periculo cognito, legem imposuit Heliodoro, ut opus suum traderet flammis, vel Episcopatu renuntiaret. Quid ille? maluit suæ dignitati cedere, quam lethiferum opus destruere superbissimus homo! Quia tamen non omnes libri, qui nomen istud præ se ferunt, gravis damni periculum continent, hinc duæ regulæ præ oculis habendæ sunt:

1^a Qui componunt libros graviter obscenos, mortaliter peccant; multis enim præbent occasionem ruinæ spiritualis; item mortaliter peccant librarii, qui eos in officina sua detinent, exponunt et occurrentibus vendunt. Libros autem hujus generis etiam ex levitate, curiositate vel recreationis causa legere, est regulariter mortale; quia ex se nati sunt sensus commovere et flammam impuras accendere. Eos vocabat Origenes *calices Babylonis venena propinantes*; D. Augustinus *ranas ascendentes de ore bestiarum*. Et Stapf ait: *Per talem lectionem tota imaginatio conspurcari, stimuli animales succendi, atque corda effeminata perversissimis affectibus imbuuntur, simul vero omnis Religionis sensus extinguuntur, et ipse intellectus a veritate misere detorquetur*. Diximus regulariter, quia nolumus definire mortaliter peccare, qui ex sola curiositate tales libros legunt, si (ob ætatem provecam, complexionem frigidam, aut consuetudinem de rebus veneris tractandi) grave periculum certo non incurrant.

2^a Alii sunt libri amores licitos vel illicitos describentes, qui ad libidinem graviter non excitant, nec sensus commovent, nec periculo notabili exponunt, ut sunt multæ tragediæ, comœdiæ aliaque poemata. Qui secluso gravi periculo et aliorum scandalo, ejusmodi libros ex sola curiositate legunt, mortaliter non peccant. Si vero ob causam legitimam, v. g., ad discendam, ad acquirendam aut perficiendam eloquentiam id faciant, tunc nullimode peccant. Attamen si agatur de Clericis, raro istiusmodi lectioni vacare possunt sine peccato, quia vel officia sua communiter negligenter, vel scandalum aliis præberent: ad minus enim inde sequuntur, sicut experientia constat, tædium pietatis, studiorum ecclesiasticorum neglectus, extinctio spiritus ac fervoris, etc.

Qui autem prædictos libros non graviter obscenos compo-

nunt, sæpe mortaliter peccant; quia multis præbent occasionem ruinæ, sine ratione sufficienti. Non ita semper graviter peccare videntur qui eos vendunt; cum enim, ex dictis, multi eos absque peccato saltem mortali legere possint, eo ipso ementes supponi possunt habere justam causam tales libros emendi. Ergo librarius, qui eos habet et petentibus vendit, cum discretione tamen, inquietari non debet. Ita Bouvier.

299. Q. 8. *An liceat dominis hospitorum (quæ vulgo cafés dicuntur) quævis folia publica hospitibus legenda exhibere?*

R. Cum Gury: possunt utique exhibere quæ de rebus mere politicis tractant, nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod ex eo quod interdum aliquid minus rectum ratione fidei contineat, modo generatim Religioni non adversetur. At admittere non possunt ea, quæ evidentem et ordinariam sunt Religioni et moribus adversa, etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant. Agitur sane de damno gravissimo, spirituali ac publico; scripta enim mala fidem ac Religionem subvertere nata sunt: unde publicæ eorum diffusioni cooperari non licet, quæcumque tandem causa haberi possit.

300. Q. 9. *Ad quid tenetur qui habet libros prohibitos?*

R. Juxta Bullam Julii III *Cum meditatio*, et Constitutionem Pii IV *Dominici gregis* tenetur qui habet libros prohibitos cujuslibet speciei, eos sub obedientiæ præcepto, ideo sub gravi, tradere quamprimum Inquisitoribus vel Episcopis (sufficit etiam tradere habenti licentiam, prout in usu est). Et Alexander VII hanc sub n. 45 damnavit propositionem: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri.*

Diximus: 1. *tradere*, nam licet communiter a censura excusetur qui librum vetitum comburit, quia sic cessat illum habere; præceptum est tamen, ut tradatur: quod quidem semper, etiam nostris hisce diebus, præcipitur, quoties prohibentur libri. Et merito; nam maxime interest quod superiores sciant quæ fidelibus propinentur venena, ut antidotum præparent¹.

¹ Episcopi Provinciæ Taurinensis Encyclica ad Clerum et populum sub die 29 junii 1849, habent: *Brûlez, à l'exemple des premiers fidèles, tous les écrits et les livres mauvais* (Act. xix: Contulerunt libros et combusserunt eorum omnibus, etc.), *et ces feuilles périodiques où le redoutable et*

2. *Quamprimum*: ceterum liberant a mortali, ideoque a censura, qui scienter et culpabiliter uno vel altero die librum retinet: et hoc satis probabiliter; quia sicuti materiæ, ita temporis parvitas excusat. Imo Layman, Pignatelli, Sanchez et alii plures apud Croix excusant omnino qui librum retinet etiam longiori tempore, nempe expectans opportunam occasionem ad illum tradendum superiori, vel alii habenti licentiam. Non tamen excusatur neque qui librum retinet etiam alieno nomine, v. g., in deposito, mutuo aut pignore, quia de facto retinet; neque qui librum dat alteri retinendum, cum possit arbitrio suo illum repetere. Excipe si deponeret apud eum, qui habet licentiam cum pacto expresso non repetendi, nisi vel post libri expurgationem vel post licentiam impetratam: hunc non damnarem, ait S. Alphonsus; tunc enim revera se expoliat possessione et libri proprietate quoad usque debita licentia fuerit donatus¹.

301. *An (quæres) libri prohibiti sint domino reddendi, si eos retinendi facultatem non habeat, casu quo illos petat?* Negative, ne detur occasio transgrediendi legem: excipe si nequeant denegari sine gravi incommodo, ut si inde rixæ, blasphemiæ, etc.; tunc ipse dominus videat. Attamen levis contritio vel etiam timor dissolvendæ amicitiae non censeretur ratio de se sufficiens, saltem plerumque, praves libros amico reddendi. Gury (S).

SCHOLIUM. — *De fidei impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia; de iis eliminandis²; ac studio fidei dilatandæ.*

302. Q. 1. *Quænam sunt fidei impedimenta generatim?*

R. Fidei impedimenta diversa semper fuere pro diversitate tempo-

saint nom de Dieu est profané, le sacerdoce insulté, la piété tournée en dérision, l'honnêteté outragée, l'honneur du prochain calomnié. Attamen in prohibitionum Decretis jure repetitum habetur præceptum libros superioribus consignandi. Hisce sic stantibus pro praxi concludendum videtur cum doctis a nobis consultis, nempe si libri prohibiti tales sint ut evulgentur passim, qui ideo ab Episcopis bene dignoscuntur, poterunt etiam flammis tradi; at si libri de novo lucem videant, vel rari, vel non ita cogniti existimantur, tunc omnino sunt consignandi.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 295, 297, etc.

² V. Franco, *Risposte brevi e familiari alle obbiezioni più sparse contro*

rum, ut patet ex historia Ecclesiastica: licet enim fidei hostis unus sit semper et idem, Princeps tenebrarum; non una tamen nec eadem semper sunt arma, quibus utitur. Quenam autem præcipua sint ætate nostra, vix in sublimi Principis Apostolorum cathedra collocatus Pontifex Maximus Pius IX, quasi e culmine Turris Davidicæ subjectum sibi orbem catholicum attente circumspicens, sapientia plane singulari (Encyclica *Qui pluribus* anno 1846) indicavit omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, ut in ea eliminanda studia simul omnes enixe intenderent. Et sunt:

303. a. Rationalismus: rationalismum hic dicimus eorum conatum (ut verbis utamur magni Pii Papæ IX) qui præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare et extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eam humanæ refragari rationi. Quo nihil certe dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Sane, etiamsi fides sit supra rationem, non est tamen contra ipsam, neque ulla vera dissensio inter utramque; cum utraque sit ab uno eodemque principio immutabili, Deo nempe, qui utrique scopum suum præfixit, ut sibi mutuam ferret opem, et altera alteri luci ac subsidio esset. Ac primo (ad rem cl. Perrone) ratio per fidem perficitur; problemata quæ sibi permitta aut ægre solummodo et imperfecte, aut nulla fortasse ratione solvere poterat circa Deum, mundum ac hominem, facile attingit; ejus dominium amplificatur atque protenditur, impulsione sentit ad difficiliorum investigationem pertentandam. Vices deinde fidei reddit, dum admittitur ejus ingredi penetrantia, scientifice veritates quas accepit, expendere, nexus illarum ostendere, eas suasibiles reddere, systema ex illis universum efficere, atque ejusmodi motiri, quibus quoad ejus fieri potest, intelligentiam fidei nanciscatur¹.

304. b. Semirationalismus: sicut olim a Pelagianismo originem habuit semipelagianismus, ita a rationalismo recenter effluxit semirationalismus; quo indicamus doctrinas quorundam pseudocatholicorum, qui licet videantur Rationalismum, ut in se est, palam rejicere, tales tamen sententias promulgant, quæ si logice et attente evolvantur, ad easdem consequentias trahunt. Isti videlicet, tametsi fateantur fidem catholicam non adversari naturali hominis rationi; ita tamen quibus-

la Religione. — Martinet, *Veille du peuple; Solution des grands problèmes*.

¹ V. Perrone, *Prælect. Theol. in compend.*, vol. I, *Hist. Theol. synopsis*, n. 9. Et fusius *De locis Theolog.*, part. III, ser. I. — Bergier, *Dictionnaire*, v^o Rationalisme. — Stapf, § 168.

dam novis et resonantibus verbis hanc secundam describunt, ut primatum ei super fidem concedere non erubescant. Ecclesiam catholicam non negant, sed Lutheri et Calvini diceris jam a sæculo XVI exoletis concinentes eam nobis exhibent cruentis vulneribus onustam, deformatam, et talem uno verbo, cui *frontem ruga senilis aret*, et ideo volunt ad præsentem populorum consuetudines esse suis in doctrinis tam moralibus quam dogmaticis accommodandam (*le catholicisme modernisé*): quasi nempe sapientissimus ejusdem Auctor et Pater Christus Jesus non sit idem *heri et hodie, ipse et in sæcula*, et frustra de sua Ecclesia pronuntiaverit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Admittunt supremum veritatis tribunal; sed illud in opinione hominum, quam dicunt *universalem*, collocandam esse docent: vitam æternam tanquam ultimum finem nostrum non diffidentur; sed volunt ejus quasi viam et initiationem habendam esse felicitatem civilem, materiale atque terrenam, licet compertum omnino sit felicitatem, ad quam conditi sumus, talem esse, *quam mundus dare non potest*. Et alia similia, quæ recentioribus quibusdam Scriptoribus (præcipue italibus), quos *liberales* appellant, sed melius dixeris *libertinos*, legere est¹.

305. c. Progressismus: progressismi nomine, ut est fidei impedimentum, eorum intelligimus insaniam, qui divinæ revelationi bello indicto humanum progressum laudibus efferunt, et hunc in Religionem ipsam catholicam ausu sacrilego inducere nituntur, perinde ac si fides nostra non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum inventum, quod humanis modis perfici possit: *Abominabiles facti in studiis suis* (ad rem Pius IX) *humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi subicere, ac Dei eloquia invertere contendunt, summo opere Deo ipsi injuriam inferre non reformidant qui cælesti sua Religione hominum bono, atque saluti clementissime consulere est dignatus*; quæ verba tanti Pontificis retulisse, progressivismum radicaliter confutasse est.

Utique vel in ipsa catholica Ecclesia admittendus est aliquis progressus et quidem maximus; sed qualis? tales qualem describit Vincentius Lirinensis in suo Commentario, ut nempe *vere profectus sit ille fidei, non permutatio; si quidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaqueque res amplificetur; ad permutationem vero*

¹ Qui capit valde accuratam semirationalismi descriptionem, adeat egregium opus, *La Civiltà Cattolica*, ser. I, vol. VIII, anno 5, pag. 585; et Allocutio Pii IX, *Singulari*, 9 dec. 1854 (apud *Civ. Catt.*, ser. II, t. IX). — Carci, *Una divinazione sulle tre ultime Operi di V. Gioberti, i Prolegomeni, il Gesuita moderno e l'Apologia*.

ut aliquid ex alio in aliud permutetur. Erit itaque verus atque eximius in Ecclesia catholica progressus, si hæc *annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, ita tamen ut incorrupta et illabata permaneat, et nihil in natura sua permutationis admittat, neque ulla patiatur proprietatis suæ dispēdia.*

306. d. Massonismus : complectimur hoc vocabulo omnes sectas illas clandestinas (quomodocumque tandem noncupentur, cum in more habeant nomen sibi in dies diversum imponere, ut facilius latescant) quarum scopus est divinam Ecclesiæ auctoritatem, et leges acerrime oppugnare, legitimam Principum etiam sæcularium potestatem frangere, omnia uno verbo tum sacra tum civilia conculcare : imo si fieri posset christianam religionem funditus evertere. Hinc Manuale Massonum habet inter cetera : « Pourquoi dans toute la maçonnerie ne rencontre-t-on pas un seul symbole chrétien? Pourquoi le compas, l'équerre, le niveau? Pourquoi le nom du Christ n'est-il pas proféré une seule fois dans les serments? Pourquoi n'y voit-on pas figurer la croix? — Le pourquoi, le voici : Une maçonnerie chrétienne serait une flagrante contradiction, un cercle carré¹, » etc. Eas porro sectas damnarunt Pontifices fere omnes a Clemente XII ad regnantem Pium IX, inflicta *pœna excommunicationis ipso facto, et reservatæ tam in eum, qui ab iisdem societatibus, earum cœtibus, conventiculis et aggregationibus non se abstinet, vel easdem quoquomodo juvat ac fovet; quam in eum, qui illos non denuntiat, quos noverit his societatibus nomen dedisse vel consilium, auxilium aut favorem præstasse.* Iterum sub excommunicatione ipso facto incurrenda ac reservata *prohibentur omnes libri, statuta, manuscripta, codices harum societatum sicut etiam illos vel legere vel retinere : quod item valet de omnibus libris ad illorum defensionem exaratis*². Quæ omnia legitimo superiori sub gravi tradi debent.

Massonismi tunc enascentis perniciosissimos effectus cum lacrymis divinando aiebat Alphonsus noster : « Cette secte sera un jour la ruine non-seulement de l'Église, mais des royaumes et des souverains; les rois n'y prennent pas garde; mais ils s'apercevront trop tard du grand dommage qu'elle leur causera. Les hommes qui ne craignent pas Dieu

¹ V. Storia, dottrina, scopo della Framassoneria scritta da un framassone che non è più. Vienna, 1862.

² Clemens XII, Constitut. *In eminenti* 1758. — Benedictus XIV, Constitut. *Providas* 1751. — Pius VII, Constitut. *Ecclesiam* 1821. — Leo XII, Constitut. *Quo graviora* 1825. — Gregorius XVI, *Encycl. Inter.* — Pius IX, *Encycl. Qui pluribus* 1846. — V. Etiam appendix I in fine voluminis. — Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni*, ecc.

ne craindront pas davantage les rois⁴. » Quod ille prædixit, ipsi nos vidimus, quid enim? omnia depopulata sunt, societatis basis ac ordo subversus; potestatibus sublimioribus omnis denegata obedientia; imperantes expulsi sunt, derisi sunt, iniquissime conculcati sunt. Quæ autem contra Ecclesiam ejusque auctoritates hodie intentantur mala, modos omnes excedunt. Submissio et obedientia locum cessit revolutioni, qui fructus est insignis ac pestilentissimus hujus ætatis. Inter ceteros caveant diligentissime Clerici omnes, ac præsertim Seminariorum alumni a satanicis impiorum artibus, quorum scopus est ut a veræ fidei et Ecclesiæ doctrinis juvenes sacræ militiæ proludentes passim avertantur, et iniquissimis Massonum sectis valeant pedetentim aggregari. Videant, et omnimode detestentur horrida hæc monita, et præcepta quæ secreto dari solent a perversis illis de infernali societate, qui juventutis educationem ex officio suscipiunt⁵.

307. e. Biblismus : nemo ignorat per totum orbem inductas fuisse (Lugduni primum anno circiter 1804), et audacissime vagari quasdam hominum societates, quas *Biblicas*, vel etiam *Biblistum* appellant. Hæc veteram hereticorum artem renovantes contra Ecclesiæ regulas libros sacræ Scripturæ vulgaribus quibusque linguis translatos et saepe etiam perversis explicationibus præditos, non cessant ubicumque diffundere sine numero, vel gratis elargiendo vel minimi vendendo. Quorsum hæc? Non alio profecto fine, quam ut omnes fideles assuescant sacras Paginas privato judicio interpretari, sicque se a Divina traditione, a Patrum doctrina, et ab Ecclesiæ catholicæ sensu pedetentim subducere, et more lutheranorum ac calvinistarum emancipare in iis, quæ ad fidem et æternam salutem pertinent. Hinc valde pertimescendum, ne vel corruptione vel interpretatione perversa *Evangelium Christi Domini, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est, Evangelium diaboli*, ut verbis utamur Doctoris Maximi. Deus nempe ipse, ne fideles sui circumferantur *omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris*, vivam et infallibilem constituit auctoritatem, quæ legitimum sensum suæ revelationis doceret : quæ quidem viva et infallibilis auctoritas non in privato cujusque sensu residet, sed in sola romana Ecclesia, cujus solius est judicare de vero sensu et interpretatione sacræ Scripturæ⁷.

In *Biblicas* societates eliminandas toti fuerunt recentiores Pontifices,

⁴ Vid. Tannoja, *Della vita ed istituto di S. Alfonso Maria de' Liguori*. Torino, Marietti, 1857, l. III, c. xxv.

⁵ Ségur, *La Révolution*, pag. 45 et seqq.

⁷ V. *Cattolico*. Giornale religioso. Lugano, t. XXV, p. 225. — *Amico Cattolico*, vol. XII, p. 15. — *Annali Religiosi*, serie II, vol. IV. — Martinet, *Solution des grands problèmes*.

Pius VII, Leo XII, Gregorius XVI et Pius IX¹: qui omnes declarant gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere præsumpserint: quo quidem gravi peccato etiam se commaculant omnes talia Biblia legentes.

308. *An (quæres) saltem legi possit versio Bibliorum in lingua vulgari, si facta sit a catholicis viris?* R. Vel tales versiones editæ sunt cum adnotationibus desumptis a sanctis Ecclesiæ Patribus, doctisve ac catholicis viris; vel agitur de aliis tali qualitate carentibus. Si 1, versiones hujusmodi cœceduntur; nullum siquidem tunc est falsæ interpretationis periculum. Si 2, etsi olim receptum fuerit, ut res tota solius Episcopi, imo vel Confessarii judicio definienda relinqueretur; hodie tamen propter abusus ex Biblicis societatibus præsertim provenientes, non licet fidelibus tales versiones legere aut relinere *sine licentia Sedis apostolicæ*: et qui contra facere præsumpserint, absolute non erant donandi, nisi prius Biblia illa Ordinario reddiderint. Ita expresse declaravit S. Indicis Congregatio Decreto 12 junii 1757, confirmato 25 jan. 1836². — Diximus *sine licentia Sedis apostolicæ*; nam Leo XII speciali mandato (24 maii 1825) hanc facultatem sibi et successoribus suis reservavit. Hinc ad quesitum: *Utrum permittenda impressio versionis antiqui et novi Testamenti exaratae per Rev. Antonium Martini sine textu latino, et sine notis*, Sacra Indicis Congregatio respondit: *Negative*³.

Hæc intercedit differentia inter illum qui Scripturam legit vel tenet lingua vulgari sine notis versam: quod si versio sit facta a viris catholicis et catholica sit, incurrit tantum peccatum mortale; quia facit contra grave Ecclesiæ præceptum. Si vero versio sit hæreticaliter facta, et ab hæretico, ut est versio Diodati, incurrit etiam excommunicationem reservatam; cum ob hæresim damnata sit versio illa, et ab hæretico auctore prodierit. Quod talis revera sit versio Diodati, dubium esse nequit; nam est, 1. *ab hæretico*, cum ipse sit de Calviniana secta; 2. *hæreticaliter facta*; nam aliqui sunt libri penitus omisso, et alii adulterati.

¹ Pius VII, 1 junii et 4 sept. 1816. — Leo XII, 3 maii 1824. — Gregorius XVI, 24 maii 1844. — Pius IX, *Qui pluribus* 1846. — IV. Bulla *Auctorem Fidei*, propos. 67 et 68.

² Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VI. — Et Appendix III, in fine voluminis, omnino legenda.

³ V. *Amico Cattolico*, ser. I, vol. VII, pag. 279: quod pari ratione affirmant, etsi una cum versione adsit latinus textus, sed sine notis. Hoc tamen non currit de illis Bibliorum partibus, quæ in libris spiritualibus leguntur; idque ex recepta consuetudine et tacita superiorum approbatione, si tamen versio catholica sit: quod hodie maxime notandum est.

309. *f. Indifferentismus*, alio nomine *tolerantismus*: porro alius est *civilis et politicus*, quo scilicet Princeps diversas religiones in sua ditione tolerat; alius *religiosus* seu *theologicus* qui omnes religiones æque bonas tenet ad salutem consequendam. Primus potest tolerari ad majora cavenda mala: *Quamvis infideles*, ait D. Thomas, *in suis ritibus peccent, tolerari possunt*¹. Secundus tamen qui in Religionis negotio facit unicuique libertatem, ut quæ sibi verior sententia visa fuerit, eam teneat, absurdissimus est; cum enim veritas una sit et indivisibilis, quicumque cum ipsa non est, falsitatem sectatur. Hinc Apostolus monet, *unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma*; et habemus ex ipsius Servatoris testimonio, *eos esse contra Christum, qui cum Christo non sunt*²; et infelicitè dispergere qui cum ipso non colligunt. Hinc Hieronymus, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitetur, constanter exclamasse: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est*³. Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus; opportune enim responderet Augustinus: *Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod præcisum est de vite; sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice*⁴? — Hoc ergo systema non est aliud, quam turpissima species infidelitatis privativæ, et error pestiferus ætatis nostræ, contra quem oportet Ecclesiæ Ministros viriliter dimicare: id enim commendavit Leo XII Encyclica *Ubi primum* ostendens quam facile indifferentismus religiosus convertatur in deismum, imo in atheismum ac materialismum. Regnans autem Pius IX vocat indifferentismum *systema horrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans*.

Si quis ergo nos hic de intolerantia audacter accuset, et quærat cur pacem nolumus in rebus fidei nostræ cum sectis adversariis, facilem ei dabimus responsum illis Tullii verbis (si tamen ipsis hæc in re uti liceat): *Cur pacem nolumus? quia turpis est; quia periculosa est; quia esse non potest*⁵. *Quia turpis est*: quid enim magis turpe; quid magis fœdum in homine sincere catholico, quam veritatem cum errore manifeste et advertenter pati, vel etiam solummodo sese indifferenter erga illum habere? *Quia periculosa est*: qui enim veritatem agnoscens non abhorret ab errore contrario in rebus quæ æternam sa-

¹ 2, q. 10, a 1. — ² Eph. iv; et Luc. xi.

³ Ep. LVIII. — ⁴ In Ps. contra part. Donat.

⁵ Philippica VII. « La vérité peut autant tolérer l'erreur qu'un géomètre peut souffrir qu'un triangle ait quatre côtés. » Taparelli, *Saggio teoretico*. — V. Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la Religione*. — Ségur, *Réponses courtes et familières*, etc. — Balmès, *La Religion démontrée à l'intelligence des enfants*.

litem respiciunt, evidentissimum incurrit periculum a fide paulatim discedendi et errorem ipsum amplexandi; cum, teste experientia, tam facile sit errantium corruptione cor hominis corrumpi, et eorum tenebris mentem obvolvi. Tandem *quia esse non potest*; clamat Apostolus: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* (1)?

310. Q. 2. *Quid de recenti fidei impedimento in Italia?*

R. Summus Pontifex Pius IX, Encyclica *Nostis* data ad Archiepiscopos et Episcopos Italiæ (8 decembris 1849, Neapoli in Suburbano Portici) solertissime indicat recens quoddam et peculiare fidei impedimentum in Italia inique serpens. Est autem audacissimus pravorum conatus, qui diabolicum iniere consilium de *Italis populis traducendis ad Protestantium placita et conventicula*. Quod ut obtineant, pluribus utuntur mediis; inter cetera sunt *societates biblicæ, studium occupandi cathedras in catholicis scholis, domicilium in regionibus catholicis cum emptione bonorum, et publicum ibidem exercitium sui cultus, editiones librorum in quibus eorum doctrina traditur passionibus amica, incitamenta, exhortationes et etiam pecuniarum aliquando elargitiones, theoretica prædicatio in privatis etiam domibus, matrimonia mixta inter protestantes et catholicas promota, vulgatæ ephemerides, demum calumniæ et diceria quibus putide Religionem catholicam insectantur*. Præsum iccirco omnium curas ea de re impensius excitando Christi Vicarius remedia præbet ad tantum periculum eliminandum, et sunt:

1. Populum de paratis sibi insidiis edocere, et diligentissime in doctrina christiana instruere, ut vitam ad illius normam component; — 2. ecclesiasticorum omnium (præsertim qui in animarum cura zelum accendere, ut *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in dictam christianæ plebis instructionem incumbant, illud spectatim dogma singulis inculcantes, sine fide catholica impossibile esse placere Deo, et æternam consequi salutem*; — 3. in orationibus publicis fideles laicos una cum Clero peculiare identidem Deo gratias agere pro accepto catholicæ Religionis beneficio, et suppliciter una simul efflagitare, ut ejusdem professionem in regionibus nostris tueri et inviolatam conservare dignetur; — 4. Confirmationem tempestive suscipere ad fortiter pugnandum, et sæpius Pœni-

¹ II Corinth. vi.

² Hæc media recenset cl. Perrone, qui alia addit quibus utuntur protestantes ubique: nempe jubilæum reformationis, anniversarium reformationis festum, missiones apud infideles, et studium conversionis Judæorum. *Prælect. de vera Relig.*, part. II, n. 251.

tentia expiari atque SS. Eucharistia muniri; — 5. Parochorum aliorumque Sacerdotum studiis in ordinario prædicationis ministerio adjungere interdum extraordinaria spiritualium Exercitiorum et sacramentorum Missionum subsidia; — 6. blasphemiarum in Dei nomen et in Sanctos horrorem cunctis inspirare, et alia graviora scelera cum magno scandalo conjuncta eliminare, uti sunt concubinatus notorii, violatio dierum festorum et præcepti ecclesiastici circa jejunia, ciborum delectum, et similia; — 7. viros insignes et sana doctrina præstantes impense ad hoc inflammare, ut contra libellos impios, ephemerides et pagellas illas *mendacii, calumniarum et seductionis plenas, quas novæ artis librariæ pravo usu vaferrimi Ecclesiæ inimici in vulgus edere et multiplicare quotidie non intermittunt*, alia ipsi parvæ item molis scripta de Episcoporum voto et approbatione in lucem edant, et prout locorum et personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundant; — 8. tandem pietatem, venerationem atque observantiam in christiano populo insinuare, fovere, tueri et alte defigere erga supremam Petri Cathedram, ubi sedet verus Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor (U).

311. Q. 3. *An pro fidei nostræ dilatatione solliciti esse debeamus?*

R. Affirmative: præstat, ut non tantum fideles amoveamus a periculo infidelitatis, sed ut pro nostro posse² vel ipsos infideles adducamus ad fidem. « Quisquis enim (ad rem *Stapf*, § 166) præsentem hominis conditionem, atque absolutam Religionis christianæ necessitatem perspectam tenet, profecto nihil magis in votis habere potest, quam ut Regnum Dei quaquaversus dilatetur. Quod ut eveniat, non tantum quotidie orare, sed etiam pro viribus conferre jubemur: si enim Deum vere diligimus, quid nobis prius esse potest, quam ut ipse et quem misit, Jesus Christus ab omnibus cognoscatur adoreturque, et ut benignissima ejus consilia in provehenda hominum salute per neminem frustrentur? Idem officium ex charitate fraterna resultat, cujus indoles

¹ V. Theiner, *Dell'introduzione del Protestantismo in Italia*. Roma, 1850. — *Annali Religiosi*, ser. II, fasc. 26. — Perrone, opera citata; it. *Il Protestantismo e la regola di fede*. Huc etiam apprimè faciunt pro populo, *Collezione de buoni libri*; it. *Lectures catholiques*; *La buona settimana*. Torino. Quas omni studio divulgare oportet; it. laudatus Perrone, *Catechismo intorno al Protestantismo ad uso del popolo*. — *Opuscolletti religiosi e morali specialmente appropriati alle presenti condizioni*. Verona, 1860.

² Hoc valent omnes orationibus et elemosyna. Sed præcipue studium Religionis dilatandæ nobis Ecclesiasticis incumbit. Quis sanè dixerit illum Clericum spiritum ecclesiasticum possidere, qui indifferens est sive propagetur Religio, cujus minister est, sive non? Male cogimur ominari de illo, quem zelus domus Dei non comedit.

est, ut alios destinationis nostræ consortes reddamus. Cum igitur ad destinationem nostram feliciter consequendam Religio necessaria sit, quis non videt, hujus dilatationem inter omnia charitatis obsequia locum facile primum obtinere? »

Tu pueriliter pueros (ita Religionem alloquitur D. Augustinus), fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum sed et animi ætas est, exerce et doces; tu fœminis viris suis non ad explendam libidinem sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem casta et fidei obedientia subjecis; tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorum sexum, sed sinceri amoris legibus præficias; tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis; parentes filiis pia dominatione præponis; tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore quam sanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitatem servatis naturæ voluntatisque nexibus mutua charitate constringis. Tu dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere; tu dominos servis summi Dei communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coercendum propensiores facis; tu cives civibus, tu gentes gentibus, ac prorsus homines hominibus primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis; mones populos se subdere regibus... ostendens quemadmodum et nos omnibus et omnibus charitas et nulli debeatur injuria¹ (V).

312. Quidnam (quæres) agendum est a Parocho ad fidei impedimenta eliminanda in Parœcia sua? Parochus hæc peragat diligentissime: ac 1. oves sibi commissas opere, sermone et exemplo in fide confirmet, Religionis apologiam identidem adstruendo, motivis credibilitatis. Et ab iis vitiis studiose avertat, quæ fidem pedetentim extinguunt, uti sunt superbia, impudicitia, blasphemia, etc.; — 2. populum interdum commoneat de obligatione gravi denunciandi hæreticos, vel suspectos intra tempus statutum. Et cum (dicente sancto Leone²) magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui inserviunt diabolus debellare, omnia opera Parochus populo detegat multiformes inimicorum er-

¹ Lib. I, De moribus Eccl.—V. Civ. Catt., ser. II, t. I: L'incivilitamento e la Chiesa; ser. III, t. VI: Dell'influenza religiosa nella società; ser. IV, t. II, La civiltà a piè della croce.

² Serm. VIII.

rores et machinationes, ut sibi caveat; — 3. caute invigilet, ne in Parœcia sua libri perversi circumferantur: et si quos invenerit damnatos, curet ut quamprimum deferantur ad Episcopum vel comburantur, ut supra dictum est; — 4. nitatur superstitiones eliminare, uti sunt sortilegia, veneficia, divinationes et aliæ vanæ observationes, quibus innixi quidam jactitant se scire et prædicere futura, morbos curare, thesauros detegere: quæ quidem fidem non parum labefaciunt. Ideo etiam curet ut a Parœcia arceatur (implorato si fieri poterit, judicis sæcularis auxilio) tam improbum illud hominum genus, quos zingaros vocant: quam garruli circulatores, qui indulgentias apocryphas, falsa miracula, ineptas orationum formulas promulgant¹; — 5. si quos habeat Parochianos qui mercaturæ exercendæ, vel addiscendæ artis causa ad loca hæreticorum conferre se soleant, studeat avertere plusquam poterit, vel saltem eos accurate doceat quæ a Clemente VIII tradita sunt circa communionem fidelium cum hæreticis. Valde autem commendanda consuetudo, ut ad Pœnitentiam et Eucharistiam accedant, tam cum discedunt, quam cum ad patriam isti revertuntur.

313. Quid (addes) agere deberet Confessarius vel Sacerdos, si hæreticum inveniat, qui velit ad Ecclesiam catholicam venire?

Hæc præcipuæ: 1. maxima imprimis charitate et benevolentia eum excipiat atque interroget, quomodo hæc ei vocationis gratia contigerit? cur sectam suam velit relinquere? cur nostram fidem amplecti? Hæc cautela necessaria est, quia extant homines fraudulentissimi, qui sub pietatis velamine unice quærunt sibi sustentationem et bona temporalia. Quo explorato, si videat hæreticum proposito suo firmiter inhaerentem, eundem excitet, ut quærat Regnum Dei et gratiam cum fiducia. Nec tamén facilis sit in auxilio temporali ipsi promittendo.

¹ Si qui eleemosynam emendicando circumeant asserentes se ad fidem Catholicam conversos, ne facile credat parochus; imo si fieri possit, consistere hosce in Parœcia non sinat, sine litteris commendatitiis ab Episcopo probatis; et ubi secum habeant mulieres, requirat testimonium conjugii, si conjuges se dixerint: vel fidem Baptismi, si dicant se parentes.

2. Bene prospiciat utrum iste sit hæreticus formalis, an materialis tantum. Si sit materialis tantum, eum doceat res scitu necessarias necessitate tam mediæ quam præcepti, Catechismum Diœcesis adhibendo, et sic eum præparet ad Confessionem peccatorum suorum et fidei nostræ professionem. Deinde proprium Episcopum vel ejus Vicarium generalem consulat circa abjurationem private aut publice emittendam, nec non circa Baptismi renovationem, quæ ætate nostra videtur ferme semper necessaria saltem sub conditione. Si vero sit hæreticus formalis, Dei auxilio innixus (quod in omni hypothesi nunquam implorare cessabit) disputationes iterato assumat, ordine retento, quem Tractatu *De Locis Theologicis* ferme omnes sequuntur. Agat nempe de unitate et necessitate fidei, de notis Ecclesiæ, de necessitate judicis visibilis in controversiis fidei, de sensu privati absurditate, de dogmate Primatus Pontificii honoris et jurisdictionis, ceterisque omnibus in quibus hæretici a nobis discordant.

3. Caveat in omni casu, ne per inanes controversias traducatur, ne libros aut alia objecta magni pretii commodat, ne sese nimis eidem familiarem exhibeat. Uno verbo ne faciat quod factum nollet, si hæreticus iste conversionem suam non perficiat.

314. *Quid vero (dices) si res sit cum infidelibus?* Si res sit cum infidelibus qui paganismum profitentur, ad manus theologo esse debent motiva credibilitatis, quibus eis existentiam divinæ revelationis ostendat; necnon existentiam Ecclesiæ. Quod si judæi sint cum quibus congregari theologus debeat, depromet ex veteris Testamenti libris et vaticiniis in iis contentis quæ Messie præmissionem, expectationem, epochas, munia prædicant, eaque conferre cum novi Testamenti libris ac historia sataget, ut ea adimpleta in Christo Jesu fuisse patefaciat¹.

¹ V. Perrone, *De locis Theol.*, part. III, de theologi munere; aliique Tractatores. Methodus pro hæretici reconciliatione vid. in Synodo Diœcesana Nicœensi anno 1859; et in Pontificali Romano.

DISPUTATIO SECUNDA DE SPE

CAPUT UNICUM

DE SPEI NATURA, DIVISIONE, OBJECTO, SUBJECTO, PROPRIETATE, VITIIS OPPOSITIS, AC REMEDIIS.

315. Q. 1. *Quid est spes?*

R. Spes definitur communiter: *Virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus.* Dicitur: 1. *virtus, quia bonum est, ex R. Psalte, sperare in Domino*¹; — 2. *theologica divinitus infusa*: quia est supernaturale Dei donum juxta illud: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti*²; — 3. *per quam certa cum fiducia*, quia spes ex parte Dei, id est prout innititur Dei auxilio, est certa: *in Dei auxilio, inquit Tridentinum, firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent*³. Cum vero salus æterna pendeat a nostro etiam arbitrio, quod potest deficere, ideo spes ex parte nostra non est certa; 4. *beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus*, quæ ultima verba declarant duplex spei objectum.

Spes autem alia est habitualis, alia actualis; utraque vero vel viva est vel mortua: id est formata vel informis. *Habitualis* est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ, qui perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsum-

¹ *Psal. cxlv.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 20 et seqq.; et *Homo Apost.*, tract. VI, nn. 6 et seqq. Spes generatim sumpta est motus appetitivæ partis in bonum futurum, arduum, sed adeptu possibile: *In bonum*, secus esset timor; *futurum*, nam circa præsens est gaudium; *arduum*, nam quod statim est in nostra potestate, concupiscimus, non speramus; *possibile*, secus haberetur desperatio, non spes.

² *Rom. xv.* — ³ Sess. vi, c. xiii, de Justif.

2. Bene prospiciat utrum iste sit hæreticus formalis, an materialis tantum. Si sit materialis tantum, eum doceat res scitu necessarias necessitate tam mediæ quam præcepti, Catechismum Diœcesis adhibendo, et sic eum præparet ad Confessionem peccatorum suorum et fidei nostræ professionem. Deinde proprium Episcopum vel ejus Vicarium generalem consulat circa abjurationem private aut publice emittendam, nec non circa Baptismi renovationem, quæ ætate nostra videtur ferme semper necessaria saltem sub conditione. Si vero sit hæreticus formalis, Dei auxilio innixus (quod in omni hypothesi nunquam implorare cessabit) disputationes iterato assumat, ordine retento, quem Tractatu *De Locis Theologicis* ferme omnes sequuntur. Agat nempe de unitate et necessitate fidei, de notis Ecclesiæ, de necessitate judicis visibilis in controversiis fidei, de sensu privati absurditate, de dogmate Primatus Pontificii honoris et jurisdictionis, ceterisque omnibus in quibus hæretici a nobis discordant.

3. Caveat in omni casu, ne per inanes controversias traducatur, ne libros aut alia objecta magni pretii commodat, ne sese nimis eidem familiarem exhibeat. Uno verbo ne faciat quod factum nollet, si hæreticus iste conversionem suam non perficiat.

314. *Quid vero (dices) si res sit cum infidelibus?* Si res sit cum infidelibus qui paganismum profitentur, ad manus theologo esse debent motiva credibilitatis, quibus eis existentiam divinæ revelationis ostendat; necnon existentiam Ecclesiæ. Quod si judæi sint cum quibus congregari theologus debeat, depromet ex veteris Testamenti libris et vaticiniis in iis contentis quæ Messie promissionem, expectationem, epochas, munia prædicant, eaque conferre cum novi Testamenti libris ac historia sataget, ut ea adimpleta in Christo Jesu fuisse patefaciat¹.

¹ V. Perrone, *De locis Theol.*, part. III, de theologi munere; aliique Tractatores. Methodus pro hæretici reconciliatione vid. in Synodo Diœcesana Nicaensi anno 1859; et in Pontificali Romano.

DISPUTATIO SECUNDA DE SPE

CAPUT UNICUM

DE SPEI NATURA, DIVISIONE, OBJECTO, SUBJECTO, PROPRIETATE, VITIIS OPPOSITIS, AC REMEDIIS.

315. Q. 1. *Quid est spes?*

R. Spes definitur communiter: *Virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus.* Dicitur: 1. *virtus, quia bonum est, ex R. Psalte, sperare in Domino*¹; — 2. *theologica divinitus infusa*: quia est supernaturale Dei donum juxta illud: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti*²; — 3. *per quam certa cum fiducia*, quia spes ex parte Dei, id est prout innititur Dei auxilio, est certa: *in Dei auxilio, inquit Tridentinum, firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent*³. Cum vero salus æterna pendeat a nostro etiam arbitrio, quod potest deficere, ideo spes ex parte nostra non est certa; 4. *beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus*, quæ ultima verba declarant duplex spei objectum.

Spes autem alia est habitualis, alia actualis; utraque vero vel viva est vel mortua: id est formata vel informis. *Habitualis* est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ, qui perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsum-

¹ *Psal. cxlv.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 20 et seqq.; et *Homo Apost.*, tract. VI, nn. 6 et seqq. Spes generatim sumpta est motus appetitivæ partis in bonum futurum, arduum, sed adeptu possibile: *In bonum*, secus esset timor; *futurum*, nam circa præsens est gaudium; *arduum*, nam quod statim est in nostra potestate, concupiscimus, non speramus; *possibile*, secus haberetur desperatio, non spes.

² *Rom. xv.* — ³ Sess. vi, c. xiii, de Justif.

ptionis non expellatur; de hac habet Apostolus: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc*¹. — Actualis est quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus. De hac ait Realis Psaltes: *In Domino spera*². — Viva est quæ cum gratia sanctificante conjungitur, et invenitur in solis justis. — *Mortua* tandem est quæ caret gratia sanctificante, et ideo esse potest etiam in ipsis peccatoribus.

316. Q. 2. Quodnam est spei objectum?

R. 1: Objectum spei *materiale primarium*, nempe quod primo sperare debemus, est æterna beatitudo, quæ est Deus ipse fruendus juxta illud Domini: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*³. Unde Augustinus: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit*⁴. — Objectum vero *materiale secundarium* sunt auxilium divinæ gratiæ, atque ipsa opera nostra divino isto auxilio peragenda; hæc enim ad Deum possidendum perducunt juxta illud Apostoli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*⁵. Hinc merita nostra spei nostræ fundamentum dici possunt, quatenus sunt conditio, *sine qua non*.

R. 2: Objectum *formale* sive motivum, propter quod sperare tenemur, alii dicunt esse Dei misericordiam, alii omnipotentiam, alii denique promissionem et fidelitatem. Nos censemus hæc simul accepta constituere objectum spei formale: *Misericordia* nempe nos movet, et allicit ad Dei desiderium; *omnipotentia*, seu virtus auxiliatrix adjuvat erigitque animum ad prosequendum bonum arduum; *promissio* denique atque *fidelitas* efficiunt, ut ipsis utpote certis innixi certa cum fiducia salutem æternam, ejusque media expectemus⁶ (X).

317. Q. 5. An spes theologica sit in beatis, in damnatis et hæreticis?

R. spes 1. non est in beatis, ait enim Apostolus⁷: *Spes...*

¹ I Cor. xiii. — ² Ps. xxx.

³ Gen. xv. — ⁴ De Civ. Dei, l. XXII, c. xxx.

⁵ II Tim. iv. — ⁶ V. Thomas, *Quæst. disp.*, q. un.

⁷ Rom. viii. — V. Liguori, *Dissertationi teologico-morali*, diss. II, nn. 9 et seqq.

quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Sane beati jam perfruuntur felicitate illa æterna, quæ est materiale spei objectum. Neque dicas beatos sperare continuationem beatitudinis, et corporis resurrectionem; hæc enim in illis non habent rationem veræ spei. Quod enim pertinet ad beatitudinis continuitatem, hoc ipso quo aliquis est beatus, jam participat totam æternitatem. Quoad corporis vero gloriam, non est quid arduum et futurum beatis qui illam cum tranquillitate expectant; nam habens gloriam animæ, habet jam tutam ac certam causam gloriæ corporis.

2. Spes non est in damnatis; nam *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*¹. Damnati enim semel ac pœnis inferni se addictos conspiciunt, jam ab illo puncto certe agnoscent nunquam fore liberandos, neque supplicia illa finem esse habitura.

3. Spes non est in hæreticis, cum fide careant, quæ est fundamentum spei; proinde spes quæ in ipsis esse videtur, non est vera et supernaturalis, sed naturalis quædam acquisita, inanis et falsa, orta ex persuasionem seu fide humana.

An spes (quæres) sit in animabus purgantibus, in justis viatoribus atque in peccatoribus? Affirmative: ac 1. in animabus purgantibus; quia etsi de beatitudine obtinenda certæ sint, ea tamen et absens est et ardua obtentu; 2. in justis viatoribus: quia isti habent habitum trium virtutum theologiarum; 3. in peccatoribus, nam ex Tridentino peccatores *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*². Excipe nisi in istis adsit peccatum quod directe opponatur spei, uti est desperatio, et sæpe etiam præsumptio.

318. Q. 4. Quonam sensu spes theologica certa est?

R. Hoc sensu spes theologica certa est, quod ex parte Dei innitatur infallibili ejus promissioni, infinitæ omnipotentiae, misericordiae ac fidelitati uti objecto suo formali; ideo nullimode potest deficere. Quare canebat David: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*. Et Paulus: *Spes non*

¹ Prov. xi.

² Sess. vi, c. vi.

confundit¹. — Non est autem certa in sensu hæreticorum, quod nempe ex parte hominis excludatur timor ille salutaris et moderatus, qui nascitur ex opinione propriæ infirmitatis, et quo Deus voluit nostram nos salutem operari, clamante Apostolo: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*. Quare Tridentinum merito damnavit Protestantium errorem: *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac justificari, ex eo quod se absolvi et justificari certo sciat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit*².

Hoc sensu inquietabat Salesius timorem sine spe esse desperationem, spem vero sine timore esse præsumptionem. Verum nedum hic timor spem destruat vel ejus certitudinem lædat, imo eandem maxime fovet, uti explicat S. Bernardus: *Est autem is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei, si quis prudenter advertat; siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum*³.

319. Q. 5. *An spes theologica sit necessaria?*

R. Spes theologica necessaria omnino est in adultis necessitate tam medii quam præcepti: — 1. necessitate medii; nam si agitur de justis, spe indigent, ut recte possint gratias ad perseverandum necessarias postulare: *Qui enim hæsitat, ait Jacobus, non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino*⁴. Si agitur de peccatoribus, ea indigent, ut se ad justificationem disponant; nam Tridentinum ad justificationem hoc inter cetera requirit, ut *spe erigantur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*; —

¹ Ps. xxx; et Rom. viii. — Ad rem piissimus Contenson in *Reflectione* de præcepto fidei: « *In verbis tuis supersperavi*: Ps. cxviii. Non solum speras, sed supersperas, Propheta sancte: supra quid speras? Supra id omne, inquit, quod dici potest: supra id, quod ab homine cogitari potest; supra id, quod dixerunt Scripturæ; supra id, quod prædixerunt Prophetæ; supra id, quod Sancti unquam annuntiaverunt. Supersperavi in misericordia, quæ cum infinita sit, spem omnem longe excedit. Supersperavi in verbis tuis supra celum et terram duraturis, uti promiserunt. Supersperavi in promissis tuis merita excedentibus et vota; quia licet magna sint quæ pronisit majus tamen est quod futurum est. »

² Sess. vi, c. xiv, de Just. — ³ Serm. xv in Ps. dcxc. — ⁴ Ep. Jac., c. i.

2. necessitate præcepti; nam legitur: *Sperate in (Deo) omnis congregatio populi*¹; *Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam*². Hinc Alexander VII hanc n. 1^o damnavit propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium*. Et D. Augustinus: *De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe*³!

Præceptum eliciendæ spei obligat per se, et per accidens. Obligat per se: 1. initio usus rationis, quando nempe æterna beatitudo sufficienter proposita sit tanquam finis, ad quem unusquisque tendere debet, ita ut homo roboretur in prosecutione boni ac fuga mali; 2. saltem semel in anno, secus nec in justitia divina persistere nec meritorie operari possumus⁴; 3. in periculo mortis, ut homo contra tentationes validior fiat, et in Deum ultimum finem mox consequendum feratur.

Obligat per accidens: 1. quando ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, v. g., orationis, quæ sine prævio actu spei exerceri nequit; 2. quando urget tentatio, ut adsit periculum consentiendi, nisi spes animum erigat; 3. quando Christianus in mortale lapsus est et ad justificationem tenetur contendere; 4. quando versatur in periculo desperationis. Ad hæc enim mala avertenda medium est spes.

320. Q. 6. *An Confessarius in suo penitente spem excitare debeat?*

R. Affirmative: imo si omnibus anteactis sæculis id valde fuit opportunum, præsentis ætate est plane necessarium; nam ex quo inter nos audita fuit hæretica illa et horrida Jansenii propositio, cui adeo plausuerunt Quesnelliani, Baianistæ et ceteri damnatæ sectæ sequaces: *Aliqua Dei præcepta sunt impossibilia, deest quoque gratia, quæ possibilia fiant*, vulnus quoddam vere incredibile inflictum est spei Theologicæ, et quædam quasi diffidentia in catholicum orbem diffusa. Hæc autem generat illam indifferentiam religiosam, contra quam adeo vehementer clamant Pontifices et Pastores omnes tanquam contra perexitiosam sæculi pestem⁵.

¹ Ps. lxi. — ² I Petr. i.

³ Tract. lxxxiii in Joan. — ⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 20; *Homo Apost.*, tract. IV, n. 15.

⁵ Ex quo patet quantum Confessarius attente curare debeat, ut in peni-

321. Q. 7. *Quænam spei opponuntur?*

R. Spei opponuntur desperatio et præsumptio: quæ duo sunt ex genere suo mortalia; tum quia opponuntur charitati in Deum, quem vel socordem vel tyrannum faciunt; tum quia opponuntur charitati propriæ; nam ex Apostolo: *Spe salvi facti sumus*¹. Quare Augustinus ait: *Ista duo animas occidere*².

322. Q. 8. *Quid est desperatio, et quænam causæ?*

R. Desperatio est culpabilis animi dejectio, seu diffidentia vel obtinendæ veniæ peccatorum aut auxilii ad emendationem necessarij, ut si peccator dicat cum Caino: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*³. Vel obtinendæ beatitudinis, juxta illud: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiæ omnis*⁴. Ad hanc revocatur incuria salutis, ut si quis vellet semper vivere et cælum linquere; quia spem non haberet, sed illi prorsus valediceret.

Desperatio est peccatum gravius eo quod opponitur virtutibus moralibus, cum spes sit virtus dignior. Est tamen peccatum specie sua minus quam odium Dei vel infidelitas; quia hæc sunt contra Deum secundum quod est in se; desperatio autem est contra Deum, secundum quod ejus bonum a nobis participatur. Etsi autem non sit omnium gravissimum, est tamen peccatum valde periculosum, quia sublata spe, homines præcipites ruunt. Et propterea peccatum ex genere suo mortale divinæ misericordiæ graviter injuriosum; si tamen sit cum plena deliberatione et consensu. Et in dubio an quis consenserit, videndum an ideo solita pietatis officia omiserit; si non omisit, censetur non consensisse, quia desperatio revocat facillime ab exercitio virtutum; secus, si officia illa omiserit (Y).

tentibus actus spei frequenter excitet. Quam in rem contra Jansenistas utatur illis Christi verbis (Matth. xi): *Jugum meum suave est, et onus meum leve: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* Utatur illis Joannis (Ep. 1, c. 7): *Mandata ejus gravia non sunt*. Utatur denique Tridentino, quod jam expresse definierat contra Lutheranos et Calvinistas: *Deum impossibilia non jubere*.—V. Pinamonti, *Il Direttore*, ecc., c. xxviii. — *Nuovo combattimento spirituale*, ecc.

¹ Rom. viii. — ² Serm. lxxxvii de verb. Evang.

³ Gen. iv. — ⁴ Eph. iv.

Duæ sunt præcipuæ desperationis causæ: *luxuria* atque *acedia*. Homo enim luxuriosus fastidit bona spiritualia, ideoque nullam potest fovere spem obtinendi beatitudinem illam, de qua ne cogitare quidem solet. Acediosus vero judicat se ferme non posse mandata Dei observare; et sic abjicit omnem spem beatitudinis sempiternæ.

323. *Quomodo (quæres) Confessarius se gerere debet cum eo, qui ob lapsus suos in desperationem inclinat?*

Si effectus desperationis in pœnitente adjunctam habeat superbiam, quod nempe nimis de se præsumens indignetur sibi lapsum contigisse, purget aurum a scoria, et præmisso dolore, acerbiter illam ex superbia natam conetur extinguere. Quod si videat ipsum in desperationem inclinare ob nimium timorem, nempe propter peccatorum gravitatem, eundem in spem erigat. Dicat 1. suos lapsus eidem, si velit, esse posse initium magnæ sanctitatis, sicuti de tot Beatis constat, de S. Maria Magdalena, Margarita Cortonensi, etc.; et non raro Deum pro sua infinita bonitate vertere lapsum pœnitentis in suam gloriam; 2. Dei misericordiam non metiendam secundum angustias cordis nostri, cum sit sine mensura. Quæ dubitatio esse potest de bonitate Dei, postquam Deus sanguinem, vitam pro nostra salute profudit tot opprobria pro nobis sustinens; et centies et millies nos ab inferno liberavit? 3. Pastorem bonum Jesum sollicitè quærere oviculam perditam, et de ea inventa maxime sibi gratulari; 4. in fastis Sanctorum vix reperiri aliquem specialem favorem a Deo concessum innocentibus, quam pariter vere pœnitentibus non ipse concesserit. Ideo sæpe illud usurpet: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*¹? et cum D. Bernardo proponat considerandas *charitatem adoptionis, veritatem promissionis, tandem potestatem redditionis*².

324. Q. 9. *Quid est præsumptio et quæ ejus causæ?*

R. Præsumptio est temeraria expectatio beatitudinis, vel mediocum ad illam: uti si quis præsumeret in fine salvari et Deum sibi propitium fore, quia aliquod orationis pensum persolvit, aut aliquem Sanctum orat; dum tamen suis indulget cupiditatibus. Præsumptio est peccatum ex natura sua lethale non secus ac desperatio, ob eandem causam: imo cum ipsa

¹ Rom. ii. — V. Liguori, *Consigli di confidenza e di sollievo per un' anima desolata*.

² Hom. de fragment. panum.—V. Dujardin, *De officio Sacerdotis*, part. II, sect. xxi, § 2.

hæresi conjungeretur, si ortum haberet ex judicio speculative falso contra fidem, v. g., si quis præsumeret salvari per sola opera naturalia; vel sola fide sine operibus: ideo in praxi interrogandi pœnitentes, an cum præsumptione adsit nova peccati species? quod etiam valet de ipsa desperatione. Et cum frequentius peccetur per præsumptionem quam per desperationem, contra illam frequentius insurgant pastores atque sacri ipsi concionatores.

Ex dictis patet tripliciter præsumptione peccari posse: 1. si salus obtinenda expectetur propriis viribus, ut volunt Pelagiani; 2. si illa expectetur a Deo sine ulla cooperatione nostra, ut tenent Novatores; 3. si quis confidat Deum sibi fore propitium, etsi interim nolit emendari: hæc ultima species non videtur tollere habitum spei, quia rationem et fundamentum ejus non destruit, etsi gravem inordinationem importet: et in hoc peccant non raro ipsi catholici.

325. Causæ præsumptionis sunt: inanis gloria, superbia et ignorantia. Præsumptio enim, quæ innititur propriis viribus, oritur ex *inani gloria*, cujus proprium est tendere in id, quod proprias vires superat. Præsumptio autem, quæ nimis innititur misericordiæ divinæ (per quam quis sperat se obtenturum peccatorum veniam sine pœnitentia) oritur ex *superbia*, quæ tanti se æstimat, ut credat Deum non velle eum punire, vel a gloria excludere. Tandem præsumptio qua quis putat Deum sibi ob sua benefacta salutem reddere debere, oritur ex *ignorantia*: quod evenit in idiotis.

326. Quid (quæres) agere debet Confessarius cum præsumptuoso? Confessarius debet præsumptuosum a spe ad timorem deflectere, ostendendo: — 1. spem sine timore non esse spem theologicam, sed vitium oppositum, nempe præsumptionem, de qua illud: *Illorum spes abominatio, et ne dicas: miseria Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius*; — 2. sanctum hunc timorem valde commendari juxta illud: *Time Domini omnes Sancti ejus; timor Domini sanctus permanens in sæculo sæculi*¹; — 3. carentiam hujus timoris esse valde periculosam; quia

¹ Job, xi; Eccli. vi; Ps. xxxiii et xviii. — V. Liguori, *Via della salute; Apparuccio alla morte; Opere spirituali*, ecc.; *Op. Mor.*, l. II, n. 21. — Baudrand, *Pensez-y bien*, etc. — Manzoni, *La morale cattolica*, c. x.

de peccato ad peccatum trahit: hinc suadeat meditationem frequentem super novissimis, et lectiones spirituales. Nec quiescat, quamdiu ipsum viderit hoc salutari timore correptum.

DISPUTATIO TERTIA

DE CHARITATE

327. Bonum appetitui nostro propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum appetitum movet, attrahit et inclinatur ad se: porro ista inclinatio, seu propensio dicitur amor seu complacentia. Amor autem multiplex: si enim sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, dicitur *benevolentia*, quasi *bene velle*; si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*, quasi *delectio*; si sit alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur, dicitur *charitas*, quasi nimis carum; si sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Hæc omnia plerumque promiscue usurpantur: maxime charitas et amicitia, quæ unum et idem in Theologia significant¹.

Amor Dei duplex: unus *naturalis*, quo Deus ut auctor naturæ amatur; alius *supernaturalis* (de quo nunc), quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ. Insuper a theologis alius est *amor benevolentia*, quo Deus amatur uti bonum in se (quod etiam confundunt nonnulli cum amore *charitatis*); alius *amor concupiscentiæ* quo Deus amatur uti bonum nobis.

CAPUT PRIMUM

DE CHARITATIS NATURA, DIVISIONE, OBJECTO ET PROPRIETATE

328. Q. 1. Quid est charitas?

R. Charitas definitur: *Virtus Theologica a Deo infusa, qua*

¹ S. Thomas, 1, 2, q. 26, a. 1, 2 et 3; et 2, 2, q. 23, a. 1.

hæresi conjungeretur, si ortum haberet ex judicio speculative falso contra fidem, v. g., si quis præsumeret salvari per sola opera naturalia; vel sola fide sine operibus: ideo in praxi interrogandi pœnitentes, an cum præsumptione adsit nova peccati species? quod etiam valet de ipsa desperatione. Et cum frequentius peccetur per præsumptionem quam per desperationem, contra illam frequentius insurgant pastores atque sacri ipsi concionatores.

Ex dictis patet tripliciter præsumptione peccari posse: 1. si salus obtinenda expectetur propriis viribus, ut volunt Pelagiani; 2. si illa expectetur a Deo sine ulla cooperatione nostra, ut tenent Novatores; 3. si quis confidat Deum sibi fore propitium, etsi interim nolit emendari: hæc ultima species non videtur tollere habitum spei, quia rationem et fundamentum ejus non destruit, etsi gravem inordinationem importet: et in hoc peccant non raro ipsi catholici.

325. Causæ præsumptionis sunt: inanis gloria, superbia et ignorantia. Præsumptio enim, quæ innititur propriis viribus, oritur ex *inani gloria*, cujus proprium est tendere in id, quod proprias vires superat. Præsumptio autem, quæ nimis innititur misericordiæ divinæ (per quam quis sperat se obtenturum peccatorum veniam sine pœnitentia) oritur ex *superbia*, quæ tanti se æstimat, ut credat Deum non velle eum punire, vel a gloria excludere. Tandem præsumptio qua quis putat Deum sibi ob sua benefacta salutem reddere debere, oritur ex *ignorantia*: quod evenit in idiotis.

326. *Quid (queres) agere debet Confessarius cum præsumptuoso?* Confessarius debet præsumptuosum a spe ad timorem deflectere, ostendendo: — 1. spem sine timore non esse spem theologicam, sed vitium oppositum, nempe præsumptionem, de qua illud: *Illorum spes abominatio, et ne dicas: miseria Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius*; — 2. sanctum hunc timorem valde commendari juxta illud: *Timeate Dominum omnes Sancti ejus; timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*¹; — 3. carentiam hujus timoris esse valde periculosam; quia

¹ Job, xi; Eccli. vi; Ps. xxxiii et xviii. — V. Liguori, *Via della salute; Apparecchio alla morte; Opere spirituali*, ecc.; *Op. Mor.*, l. II, n. 21. — Baudrand, *Pensez-y bien*, etc. — Manzoni, *La morale cattolica*, c. x.

de peccato ad peccatum trahit: hinc suadeat meditationem frequentem super novissimis, et lectiones spirituales. Nec quiescat, quamdiu ipsum viderit hoc salutari timore correptum.

DISPUTATIO TERTIA

DE CHARITATE

327. Bonum appetitui nostro propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum appetitum movet, attrahit et inclinatur ad se: porro ista inclinatio, seu propensio dicitur amor seu complacentia. Amor autem multiplex: si enim sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, dicitur *benevolentia*, quasi *bene velle*; si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*, quasi *delectio*; si sit alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur, dicitur *charitas*, quasi nimis carum; si sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Hæc omnia plerumque promiscue usurpantur: maxime charitas et amicitia, quæ unum et idem in Theologia significant¹.

Amor Dei duplex: unus *naturalis*, quo Deus ut auctor naturæ amatur; alius *supernaturalis* (de quo nunc), quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ. Insuper a theologis alius est *amor benevolentia*, quo Deus amatur uti bonum in se (quod etiam confundunt nonnulli cum amore *charitatis*); alius *amor concupiscentiæ* quo Deus amatur uti bonum nobis.

CAPUT PRIMUM

DE CHARITATIS NATURA, DIVISIONE, OBJECTO ET PROPRIETATE

328. Q. 1. *Quid est charitas?*

R. Charitas definitur: *Virtus Theologica a Deo infusa, qua*

¹ S. Thomas, 1, 2, q. 26, a. 1, 2 et 3; et 2, 2, q. 23, a. 1.

diligimus Deum propter se et super omnia; cetera autem propter ipsum Deum.

Dicitur: 1. *virtus*, quia reddit hominem bonum et Deo amicum. Imo ex Apostolo est virtus omnium præstantissima; cum Deum attingat, in eoque consistat: *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*¹; — 2. *Theologica*, imo nulla virtus hac prærogativa ita gaudet, cum illa virtus æque ac charitas circa Deum occupetur, qui totus desiderabilis est; — 3. *a Deo infusa* juxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*²; — 4. *propter se et super omnia*. Propter se, id est propter ipsas suas perfectiones; super omnia, id est super res omnes creatas; — 5. *cetera propter ipsum Deum*; res enim amici sunt in ejus commodum convertendæ. Atqui omnia sunt Dei; ergo per charitatem omnia diligenda sunt propter Deum et in ejus bonum, hoc est in ejus gloriam et honorem convertenda. Unde Augustinus: *Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum; nos autem et proximum propter Deum*³. Et Gregorius M.: *Duo isti amores... duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas*⁴. Sane affectus, quo amatur persona, unus et idem est cum affectu, quo ejus imago amatur.

329. Multiplex est charitas: alia habitualis, et est habitus divinitus infusus actuum charitatis permanentiter habitans ad actus ipsos eliciendos. Alia actualis, et est ipse motus animi (ita Augustinus) ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum. Alia appetitativa, et est qua Deus omnibus creaturis præfertur. Alia intensiva, et est quæ non solum diligit Deum super omnia; sed insuper quadam voluntatis vehementia et cordis conatu quosdam elicit fervoris gradus erga ipsum. Item alia affectiva, quæ in corde tantum sistit: alia effectiva, quæ etiam in operas erumpit.

Addi potest alia vulgaris divisio: quod nempe prout respicit Deum, dicitur charitas erga Deum; prout respicit proxi-

¹ I Cor. xiii. — ² Rom. v.

³ L. VIII, De Trin., c. viii.

⁴ Moral., l. VII, c. x. — V. Liguori, Op. Mor., l. II, n. 22.

dicitur charitas erga proximum. Utraque tamen una est virtus ex S. Thoma; cum unum semper sit motivum propter Deum¹.

330. Q. 2. Quodnam est charitatis objectum?

R. Objectum materiale primum charitatis, nempe quod primo amare tenemur, est Deus juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum; hoc est maximum, et primum mandatum*². — Objectum vero materiale secundarium sumus ipsi nos, et proximus noster; nam est de ratione perfectæ amicitiae non tantum amare eum, quocum amicitia habetur; sed etiam illos, qui cum amico relationem habent. Porro creaturæ intellectuales beatitudinis capaces sunt aliquid ad Deum maxime pertinens. Hinc illud: *Diliges... proximum tuum sicut te ipsum*³.

Objectum vero formale charitatis, seu motivum diligendi Deum, est ipse item Deus, quatenus est bonitas infinita, id est radix vel aggregatio omnium perfectionum; nam charitas importat amare aliquem propter seipsum. Charitate diligitur Deus propter seipsum, ait Angelicus, unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia secundum illud Psalmi 105: *Confitemini Domino, quoniam bonus*⁴. Hinc est verus charitatis actus dicere: *Deus meus, amo te super omnia, quia es bonitas infinita*.

331. Q. 3. An liceat amare Deum amore concupiscentiæ?

R. Michael Molinos Hispanus sæculo XVII inter ceteros errores docuit, quod qui Deum diligit, non debeat unquam secum ipse cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte nec de æternitate; sed totum se soli divinæ voluntati conformare, et ipsi curam de omni re sua relinquere, ita ut nec habeat rationem tentationum diaboli, nec studium iisdem resistendi; sicque sinat, ut in se sine se Deus faciat voluntatem suam. Hoc systema Quietismus vel Pseudomysticismus nuncupatur.

Scripturis repugnat hæc doctrina: *Quærite primum regnum Dei*; inquit Christus⁵; sed quærere regnum Dei non est aliud, quam Deum

¹ 2, q. 25, a. 1. — ² Matth. xxi.

³ Luc. x. — ⁴ 2, q. 25, a. 5, ad 2

⁵ Matth. vi.

amare et cupere uti bonum nobis. Idem nos docuit Patrem suum orare: *Adveniat regnum tuum*. Ad Apostolos autem expresse dixit: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis*¹; sed si optare mercedem in caelis, nempe possessionem Dei malum esset, non eam sic nobis Christus optandam proposuisset. Et in Psalmis: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*². Unde Augustinus: *O tu homo! si titubas in re, esto firmus in spe*³. Et apposite Tridentinum: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis, bene operatur, anathema sit*⁴. Merito Innocentius XI 1686 Const. *Cœlestis*, damnavit propositiones, quibus Molinos systema suum exererat. Et Alexander VIII anno 1690 hanc propositionem: *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens*. — Neque hic aliquid inordinati est, quasi sit referre Deum ad creaturam; non enim hoc amore Deus refertur ad nos tanquam ad ultimum finem; sed potius nos referimus in Deum; cum ideo illum nobis concupiscamus, quia finis ultimus noster est, quo obtento, nil amplius desiderat anima nostra.

332. Sed (quæres) an saltem amor concupiscentiæ adversetur charitatis perfectioni? Franciscus de Fenelon archiepiscopus Cameracensis licet amorem concupiscentiæ non diceret malum et damnandum cum Molinos⁵; tradidit tamen charitatem Theologicam ut sit pura et perfecta, venire debere ad eum gradum, ut nullum amplius involvat propriæ salutis desiderium. Quæ doctrina cum ad Quietismum accederet, dicta est iccirco *Semiquietismus*, et contra eam vehementissime disputavit alter in Gallia episcopus Meldensis Bossuetus.

Refutatur Semiquietismus iisdem ferme argumentis, quibus Quietismus: etenim si ex Christi præcepto oportet nos *primum querere regnum Dei*, et dicere *adveniat regnum tuum*; ergo amor concupiscentiæ non adversatur charitatis perfectioni. Accedit: charitas definitur communi consensu *virtus a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia, cetera autem propter ipsum Deum*; ergo charitas non excludit amorem ceterorum, et maxime beatitudinis nostræ, dummodo hæc refundatur in ipsum Deum. Adde: ipse Deus est qui animæ sui amantissimæ seipsum proponit tanquam præmium suo tempore possidendum: ait enim: *Ego... merces tua magna*

Matth. v. — ² Ps. cxviii. — ³ Serm. cccxlv.

Sess. vi, *De justif.*, c. xxxi. — V. Segneri, *Accordo dell'azione e del riposo nell'orazione*. — Lequeux, *Manuale Compend. Theologiæ Moralis*. — Muzzarelli, *Lettera a Sofia*, ecc.

⁵ In libro, *Vita interior Sanctorum*.

*nimis*¹. Adde: amor concupiscentiæ si cum amore benevolentiae conjungatur, directe et per se tendit non jam in aliquid diversum et distinctum a Deo, sed in Deum ipsum: primario quidem tanquam infinitam bonitatem in se, et fontem omnium bonorum; at simul etiam secundario, tanquam bonum nostrum, et terminum ipsius gloriæ divinæ in nobis, eo quod nos adjuvet ad obtinendum ultimum finem nostrum, qui est Deus ipse. Ergo per amorem concupiscentiæ hoc modo acceptum Deum diligimus sub omni respectu, quo ipse diligibilis est: ergo amor concupiscentiæ est ipsa Dei charitas consummata.

Hinc Apostolus, quem perfectissima utique *charitas Christi urgebat*, Evangelium prædicabat, ut *ejus particeps efficeretur, contendeat in agone, ut coronam incorruptam acciperet*. Et D. Augustinus: *Sic amare debes, ut ipsum (Deum) pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*² (Z).

333. Q. 4. Quot sunt charitatis proprietates?

R. Charitatis Theologiæ proprietates duæ sunt præcipuæ, excellentia et necessitas. Excellentia ex ejus effectibus elucescit: ac — 1. charitas hominem efficit justum, quo nihil præstantius potest excogitari: *Charitas operit multitudinem peccatorum*³; — 2. veram amicitiam constituit inter hominem justum et Deum juxta illud Christi: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*. Iterum: *Vos amici mei estis... jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos*⁴; — 3. perficit omnes virtutes: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Iterum: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*⁵.

Necessitas vero tanta est, ut sine ipsa salus æterna obtineri non possit; sane nemo salvatur sine gratia sanctificante, et hæc a charitate non potest separari. Hinc illud: *Qui non diligit, manet in morte*⁶.

¹ Gen. xv. — V. Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica*.

² Propter has aliasque rationes innumeras Innocentius XII propositiones systema et librum Fenelonii proscripsit; qui cito doctrinam suam penitus coram omnibus retractavit modo illo tam pio, tamque admirando, quem refert historia. — V. Cesari, *Fiori di Storia ecclesiastica*. Ragionamento IX *Sopra S. Pietro*. *Analecta Juris Pontificii*, anno 1855: *Quietisme*.

³ I Petr. iv. — ⁴ Joann. xiv et xv.

⁵ I Cor. xiii; et Coloss. iii. — V. Contenson, *Dissert. vi. Append. commen-datio et elogium charitatis*.

⁶ I Joann. iii. Quamvis charitas a gratia non valeat separari, vult tamen

334. Quatuor autem sunt diligenda, ut monet Augustinus¹: unum quod est supra nos, scilicet *Deus*; alterum, quod *nos* sumus; tertium, quod juxta nos est, scilicet *proximus*; quartum, quod infra nos est, nimirum *corpus proprium*. Primum diligitur ut causa beatitudinis; secundum ut subjectum felicitatis; tertium ut commercium beatæ societatis; quartum ut participium et extensio beatitatis.

Art. I. — De charitatis necessitate relate ad Deum.

335. Q. 1. *An sit speciale præceptum charitatis erga Deum?*

R. Extat profecto grave, atque speciale præceptum charitatis erga Deum: imo hoc est maximum et primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum*². Et S. Augustinus inquebat ad Dominum suum: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me; et nisi faciam, irascaris mihi, et mineris ingentes miseras? parvane ipsa res est, si non amem te?*³

Idem deducitur ex n. 1^o propositione proscripta ab Alexandro VIII: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis*. Sane id, quod est finis, per se debet eligi et amari; cum habeat rationem boni per se: atqui talis est charitas.

336. Modus autem diligendi Deum, ait S. Thomas ex S. Augustino, est eum diligere quantumcumque potest diligi, cum sit infinite diligibilis. De natura igitur ac indole veræ charitatis erit, ut ea sit supernaturalis, interna, appetitive summa, efficax et universalis: — 1. *supernaturalis*, id est a divina gratia proficiscente, secus virtus theologica non esset; —

Sylvius, unam realiter distingui ab alia; quia charitate diligimus Deum, gratia diligimur a Deo. Hoc negat Estius contendens diversitatem esse tantum virtutalem, ratione diversorum officiorum.

¹ L. I, *De Doct.*, c. XXIX.

² Matth. XXII.

³ L. I, *Confess.*, c. v. — V. Liguori, *Riflessioni divote sopra diversi punti di spirito a pro delle anime che desiderano d'avanzarsi nel divino amore*.

2. *interna*, alioquin fictitia esset: hinc illa verba præcepto adjuncta: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*; — 3. *appetitive summa*, ita ut majoris faciamus Deum, quam nos ac cetera omnia, et nempe super omnia ita adhærendo, ut *neque mors, neque vita, neque creatura alia possit nos separare a charitate Dei*⁴. Et sane cum amabilitas sit mensura amoris, Deus qui summe amabilis est, est super omnia amandus; — 4. *efficax*, id est nos efficaciter movens ad ea, quæ Deo placent, secus laborum est amor, non cordis: hinc illud Christi: *Si diligitis me, mandata mea servate*⁵; — 5. *universalis*, ut nempe Deum semper in omnibus præferamus; cum sit infinite præferibilis.

337. Quæ omnia verbis continentur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua*⁶. Deum nempe diligimus *ex toto corde*, quando nostra intentio tota fertur in Deum; *ex tota anima*, cum motus sensuum et passiones ad Dei beneplacitum dirigimus; *ex tota mente*, cum in omnibus rationes æternas consulimus; *ex tota virtute*, cum ob Dei amorem difficultates occurrentes superamus⁴.

338. *Nostra charitas in Deum nonne (dices) debet etiam esse intensive summa, ut Deus omnimode diligatur?* R. Negando; ad substantiam charitatis pertinet quidem, ut Deum diligamus amore appetitive summo, quomodo ipsum diligebat Paulus, quem nulla adversa a Deo separare poterant: non autem amore intensive summo, quomodo matres diligunt infantulos suos. Illic licet sit exoptandus, non tamen est in præcepto, tum quia non est semper in nostra potestate; tum quia intentio est quidem charitatis perfectio, sed solum accidentalis; cum tota sita sit in quadam vehementia, et in conatu affectus. Ex quo exurgit *zelus*, vehemens nempe ille motus, quo homo pro viribus suis repellit quidquid repugnat bono Dei, et amplectitur quidquid ad eum ducit.

Utinam omnes divinus zelus accenderet et non esset modus in modo diligendi Deum; at dolendum, ut dum alios impellimus ad amorem intentionis, in nobis adhuc forsan desideretur amor appetitivus. Cor

⁴ Rom. VIII. — ² Marc. XII. — ³ I Joan. IV.

⁵ Angelicus, 2, 2, q. 44. a. 5. — V. Liguori, *Dell' amor divino, o mezzo per acquistarlo*; *Pratica di amar Gesù Cristo*; *Saette di fuoco*. — S. Fr. de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*.

nostrum potest nonnunquam mensæ rotundæ comparari, in qua non est primus accubitus, sed omnes sedent in honore pares; nulla nulli datur præferentia, neque ipsi Deo.

339. Q. 2. *Quandonam obligat præceptum charitatis in Deum?*

R. Charitas obligat aliquando per se, aliquando per accidens.

Obligat *per accidens*: 1. quando est periculum labendi in mortale, nisi actus charitatis eliciatur, vel aliter superari nequeat tentatio gravis; qui enim tenetur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria; 2. cum urget præceptum contritionis, ut si necesse sit celebrare Sacerdoti, qui sibi conscius est peccati gravis nec adsit Confessarius; nam in actu perfectæ contritionis includitur charitas.

Obligatio vero *per se*: 1. initio usus rationis; *primum enim*, ait S. Thomas, *quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem*¹; 2. in mortis articulo, cum urgeat tempus, quo se homo Deo unire debet, et recta ad illum via eligenda sit; 3. sæpius in vita: id enim vel ipsa divina bonitas exigit; id ipse Deus præcepit, ut nempe *mandatum hoc omnes nos habeamus in corde ac omni loco meditemur*².

340. Sed (quæres) *quoties in vita elicienda charitas?* Alii censent sub gravi eliciendam semel in anno, ut dicunt de actu fidei. Alii semel in hebdomada. At nobis valde arridet sententia Cardenas, qui docet a mortali eum excusari non posse, qui actum charitatis differt per mensem, ac dicimus sententiam hanc uti valde salutarem omnino suadendam. Neque enim poterit homo diu christiane vivere, divina mandata servando, nisi dilectionem erga Deum foveat frequenter et nutrit; nutrire autem et fovere non poterit, nisi per actus charitatis. Notat tamen Croix esse veros actus amoris omnia opera meritoria exercita ad finem placendi Deo, uti est eleemosyna, jejunium: item sufficere, si tales actus in ordine ad alia implenda præcepta eliciantur, ut ad confitendum; cum exercite impleatur præceptum³.

¹ 1, 2, q. 89, a. 6. — ² Dent. vi. — F. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 25.

³ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 8; et *Homo Apost.*, tract. IV, n. 15. Ait

Aliter est, si sola attritio emitteretur in pœnitentiæ susceptione; quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui; et proinde in ea deest motivum principale charitatis. Ceterum præ oculis habenda duplex hæc propositio sub nn. 6 et 7 ab Innocentio XI damnata: 1^a *probabile est ne singulis quidem rigore quinquennii per se obligare præceptum charitatis erga Deum*; 2^a *tunc solum obligat quando tenemur justificari et non habemus aliam viam qua justificari possimus.*

Art. II. — De charitate erga seipsum et proximum, ac de inimicorum dilectione.

341. Q. 1. *An homo seipsum charitate diligere debeat?*

R. Homo debet seipsum diligere ex charitate, nam homo divino præcepto debet proximum diligere sicut seipsum; atqui proximus charitate diligendus est. Adde: amor charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: unde illi sunt charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus; atqui homo necessario debet velle sibi beatitudinem: ergo necessario debet se amore charitatis diligere¹. Immo amor, quo quis se diligit, est fortior amore, quo diligit proximum; quia amor sui non importat tantummodo unionem, sed unitatem. Qui tamen amor ut rectus sit, debet esse secundum naturam rationalem, qua homo sibi velit ea bona quæ pertinent ad perfectionem rationis; non vero secundum naturam sensibilem et corruptam; quo quidem amore se prosequi, non pro-

Gury, 1. præcepto charitatis facile satisfaciunt fideles timorati, quin sæpius actus charitatis eliciant, gaudendo de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendant, ut omnes illum ament et colant atque observent ejus mandata; orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat ejus voluntas; vitando peccatum quia ipsi displicet, etc.; — 2. fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitæ christiænæ studeant, et constanter promptam voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen est fidelibus, ut sæpe explicatos charitatis actus eliciant in vita ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratus sit ad similes actus in morte facile eliciendos.

¹ Matth. xvii. — S. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 5.

prie amor est, sed odium juxta illud Psalmistæ: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*¹.

Homo debet etiam ex charitate diligere corpus suum; est enim sui pars: et licet corpus nostrum non sit capax æternæ beatitudinis Deum cognoscendo et amando; est tamen capax beatitudinis participatæ, quæ ex anima gloriosa in ipsum redundat. « Perfectionner l'esprit et la volonté est ce qui importe le plus; mais l'homme n'est pas un pur esprit; son être est un être composé, et la perfection de l'être est la perfection du composé: le conserver, puisqu'il peut périr, le mettre en ordre, le rendre propre à l'exécution de ce qu'ont disposé l'esprit et la volonté, voilà deux points qui ne sont pas sans importance². » Unde quando Sancti dicuntur odisse corpus suum, id non accipiendum secundum naturam, quæ bona est: sed secundum corruptionem ejus, quæ aggravat animam, et infectionem concupiscentiæ, quæ inclinat ad peccatum. Hinc laudandi qui corpus suum prudenter affligunt ac macerant.

342. Q. 2. *An adsit præceptum diligendi proximum?*

R. Nomine proximi hic intelliguntur illi omnes, qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis, vel ea jam fruuntur. Unde veniunt angeli, beati, animæ purgantes et maxime homines viatores sive justî sint sive non, sive fideles sive infideles, sive amici sive inimici, sive prædestinati sive non. Isti enim omnes non solum sunt creaturæ Dei, quas propter ipsum amare debemus; sed speciali benevolentia amore a Deo vocantur sicut et nos, *in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri*³: ideo amandi sunt amore benevolentia tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres et cohæredes. Diximus tamen *qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis*: hinc damnatos hoc amore diligere non possumus; esset enim contra Dei justitiam.

Quod autem sit speciale ac grave præceptum proximum diligendi, constat ex SS. Litteris: *Diliges proximum tuum sicut teipsum; mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicuti dilexi vos*⁴. Unde eos amare debemus tum interno tum externo benevolentia amore; nemo enim est, qui hoc

¹ Ps. x. — ² Taparelli, *Saggio Teoretico, ecc.*, n. 265. — ³ I Cor. i.
⁴ Matth. xxii; et Joann. xiii.

ipso amore non se diligit (attamen illud *sicut* non pro omni-modæ æqualitate sumendum est, sed pro sola similitudine: norma est, non identitas). Ac 1. *amore interno*: secus non esset amor, sed fictio amoris. Hinc Petrus: *Ex corde invicem diligite*¹. Item constat ex propositionibus, quas Innocentius XI sub nn. 10 et 11 damnavit: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali; præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*; — 2. *amore externo*; nam genuinum amorem opera probant: hinc illud: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*². Qui tamen vere christiane vivit, sufficienter satisfacit huic præcepto quoad actum internum orando pro proximo, vel ex corde recitando Orationem Dominicam; quoad actus veros externos, proximo succurrendo in suis necessitatibus.

*Quandonam (quæres) obligat præceptum dilectionis proximi? Obligat per se, quando per se obligat præceptum charitatis in Deum: illud enim simile est huic*³. Obligat vero per accidens: 1. si odium in proximum nequeat repelli, quin actus eliciantur amoris, qui enim tenetur ad finem, obligatur ad media; 2. quando proximus est in gravi necessitate: alioquin frustraneum esset præceptum.

343. Ut tamen charitas nostra erga proximum sit legitima oportet:

1. Ut sit *sancta* ex suo fine et motivo; proximus enim diligendus est propter Deum: quod est amare in ordine ad Deum, vel quia proximus jam est in Deo, vel ut sit in Deo et cum Deo: *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet*, inquit Gregorius M.⁴; — 2. ut sit *justa* ex suo objecto; scilicet ut nemo *condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis*, ait D. Thomas; secus esset potius illum odisse; — 3. ut sit *vera* ex suo principio, nempe ut nemo *diligat proximum propter propriam utilitatem vel delectationem*, v. g., quia sibi benevolus, quia affabilis, quia lepidus, quia consanguineus, quia sympathicus

¹ I Petr. i. — ² I Joann. iii.
³ Matth. xxii. — ⁴ Rom. xxxviii.

(nam esset amare seipsum, non proximum); *sed ea ratione, quod velit proximo bonum sicut vult bonum sibi ipsi*: idem Doctor¹. Est autem generalis hujus præcepti regula pro parte affirmativa, ut faciamus aliis quæ nobis fieri volumus: pro parte negativa, ut nemini faciamus quæ nolumus fieri nobis.

344. Q. 3. An adsit præceptum diligendi inimicos?

R. Certum est, gravem adesse obligationem inimicos, id est eos qui nos vel nostros oderunt, vel aliqua injuria affecerunt, vero affectu diligendi; legitur enim in Evangelio: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*². Quo in loco ait D. Augustinus: *Dominus in Evangelio ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum*. Accedit et ratio: inimici sunt adhuc proximi nostri et beatitudinis æternæ capaces: ergo sunt diligendi. Hac de re tria habemus: *præceptum* in citatis verbis; *exemplum* quod nobis dedit Christus Dominus; *remunerationem*, si enim proximo remittimus, et Deus remittet nobis³.

Quod præceptum quatenus negativum obligat semper et pro semper, ita ut nunquam liceat vel ad momentum odio prosequi inimicum. Quatenus affirmativum obligat ad positivam benevolentiam et externam beneficentiam pro ratione necessitatis, in qua versatur inimicus noster. Hæc omnia importat divinum præceptum: *Diligite, benefacite, orate* (AA).

345. Q. 4. Quomodo inimici secum ipsi reconciliari debent?

R. Si ex una tantum parte interfuerunt injuriæ, tunc qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur ipse remissionem offensæ exterius petere per se vel per alium, et resarcire damna inde secuta; nam quo modo charitas destructa est, eodem reparari debet. Excipe nisi legitime excusetur, ut si offensio non fuit gravis, vel offensus veniæ petitionem non curet, vel alia ratione censeatur satisfactus. Si vero injuriæ ex utraque parte fuerint moraliter æquales et simultaneæ, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc.

¹ 2, q. 44, a. 7.

² Matth. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 28 et seqq.

³ Matth. vi.

Unde ait Ferraris: *Generaliter loquendo inter æquales is debet prius salutare et alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit*¹. Si tandem inter duos offensores, unus alio gravior, vel prior offendit, ipse tenetur priora reconciliationis signa alteri exhibere.

346. Quænam (quæres) dilectionis signa et beneficia inimicis debentur?

R. Signa et beneficia dilectionis alia sunt communia et alia specialia. *Communia*, quæ communiter omnibus exhibentur, seu potius quæ christiano a quovis christiano, concivi a concive, parenti a parente, pauperi a divite, superiori a subdito et vicissim præstari solent, uti sunt communes orationes, eleemosynæ communes, etc. *Specialia*, quæ exhibentur ob titulum specialem, ut amicitia: tale est ad amicorum convivium invitare, conversationis causa hospitio recipere. Hoc posito:

Dicimus 1: Communia dilectionis signa et beneficia inimicis nostris præbere debemus ex præcepto; ista enim negare esset vindicare injuriam, quod privato nunquam licet. Hinc peccaret qui inimicum excluderet a communi oratione, a communi eleemosyna, ab expositarum mercium venditione, etc. — Excipe si rationabilis causa aliud suadeat: est: *a.* quando agitur de justa punitione et correctione filii vel subditi, qui gravem patri vel superiori suo injuriam tulerit, ut fecit David respectu Absalom, cui etiam remissa offensa, non concessit videre faciem suam²; *b.* quando inimicus signis illis, etsi communibus, abusus sit ad novam inferendam injuriam; *c.* quando ex denegatione talium signorum speretur aliquo modo emendatio inimici. Item pater et mater aspectum occisoris proprii filii vitare possunt, non ex odio, sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem: caveant tamen ne sit ex passione, quod ex zelo esse dicunt.

Dicimus 2: Signa specialia dilectionis non debentur inimicis generatim loquendo; quia eorum omissio non est signum

¹ *Bibliotheca*, etc., v^o Virtus, n. 2. « Mais le plus souvent on ne réussit que par la médiation de quelques amis, qui ont une grande influence sur leur esprit. » Gousset.

² II Reg. xiv.

neque odii, neque vindictæ, cum nec alios ita specialiter diligere debeamus. Excipe adhuc: *a.* si eorum omissio esset scandalosa, ut si inimici essent superiores, vel jam prius ipsis talia signa exhiberentur; *b.* si per aliquod dilectionis signum hujusmodi posses sine tuo gravi incommodo inimicos et Deo reconciliare, et tibi ipsi. Ad hoc namque impelleret charitas secundum illud: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*¹.

An (quæres) *teneamur illum, qui nos offendit, primi salutare, si coram ipso transeamus?* Regulariter non tenemur primi inimicum salutare; quia hæc omissio non est signum odii; neque enim solemus salutare omnes. Excipiendus est casus, in quo vel jam antea salutari soleret; vel scandalum sit oriturum, ut si quis complures sibi occurrentes salutet, excepto inimico, qui est in eorum societate; hæc enim circumstantia satis dat intelligere illius animum. Vel si sit superior, cui ex sua qualitate talis honor jam suapte debetur; vel si demum sine magno incommodo nostro possimus cum tali salutatione ab odio, et culpa gravi revocare; id enim tunc suaderet charitas.

Tenemur tamen inimico, qui nos salutat primo, salutationem restituere; cum hæc omissio clare ostenderet nos illum contemnere, et velle in hostilitate perseverare. Excipe Prælatum, Patrem, Judicem et Superiores ejusmodi, qui salutationem inferiori minime restituentes non videntur peccare, modo id non agant ex affectione odii aut vindictæ; sed ut gravitas illatæ injuriæ percipiatur. Multo magis tenemur inimico veniam petenti elargiri; nam hæc omissio esset aperta declaratio vindictæ et occasio scandali: et *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*².

347. Quæres: *Quando inimicum veniam petenti venia danda est?* Modo longa non trahatur mora (dicente Apostolo³: *Sol non occidat super iracundiam vestram*) docent communiter, nos ad id non teneri statim, nempe illo temporis puncto, quo injuria illata est; quia id videtur res violenta et supra

¹ Rom. XIII. — ² Matth. VI.

³ Eph. IV.

fragilitatem humanam. Unde poterit expectari tempus opportunum, et interea deponatur odium¹.

348. Q. 5. *An liceat de inimico vindictam suscipere, aut ei saltem aliquod malum optare?*

R. Ad 1: Si sermo est de vindicta privata, quæ fit auctoritate privata, eam nunquam licet suscipere de iniquo, dicente Domino: *Mihi vindicta, et ego retribuam*. Et Apostolus: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*². Si vero sermo est de vindicta publica ac gravi, an eam quis sine livore vindictæ possit suo inimico optare et urgere, ut ipse a judice puniatur, affirmant Salmanticenses; refertur enim ad bonum commune, ut mali ab auctoritate coerceantur. *Verum*, ait S. Alphonsus, *in praxi ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum*³; nam utrum isti sint omnis vindictæ labe defæcati, si peculiaris circumstantia non adsit, non video: facillimum est, ut eorum erga justitiam amor sit coloratus prætextus ad tegendam propriæ vindictæ cupiditatem.

Nihilominus judico bene posse absolvi offensum, qui paratus est quidem non accusare offensorem, jus suum prosequendo apud judicem; sed juste prætenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensorem non esset impar satisfaciendo. Vel sub conditione, ut offensorem in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres vel filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensorem est ita ad rixas proclivus, ut juste timeret suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset ejus insolentias.

R. Ad 2: Licet aliquando optare inimico malum aliquod temporaneum, quatenus illi bonum est, v. g., adversitatem,

¹ Hoc sensu Augustinus (*Serm. de verb. Dei*) explicat etiam illud Christi (Matth. VI): *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo*. Id nempe præstandum est juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus et tempus id permittunt; alioquin animi præparatione et cordis affectu hæc præstare sufficit. Ceterum advertite hic agi de eo, quem tu offendisti; nam si ipse te offendit, jam non frater tuus habet aliquid adversum te, sed tu adversum illum, sicque non teneris veniam postulare, sed tantum vere dimittere.

² Rom. XII; et I Tess. V.

³ V. *Homo Apost.*, tract. IV, n. 17; *Op. Mor.*, l. II, n. 29.

ut emendetur. Pariter possumus illi optare malum temporale, vel ob bonum alterius spirituale, vel ob bonum commune Regni aut Ecclesiae, v. g., mortem perduellium juxta illud Apostoli: *Utinam abscondantur qui nos conturbant*¹! Id enim nihil aliud est, quam bonum spirituale præferre temporali, et bonum commune bono privato. Salmanticenses admittunt etiam licitum esse patri optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis familiam dehonestandam; nam ait Angelicus in re simili, *malum optatur non in quantum est malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius*²; quæ mala hic præponderare contendunt.

Quidquid sit, certo non liceret matri optare mortem filiae, si ob deformitatem nequit nubere, vel si inde mater a viro male tractetur; ratio quia nec defectus nuptiarum, nec mala matris tractatio habet cum morte filiae comparisonem.

349. Præstat hic tres propositiones referre ab Innocentio XI sub nn. 13, 14 et 15 damnatas: 1^a *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alienius tristari, et de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentis personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*; 2^a *licitum est ab soluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*; 3^a *licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ab hæreditate consecutas*.

Item neque liceret de morte alterius gaudere ob procuratas divitias; quia semper ordo charitatis graviter turbatur, præferendo nempe nostrum emolumentum temporale vite proximi: et ideo eo in casu voluntas nostram in mortem proximi (vel desiderio, si nondum ea evenerit; vel gaudio, si ea jam secuta sit) inclinatur ob finem sordidum, atque alienum a fine Dei, ut fuse probat Viva has propositiones explicando (BB).

Art. III. — De charitatis officiis in proximum.

350. Q. Quid de charitatis officiis in proximum?

R. Ipsa lege charitatis tenemur non solum optare, ut proxi-

¹ Gal. v. — ² In III sent. d. 5, q. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I, II, n. 50; et I, V, n. 21.

mus bene sit, sed etiam curare quantum in nobis est, ut semper bene se habeat; cum enim diligere eum teneamur uti nos ipsos, non sufficit eum amare affectu, sed effectum insuper amandus est, ut sic *diligamus opere et veritate*¹: unde tot erunt charitatis officia in proximum, quot erunt ejusdem indigentiae. Ex his *miseriordia* enascitur, virtus nempe, quæ nos ex compassione inclinât ad alienæ miseræ subveniendum: cui quidem per excessum opponitur *cordis molli- ties*, per defectum vero *durities*.

Opera misericordiæ magis vulgata, ad quæ cetera reducuntur, sunt septem spiritualia et septem corporalia. *Corporalia* sunt: visitare infirmos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, colligere hospites, et sepelire mortuos. *Spiritualia* sunt: pro nostro posse consulere dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, remittere offendenti, ferre onerosos et graves, orare pro omnibus (CC). — Hinc versus:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

§ I. — De eleemosyna.

351. Q. 1. Quid est eleemosyna, et an præcepta?

R. Eleemosynam sic bene definivit Angelicus: *Est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum*². Dicitur: 1. *opus* quia eleemosyna a nobis hic sumitur non pro ipsa re materiali, quæ datur, bene vero pro ipso actu; 2. *quo datur aliquid indigenti*: quæ enim dantur non indigentibus, pertinent ad liberalitatem; 3. *ex compassione*, quia est actio misericordiæ; 4. *propter Deum*, quia eleemosyna exerceri debet non ob naturalem commiserationem, sed ad implendum Christi præceptum ac voluntatem Dei, ut ea christiana sit.

Speciale ac strictum præceptum dandi eleemosynam ha-

¹ I Joan. III. — Liguori, *Op. Mor.*, I, II, cap. II.

² 2, q. 32, a. 4. — V. Sperelli, *Preziosità dell' elemosina*. Venezia, 1667. — Liguori, *Op. Mor.*, I, II, n. 31. — Ferraris, v^o *Eleemosyna*; est a græca voce quæ misericordiam notat.

betur in Scripturis : *Ite, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam*¹. Ratio: lex charitatis obligat ad amandum proximum sicut nos ipsos; sed hoc nullo pacto evenire potest, si proximo indigenti non opitulamur.

352. Q. 2. *Quot sunt eleemosynæ effectus?*

R. Eleemosyna si facta sit in statu gratiæ et debitis suffulta conditionibus habet, ut sit satisfactoria, impetratoria et meritoria juxta illud Tobie: *Eleemosyna... ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam*².

353. Debitæ conditiones eleemosynæ sunt, ut sit: — 1. justa, id est ut fiat de rebus propriis juxta illud: *Honora Dominum de tua substantia*³; — 2. prudens, ut nempe fiat vere pauperi, non otioso ac valido, *quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Unde prædicatur *beatus qui intelligit super egenum et pauperem*⁴; — 3. velox seu prompta, ut sit opportuna. Hinc illud: *Ne dicas amico tuo, vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare*⁵; — 4. secreta et humilis juxta illud: *Cum facis, eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt... amen dico vobis, receperunt mercedem suam*⁶. Sed aliquando præstat, ut fiat palam ad aliorum exemplum; — 5. hilaris, id est facta libenter: *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*⁷; — 6. ordinata, ut nempe præferat qui præfe-

¹ Matth. xxv; Joann. iii; et Jac. ii. — V. Silvio Pellico, *Dei doveri degli uomini*, c. xxv. — Scotti, *Teoremi*, ecc., p. III, t. VI. — Martinet, *Philosophie du Catéchisme catholique*, I. III, § 5.

² Cap. iii. — ³ Prov. iii. — ⁴ II Tess. iii; et Ps. xl.

⁵ Prov. iii. — ⁶ Matth. vi.

⁷ II Corinth. ix. « Egenis (ex *Stapf*, § 596), ita succurrendum est, ut et eorum verecundiæ parcatur, et inopiæ omni meliori modo consulatur. Caveatur igitur omnis oris frontisque asperitas qua homo paupereulus turbari, vel affligi possit; et simul inspiciatur, qua ratione ejusdem indigentis optime provideri queat. Pro diversis rerum, personarumque adjunctis aliquando expedit, ut summa quædam actu; aliquando autem, ut ei potius

rendi, juxta illud: *Ordinavit in me charitatem*¹; — 7. generalis, ut se extendat ad omnes, etiam inimicos, infideles, et peccatores juxta illud: *Omni petenti te tribue: si esurierit inimicus tuus, ciba illum*². Excipe eos, quibus vitam arripere licet, ut sunt hostes Reipublicæ. Hinc versus:

*Justa sit et prudens, veloxque, secreta libensque
Ordine procedens, omnibus auxilians.*

354. *Quid (dices) de illis, quorum paupertas voluntarie contracta est? Vel hæc voluntas, qua paupertas contrahitur, rationalis est, et Deo grata uti contingere solet in Religiosis; vel etiam nunc voluntas illa est culpabilis et Deo odiosa, uti contingit in pauperibus otiosis et vagabundis. Si 1, licita, imo laudabilis et apud Deum meritoria est eleemosyna iisdem facta; cum vere sit indigentibus tribuere, nullique peccato cooperari: hæc enim paupertas laudata est ab Ecclesia in religiosis Ordinibus, et habet sectatores Sanctos bene multos Apostolos, imo ipsum Christum. Idem dicendum, si paupertas fuerit quidem olim irrationabilis, hodie tamen non amplius sit culpabilis; nec aliter quam eleemosyna possit ipsi provideri. Si 2, redit Apostoli effatum: Si quis non vult operari, nec manducet; esset enim eo in casu alterius pigritiem fovere.*

355. Q. 3. *Ex quibusnam bonis nostris eleemosyna fieri debet?*

R. Ut quæstio rite solvatur, plura sunt advertenda:

1. Necessitatem distingui in *extremam*, et est periculum amittendæ vitæ, nisi ei occurratur; in *gravem*, et est periculum in gravem morbum incidendi, vel incurrendi carcerem, infamiam, etc.; in *communem*, et est illa, qua quis nonnisi difficulter vivit; vivit tamen, ut pauper ostiatim mendicans.

successive ministretur, utque subsidia vitæ modo in pecunia numerata, modo res ipsæ illi obtingant. Cf. Eccli. xv, xviii et seqq.

¹ Cant. ii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. II, n. 33.

² Luc. ii; Rom. xiii. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 19.

³ II Tim. ii. Pauperes extranei e civitate vel parochia expelli possunt quando justa adest causa, v. g., si parochiani vel cives domesticos et extraneos simul alere non possint, si extranei morbum afferant, si in otio torpescant, si perversa dent exempla, si statutum sit ut quælibet parochia et civitas proprios pauperes aleret et eorum curam haberet. Ita Ferraris, *Biblioth. Canonica*, etc., v. Eleemosyna: ubi etiam de eleemosynis quas colligunt Religiosi mendicantes: et de illis quæ colliguntur pro subsidio loco-

2. Triplicis etiam generis distingui bona: alia sunt *necessaria naturæ seu vitæ*, sine quibus vita nostra conservari non potest, nec aliorum quorum cura nobis incumbit. Alia sunt *necessaria statui*, sine quibus non potest aliquis convenienter vivere secundum conditionem sui status præsentis. Alia *superflua vitæ vel statui vel utriusque simul*.

3. Necessaria statui item distinguuntur: alia sunt ad illum simpliciter necessaria, ut est alere se et suos; alia nonnisi ad status decentiam requiruntur, ut sunt quæ juxta æstimationem prudentum necessaria sunt ad hospites sustentandos, ad moderata cum amicis convivia, ad famulos alendos, etc.: qua in re caute procedendum: *Nam si inania quæramus, nihil sufficit*¹. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 12 propositio: *Vix in sæcularibus inveniens etiam reprobis superfluum statui, et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status*. Hoc posito:

Dicimus 1: Eleemosyna non est facienda ex bonis necessariis naturæ, seu vitæ; nam ex lege ipsa naturali quisque potest, imo ordinariè debet suam suorumque vitam vitæ alienæ præferre. Excipe nisi pauper sit talis, a quo salus publica pendeat; quia tunc bonum commune esset præferendum bono privato.

2: Ex bonis necessariis decentiæ status nostri tenemur eleemosynam facere, quando proximus est in indigentia extrema; charitas enim bene ordinata exigit, ut vitam proximi præferamus decentiæ status nostri, atque ut ad eam servandam patiamur aliquod detrimentum in nostro etiam gradu. Utrum autem teneamur cum gravissima etiam ipsius status jactura pauperem levare in extremis, aliqui affirmant; quia semper præponderat vita proximi. Sed alii negant, tum quia majus detrimentum videtur divitem excidere a proprio statu, quam unum, vel alterum pauperem deficere; tum maxime quia hic adest tantum præceptum charitatis, quæ ex communi

rum Terræ Sanctæ; de quibus item. — V. Benedictus XIV, Constit. *Loca Sancta*, 3 martii 1727. — *Civ. Catt.*, ser. II, t. VI: *I luoghi santi*. — *Analecta juris Pontificii*, anno primo: *La Terre Sainte*.

¹ S. Augustinus, in Ps. cxlvii.

non obligat cum gravi incomodo¹. Si tamen extreme indigens bona alibi habeat vel sit habiturus, dives satisfacit dando mutuum; quia ille non esset absolute pauper.

5. Teneamur eleemosynam facere ex bonis vitæ simul et statui nostro superfluis, non solum quando proximus est in indigentia extrema; sed etiam quando est in gravi, si non sit qui subveniat. Sane in Scriptura frequenter damnantur homines ob neglecta opera misericordiæ: *Esurivi et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere*². Ad quid verba tam gravia si eorum sensus referatur ad solam indigentiam extremam, quæ rara omnino? Revera SS. Patres hoc præceptum semper intellexerunt de indigentia gravi. Appellamus Ambrosium: *Grandis culpa, inquit, si sciente te, fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, fumen tolerare, ærunnam perpeti, qui præsertim egere erubescat... et non adjuves*³. Suadet ipsa indoles charitatis; hæc enim præcipit amare proximum *sicut seipsum*: nemo vero putat amari proximum *sicut seipsum* ab illo, qui videns eundem versari

¹ Recte observat Stuardi, statum uniuscujusque non consistere in indivisibili; et vix concipi posse, ut dives debeat e suo statu excedere, ut hominem sublevet in extremis; cum natura paucis contenta sit, et modico indigens sublevetur. Hic etiam notamus, hanc obligationem maxime urgere Ecclesiasticos, ac specialiter Parochos, qui sunt patres pauperum, ac patrimonia pauperum possident: præstat autem, ut etiam verbis egenos adjuvent, eos hortando ad patienter sustinendam propriam conditionem meritis plenam. Hic autem venit commendanda illorum Prælatorum agendi ratio, qui pauperibus antequam temporalem tribuant eleemosynam solent spirituales per suos Clericos eis elargiri; non enim de solo pane vivit homo. c. Præreligiosis (habet Stapf, § 596) illæ misericordiæ speciès commendari merentur, quibus plures honestatis fines simul obtineri possunt, v. g., dum illis qui artem aliquam vel officium callent, laborandi materia et occasio præbetur; dum juventutis cura geritur ut honestis occupationibus assuefiat; ut puellæ quæ ob paupertatem de innocentia vel virtute periclitantur, honeste collocentur, etc. V. *De privilegiis pauperum*. Lugd. 1665. — Salvatori, *Istruzione pratica pei Confessori*, § 15: Per quelli che si lamentano della sinistra fortuna, ed invidiano la prospera degli altri. — Bartoli, *La povertà contenta*, etc.

² Matth. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 52; l. III, n. 520.

³ *De off.*, l. I, c. xxx. — Quæ quidem probare videntur etiam cum aliquo status detrimento subveniendum esse pauperi graviter egenti. Nonne charitas bene ordinata præcipit, ut cum parvo nostro incommodo magnum incommodum alterius impediamus?

in indigentia gravi, subvenire recusat de bonis, quibus sine gravi incommodo privari potest, ut sunt superflua vitæ simul et statui.

356. Q. 4. Quinam tenentur ad eleemosynam?

R. Generatim illi possunt et debent eleemosynam tribuere, qui bona possident et eorum administratione potiuntur; nam de propriis illa facienda est, quia *Dominus odio habet rapinam in holocausto*¹. Et valet, licet proximus sit in extremis, quo casu omnia bona sunt communia; nam etiam tunc si potuisses rem tuam elargiri, et alienam dedisti, teneris ad restitutionem; quia præceptum eleemosynæ te obstringebat, ad subveniendum proximo indigenti de tuis juxta illud Isaïæ: *Frangere esurienti panem tuum*².

Quid (dices) de filiisfamilias, uxoribus, ac servis? Possunt filii et uxores erogare eleemosynas statui proportionatas, in quibus certe parentum et maritorum consensus rationabiliter adesse præsumitur. Etiam tutores possunt facere eleemosynas, quales facere deberent illi, ad quos pertinent bona administrata; cum vices illorum gerant. Hoc tamen non currit de *servis*, quibus nullum competit jus in bona dominorum, si excipiantur modicæ eleemosynæ panis et similium, quas permittit usus, ac domini præsumptus consensus (DD).

§ II. — De correctione fraterna.

357. Q. 1. Quid est correctio fraterna, et an præcepta?

R. Correctio fraterna, quæ etiam dicitur *eleemosyna spiritualis*, est *admonitio, qua quis conatur ex charitate alium revocare a peccato*. Differt tam a correctione judiciali, quia hæc fit auctoritate publica atque ad bonum commune; quam etiam a correctione paterna, quia hæc fit auctoritate Superioris ad bonum privatum simul et publicum. Istæ porro competunt particularibus in suos directos: nostra competit omnibus, cum oriatur ex motivo charitatis, quæ omnes obligat.

Et sane speciale mandatum correctionis fraternæ, proba-

¹ Is. LVIII. — ² Is. LVIII.

tur: — 1. ex jure naturali; quia lex naturæ est, quæ nos obligat ad subveniendum proximo indigenti; — 2. ex jure divino positivo, quod legitur in Evangelio: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*¹; dicitur *in te*, id est *contra te*: ubi sub injuriis nobis illatis, etiam peccata in alios intelliguntur; alios enim habere debemus sicut nos ipsos. Christus tamen meminit solius peccati contra nos, ut vindictam frænaret, illique charitatem surrogaret, ex eaque correptionem, quasi diceret: Si frater tuus quidpiam contra te commisit, noli id ex spiritu iræ publicare et vindicare; sed prius amanter et secrete eum corripe juxta illud etiam: *Corripe proximum antequam commineris*². Dicitur, *frater tuus*, id est omnis fidelis aut Christianus; licet enim etiam quandoque infideles corrigendi sint, cum hoc unicuique mandatum sit; Christus tamen hic meminit tantum fideles; cum in eo loco agat de potestate suæ Ecclesiæ in discolos puniendo; at Ecclesia non nisi fideles subditos judicat et punit; — 3. ex ipso humano jure, ubi legitur³: *Qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat*. Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumque fieri, quamdiu speretur fructus.

358. Q. 2. Quænam est materia correctionis fraternæ?

R. Materia correctionis est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut jam incidit, sed non adhuc emendatus est; cum hoc sit malum proximi gravissimum: ideo tunc correctio sub mortali facienda est, si fieri possit sine gravi incommodo, et cum spe fructus. — Imo etiam culpa venialis potest esse materia correctionis fraternæ, cum et ipsa sit verum animæ malum, et quidem grave in se, licet non relate ad peccatum mortale. Sed tunc obligatio non urget, nisi facillime possis corrigere: et obligat solum sub levi, nisi ex ea omissione correctionis pruden-ter timeatur

¹ Matth. xviii. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 5.

² Eccl. x. Quæ obligatio (ut contra Sa et alios merito probabilius tenent Lessius, Suarez, Salmant, Tournely, etc.) urget, etiamsi in fratre non emendato absit periculum relapsus; quia frater in peccato constitutus jam gravem patitur necessitatem, a qua quisque tenetur, si potest, illum erigere.

³ C. *Qui alios de hæc.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 39.

malum grave, v. g., si ex eo, quod communitatis Superior omittat corrigere leves alumnorum culpas, timeatur disciplinae relaxatio cum gravi communitatis detrimento.

359. Quid (dices) de peccatis ignorantiae? suntne corrigenda?
Si ignorantia est vincibilis, graviter culpabilis et speretur fructus, utique urget praecipuum correctionis; cum proximus sit in culpa. Si vero ignorantia est invincibilis, adhuc correctio fieri debet, sive speretur fructus sive non, si haec ignorantia sit circa ea quae sint necessaria necessitate medii, vel sint publici scandali, ne scilicet alii putent id licere quod in talibus non corrigitur. Si tandem invincibilis ignorantia sit circa alia omittenda, si fructus desperetur ac inde majora timeantur mala; facienda autem est, si fructus speretur: nec tantum a superiore, sed etiam a quolibet privato, quia unicuique mandatum est de proximo suo. Neque tantum si ignorantia sit contra jus naturale atque divinum, sed probabilius et communius etiamsi sit contra legem humanam; sic enim exigit reverentia legis, quae in nostro casu (ut supponitur) certe existit; ideoque quoad potest servanda¹. Hinc si videris comedentem carnes die veneris ignorantia invincibili, teneris monere si fructum speras. Ceterum si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet, se non ita stricte obligatum vel minus idoneum ad corripendum, videtur tantum peccare venialiter.

360. Q. 5. Quosnam obligat praecipuum correctionis fraternae?

R. Praecipuum correctionis fraternae obligat omnes; omnes enim homines commembra sunt, et Deus mandavit illis unicuique de proximo suo². Ergo tenentur etiam peccatores; nam correctio vim suam primario repetit ex vi ipsius monitionis. Etiam inferiores, qui tamen non nisi obsecrando corrigant juxta illud: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*³. Audiatur Angelicus: *Correctio fraternae quae est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personae ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur; sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt praelatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et*

¹ V. De Poenitentia, ubi De Confessarii prudentia.

² Eccli. xvii. — ³ I Tim. v. — V. Liguori, Op. Mor., l. II, nn. 27 et 40.

*reverentia corrigatur*¹. Neque ideo corripuens fit auctoritate superior, quia non corrigit ex auctoritate, sed ex charitate; charitas autem omnes amplectitur. Hinc filii tenentur cum modestia tamen et industria admonere parentes, si speretur fructus, cum advertunt eos retinere aliena, blasphemias loqui, curam salutis non gerere, etc. — Quod tamen praecipuum strictius obligat Superiores, cum isti teneantur subditorum bonum curare ex ipso proprio officio, vel ex stipendio quod exigunt: tales sunt qui curam gerunt aliorum in communitate, vel familia. Et ideo ipsi inquirere debent in vitam et mores subditorum suorum, ut eos corrigant, si delinquentes invenerint.

361. Q. 4. Quando obligat et cessat praecipuum correctionis?

R. Ad 1.: Correctio non semper statim fieri debet, sed tempore opportuno, uti cum censetur profutura magis: *Actus virtutis, ait Angelicus, non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quae requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, quando debet, et secundum quod debet*². Hinc dicunt: aliquando permitti potest reiteratio culpae, ut delinquens ferventius resipiscat.

R. Ad 2.: Cessat generatim obligare praecipuum correctionis fraternae:

1. Si certo non constet de peccato fratris nostri, vel de proximo peccandi periculo (sed aliquis tantum rumor audiat de illo), ne scilicet temere agamus, et proximo injuriam irrogemus, eum judicando sine certo fundamento criminis: *Charitas non cogitat malum*³. Ad solum autem superiorem pertinet inquirere in subditorum defectus. Excipe, nisi suspicio sit de damno gravissimo, ut homicidio; tunc omni modo curandum, ut si quod est periculum, avertatur.

¹ 2, 2, q. 55, a. 2.

² 2, 2, q. 55, a. 4.

³ I Cor. xiii. Melius tunc erit corripere in communi; vel corrigere his, vel similibus verbis: *Si forte, quod non credo, talem culpam commiseris, scias grave damnum inde obvenire communitati, tertiae personae, et etiam tibi ipsi: unde rogo, ut tibi consulas, et omne damnum velis avertere.*

2. Si non adsit spes probabilis emendationis; desperato fine, cessant media ad ipsum. Hinc illud¹: *Noli arguere derisorem*. Hinc etiam generatim requiritur, ut corrector sit immunis a peccato corrigendo; secus correctio deridetur.

3. Si sit alius æque vel magis idoneus, qui certo correcturus existimetur; nam tunc non adest vera et absoluta necessitas.

4. Si constet delinquentem se jam emendasse; quia tunc fieret inutiliter correctio. Item est, si prævideatur illum brevi emendatum iri, etiamsi non corrigatur; cum enim ægre feratur a multis correctio, non nisi in necessitate ipsa tentanda videtur.

5. Si correctio fieri nequeat sine incommodo gravi, ut si ideo timeatur grave damnum in bonis, in honore, etc.; nam cum gravi incommodo charitas non obligat. Excipe nisi quis, vel ratione officii teneatur corrigere, vel nisi proximus sit in extrema et involuntaria necessitate spirituali; ordo enim charitatis vult, ut spirituale alterius bonum nostro temporali bono præferatur.

362. Quid (dices) si dubitetur an correctio sit profutura? Vel dubitamus an sit profutura correctio; et simul certi sumus, eam non esse nocituram: vel dubitamus non tantum, an sit profutura; sed etiam an sit proximo nocitura. Si 1, tenemur corrigere; quia sicut in morbo corporali, ita et in spirituali adhiberi debet remedium, quod certi sumus nociturum non esse, ubi nullum aliud tutius habemus. Si 2, correctionem debemus omittre; quia correctio ordinatur ad emendationem, et ideo fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi, et ejus emendatio. Excipe nisi alioquin proximus moriturus sit in mortali, si nempe non corrigatur; tunc tentandum, si forte possit correctione eripi a periculo damnationis.

363. Q. 5. Quisnam ordo servandus est in correctione fraterna?

¹ Prov. ix. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 59; *Homo Apost.*, tract. IV, n. 21.

R. Ille ordo generatim servandus est, quem Christus præscripsit, nempe ut fiat privatim: *Corripi eum inter te, et ipsum solum*; at si privatim non prosit, fiat coram testibus: *Adhibe duos vel tres testes*; quod si adhuc effectus non obtineatur, peccator denuntiatur Ecclesiæ, id est deferatur ad Superiorem: *Dic Ecclesiæ*¹. Hic ordo obligatur sub gravi; cum agatur de proximi famæ consulendo; neque ab eo potest liberare Superior, quia in lege charitatis fundatur.

Diximus generatim; nam ab hoc ordine excipitur: 1. Si magis præstet prudenti Superiori, quam aliis crimen innotescere, uti longe communius et probabilius dicunt; magis enim obtineretur finis principalis: *Et tunc*, ait Angelicus, *non dicit Ecclesiæ, quia non ei sicut Prælato; sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et emendam*².

2. Si crimen sit publicum: tunc ex Angelico, *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis, in quorum notitiam (crimen) devenit, ut non scandalizentur*³. Huc facit illud Apostoli: *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant*⁴.

3. Si vergat in damnum communitatis, neque certa sit spes damnum illud impeditum iri per correctionem privatam; nam si delinquens revera non emendaretur (quod ut plurimum timendum est), et ideo crimen referas ad prælatum, reus facile suspicans talem denuntiationem, odium conservabit, etc. Item est si grave damnum esset proximo obventurum ex omissione relationis ad Superiorem; nam bonum innocentis bono privati et voluntarie delinquentis præferendum est.

4. Si proximus cessit juri suo, ut privatim moneatur, sicuti in more est penes quosdam Regulares. Ita communius docent: *In arbitrio uniuscujusque est, ait idem D. Thomas, pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in damnum aliorum*.

Ex his deducitur, peccare tum qui subditi alicujus crimen

¹ Matth. xviii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 41 et seqq.; et l. IV, n. 242.

² Quodl. xi, a. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 244, 245.

³ 2, 2, q. 55, a. 7. — ⁴ I Tim. v.

jam perfecte emendatum referunt ad Superiorem, ubi non adsit relabendi periculum; tum qui sine causa violant ordinem charitatis a Christo præscriptum. Imo et illi peccare videntur, qui ad mediatos Superiores crimen deferunt, prætermissis immediatis, qui posset per se corrigere; nam quoad potest, famæ proximi est consulendum (EE).

CAPUT SECUNDUM

DE ORDINE IN CHARITATE SERVANDO, ET VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

364. Q. 1. An ordo in charitate servandus sit?

R. Ordinem esse in charitate servandum indicant illa verba: *Ordinavit in me charitatem*¹. Idque docent unanimiter; cum enim objecta, quæ charitas complectitur, non sint æqualia inter se, non esset recta charitas, nisi ordinem in iis servaret. Unde Augustinus: *Ille autem iuste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse autem est qui ordinatam dilectionem habet*². Hic vero ordo totus in eo situs est, ut unicuique objecto diligibili suum convenientem locum elargiamur: ideo, etsi large, quodam tamen modo participat de virtute justitiæ, cujus officium est *neminem lædere et jus suum cuique tribuere*.

Duplex autem est ordo charitatis: unus bonorum, alter personarum: sive unus in bonis; alter vero in personis servandus. Ipse autem ordo personarum est triplex: primus inter Deum et nos; secundus inter nos et proximos; tertius inter proximos ipsos.

365. Q. 2. Quisnam ordo charitatis servandus est in bonis?

R. Talis ordo charitatis in bonis servandus est, ut: 1^{um} locum teneant bona spiritualia sive supernaturalia, nempe glo-

¹ Cant. i. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 25 et seqq.

² De char., l. I, c. xxvii.

ria et beatitudo æterna, gratia, virtutes et merita; in istorum enim comparatione totus mundus est nihil juxta illud: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patitur*¹? 2^{um} locum teneant bona naturalia et bona corporis, uti vita, integritas membrorum et sanitas; in his enim ipsa naturalis vita fundatur; 3^{um} vero locum teneant bona externa, uti honor, fama et divitiæ, ex quibus maxime pendet vita nostra civilis.

Item bonum commune præferendum est bono privato, quia bonum commune est bonum totius et bonum privatam est bonum partis; atqui totum est sua parte majus.

366. Q. 3. Quis ordo charitatis servandus est inter Deum et nos?

R. Ordo servandus inter Deum et nos hoc uno canone continetur, ut nempe Deum magis diligamus, quam nos ipsos et proximum. Ratio manifesta est; nam Deus est primum principium et finis ultimus rerum omnium, ac nullum bonum perfectius et præstantius potest excogitari. Unde venit: 1. *Deus*, ut principium beatitudinis; 2. *nos*, qui directe participamus; 3. *proximus*, uti socius.

Q. 4. Quis ordo charitatis servandus inter nos et proximos?

R. Ut bene percipiatur ordo charitatis servandus inter nos et proximos nostros, triplex comparatio instituenda est. *Prima* inter animam nostram et animam proximi. *Secunda* inter vitam nostram et vitam proximi. *Tertia* inter vitam nostram et animam proximi².

a. Quoad primam comparationem, tenemur magis diligere animam nostram, quam animam proximi; nam amor nostri est regula amoris proximi; ergo prior ac potior est amor nostri. Ut enim ait Sotus, et post ipsum omnes: *Mensura perfectior est mensurato*; unde natum est vulgare axioma: *Charitas bene ordinata incipit a seipso*. Ideoque nunquam

¹ Matth. xvi.

² Quarta comparatio esse potest, scilicet inter bona nostra, et vitam proximi vel ejus bona. Sed quoad hæc vide ubi de *eleemosyna*; item de *Restitutione*, de possessore bonæ fidei, de causis a restitutione excusantibus ac furto.

licebit peccare nec graviter nec leviter, imo neque se directe peccandi periculo exponere ad consulendum fratrum nostrorum salutem spirituali. Hinc sub n. 63 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *Licetum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.*

Dictum est *directe*, id est voluntarie illud suscipere; indirecte enim licetum est se probabili seu proximo peccandi periculo exponere, si proximus versetur in extrema necessitate spirituali; id est non intendendo peccati occasionem, sed proximi subventionem, debitis tamen adhibitis præsiidiis: esset, v. g., si infans certo sit moriturus sine baptismo, si tu non accedas, licet tamen accedere non possis sine probabili animæ tuæ periculo. Ita contra paucos docent communiter Salmanticenses, Sanchez, Suarez ex S. Basilio, et D. Thoma¹; ratio quia periculum hoc, quando adest gravis causa illud subeundi, non iudicatur voluntarie suscipi. Quod si potes, et debes; nam ex una parte urget charitas, ex alia adhibita remedia, et necessitas faciunt periculum ex proximo remotum (periculum enim ex se peccatum non est; neque sane qui est in periculo, sed qui amat periculum, in eo peribit ex divino testimonio). Imo hæc ipsa ratione sunt etiam qui censent, quod adhuc deberes tali te periculo exponere, etsi lapsus sit probabilior, modo non moraliter certus; nam cum hisce in casibus semper tenearis te fortius præmunire orationibus et operibus piis, et deinde fidere de majori Dei auxilio, rationabiliter tunc est sperandum fore ut Deus augeat subsidium ubi magis urget necessitas: et hoc magis si tenearis ex officio riguroso subvenire proximo, ut si esses parochus.

b. Quoad secundam comparisonem, tenemur regulariter vitam nostram præferre vitæ proximi: *Aliter non est jam diligere proximum sicut seipsum*, ait Augustinus, *sed plus quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit*². Dixi-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 65; l. V, n. 455.

² *De mend.*, c. vi. Utrum vero liceat privato vitam suam exponere pro salute alterius privati ex motivo virtutis christianæ, v. g., quia iste aptior est ad promovendam gloriam Dei, alii negant, quia tunc charitas non esset bene ordinata, et adhuc esset proximum diligere plus quam seipsum. At

mus *regulariter*; nam privatus tenetur vitam exponere certo periculo pro Republica, vel pro servanda vita personæ bono publico omnino necessariæ.

c. Quoad tertiam comparisonem, triplex distinguenda est proximi necessitas: *communis*, a qua potest quis se liberare absque magna difficultate; *gravis*, in qua grave quis subit salutis periculum, et ab ea liberare se nequit sine gravi difficultate; *extrema*, a qua nullimode quis potest se liberare, sed nisi spiritualiter adjuvetur, æternum est periturus. Hoc posito, dicimus:

1. Nemo tenetur proximo succurrere in communi necessitate spirituali cum gravi suo damno temporali (cum levi damno juxta plures tenetur): quia tunc proximus potest facile liberari a seipso.

2. Sunt qui docent, proximo in gravi necessitate spirituali constituto teneri quemcumque succurrere cum tali vitæ nostræ damno; nam anima proximi secundum rectam rationem magis æstimabilis est quam corpus nostrum. Sed alii negant; quia ut ait Angelicus, *non imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu necessitatis*¹. At quando alter absolute potest a periculo se subtrahere, non videtur charitas nos obligare ad illi subveniendum cum tanto incommodo; cum tunc proximus noster dici vere non possit esse in casu necessitatis. Attamen excipiunt et dicunt utique teneri etiam cum periculo vitæ, si quis ad id obligetur vel ratione officii, uti sunt animarum pastores; vel ratione delicti, uti esset si quis hæresim docuisset; vel si necessitas illa gravis sit publica, quia necessitas gravis publica solet semper esse conjuncta cum extrema aliquorum privatorum².

affirmant communis cum Joanne Chrysostomo, qui etiam de vita corporali intelligit ea Scripturæ verba: *Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joann. xv): tunc non præfertur præcise vita proximi, sed bonum virtutis vitæ propriæ, ut ait Angelicus in 3, diss. xxix, a. 5.

¹ 2, q. 26, a. 5. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Necessitas.

² Hinc si quis hæresim alieni spargat, teneris cum periculo vitæ impedire si possis et nemo alius impediatur. Item si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret sacerdote, et aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris item cum periculo vitæ illi opitulari. *Antoine.*

3. Certum est, quemcumque teneri etiam cum vitæ damno succurrere proximo in necessitate spirituali extrema. De hoc casu SS. Patres intelligunt illa verba: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam* (nempe vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*, nempe vitam nostram temporalem¹. — Sed excipe: *a.* si vita illius, qui eam deberet ponere pro fratre, sit necessaria bono communi; commune enim bonum præferendum est privatorum vitæ; *b.* si non adsit spes, quod talis vitæ jactus possit juvare; quia tunc inutiliter poneretur.

367. Q. 5. *Quis ordo charitatis servandus inter proximos ipsos?*

R. Vel comparatio instituitur inter extraneos et extraneos; vel inter extraneos et consanguineos, vel inter consanguineos ipsos.

Si 1, præferendi sunt qui magis ad Deum accedunt, utpote præcipuum charitatis objectum. Possunt autem esse Deo viciniore tum in ordine gratiæ: sic B. Virgo præferenda est ceteris Sanctis. Tum in ordine naturali: sic Angeli sunt præferendi hominibus. Tum in ordine superioritatis: sic superiores præferendi sunt omnibus privatis, et sibi invicem juxta gradum suum².

Si 2, in pari necessitate, debemus extraneis præferre consanguineos, aut alia ratione conjunctos; quia, dicente Angelico, *charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit*³. Diximus in pari necessitate; nam cum obligatio charitatis non

¹ Joann. iii. Hinc tu teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ damno, si alius non adsit, qui hoc faciat. Item si scias aliquem existentem in mortali interficiendum in somno vel nil cogitantem, teneris cum vitæ periculo illi subvenire, modo prudenter judices, te illi profuturum. *Antoine*. Excipiant si tali vitæ periculo se exponens, sit in culpa mortali, et dubitet de contritione; sed id non videtur probabile; nam qui voluntarie subit mortem ad alterum liberandum a damnatione æterna, præstat actum charitatis perfectissimæ, quæ cum affectu ad peccatum ullo modo consistere nequit.

² Hic autem notandum, quod amore complacentiæ sunt quidem præferendi sanctiores; sed amore effectivo præferri debent qui sunt in majori necessitate, ut patet.

³ In 3, dist. xxix, a. 7.

sit, nisi ratione necessitatis, patet illam magis obligare, ubi major adest necessitas.

Si 3, semper præferendi sunt conjunctiores secundum varios eorum gradus, habita ratione necessitatis et honorum, quæ debita sunt tali conjunctioni, et in quibus ea fundatur. Hinc in necessitate gravi: 1. est præferenda uxor; quia est una caro cum viro et liberorum principium; 2. filii, qui sunt conjunctiores, cum de substantia parentum procedant; 3. parentes, qui post dictos ad vitæ societatem et Reipublicæ augmentum concurrunt; 4. fratres, sorores, propinqui, domestici, concives atque commilitones. — Diximus in necessitate gravi; nam si necessitas sit extrema, non bonum familiarum, sed vitæ attendendum est, ut probabilius docent cum Tournely. Unde tunc omnibus sunt præferendi parentes propter principii eminentiam et quidem pater præferendus est matri, utpote principium nobilium; dein conjux, filii⁴, etc.

368. Q. 6. *Quænam vitia charitati opponuntur?*

R. Omnia peccata mortalia opponuntur charitati theologice, quippe quæ ejusdem habitum in anima prorsus extinguunt. Sed specialiter et directe pugnant adversus eam ex D. Thoma⁵: *Odiū Dei et proximi*, quod opponitur ipsi dilectioni; *invidia*, quæ opponitur gaudio de bono proximi; *discordia*, quæ opponitur effectui charitatis, qui est pax; *contentio*, quæ opponitur paci quantum ad locutionem; *schisma, bellum, rixa et seditio*, quæ opponuntur paci quantum ad opus; et demum *scandalum*, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam.

369. *a.* *Odiū generatim sumptum est actus mentis objectum aliquod aversantis*. Duplex est: aliud *abominationis*, quo aversamur aliquem ex displicentia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ aut ingratae vel in se vel nobis vel aliis; aliud *inimicitia*, quo aversamur aliquem ex displicentia ipsius, eique malum volumus, ut illi malum est. Hac de re dicimus 1. odiū Dei sive inimicitia sive abominationis est semper gravissimum peccatum; quia semper opponitur primo, summo et maximo bono: *Odiū Dei*, ait Angelicus, *est pessimi-*

⁴ V. Angelicus, 2, 2, q. 26, a. 9. — ⁵ 2, 2, q. 34 et seqq.

*mum peccatum hominis; inter alia peccata gravius, gravissimum peccatum*¹; — 2. odium proximi, si sit abominationis, erit culpabile casu quo sine causa concipiatur, puta si cui displiceat quod coerceantur mali, ne aliis noceant; erit vero laudabile si procedat ex amore rectitudinis juxta illud: *Abominantur justi virum impium*²: cavendum tamen ne odium de qualitate, evadat odium de persona; — 3. si odium proximi sit inimicitiae erit mortale ex genere suo; cum directe contrarietur charitati et suscitet rixas. Hinc illud: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; odium suscitatur rixas*³. Potest tamen fieri veniale non tantum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiae: imo odium abominationis raro est mortale, quia non ita directe ac vivide per illud vulneratur charitas⁴.

Hac de re declaranda est in Confessione tum qualitas personae, quae odio habita est, si haec addat speciem, ut si pater; tum numerus personarum, quia tot malitiae quot personae; tum natura mali optati, an sit mutilatio, mors, infernus; nam mali optatio sumit speciem ab ipso damno intento. Excipe satis probabiliter, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinae inimici; tunc enim sufficit dicere: *Exoptavi grave malum proximo*.

b. *Discordia* (ut opponitur charitati) est *dissensio voluntatis circa bonum Dei et proximi, in quo tenemur ex charitate consentire*. Est peccatum ex genere suo mortale, quia opponitur charitati: hinc Deus detestatur eum, *qui seminavit inter*

¹ 2, 2, q. 34, a. 1. — V. Ferraris, v^o *Odium*. — Stapf, § 224.

² Prov. XXIX.

³ I Joann. III; Prov. X. — V. etiam, t. I, *De invidia*. Triplex nempe est homicidium: primum corporis, quod tollit vitam corporalem; secundum famae, quod tollit vitam civilem; tertium odii, quod tollit vitam affectus seu amoris.

⁴ Haec dicta sint de odio morali ac religioso; non autem de odio politico, ut vocant quod utique legitimum est, si vera adsit causa: hoc enim odium non est aversio personae, sed proprii juris vindictio. Et licet in Christo Jesu nulla sit distinctio inter civem et extraneum, civilem et barbarum; hoc tamen non prohibet, quominus una natio alteri nationi pacem deneget, bellum intentet, illamque armis vexet, quousque sua laesa jura vindicet: en odium politicum.

*fratres discordias*¹. Quid si tenemur consentire, non tamen ex charitate, et dissentimus, tunc dissensio nostra erit contra aliam virtutem: sic dissentire a voluntate superioris precipientis, est inobedientia; dissentire vero a voluntate creditoris exigentis debitum est injustitia.

c. *Contentio est pugna verborum*: est sua natura mortalis, si serio fiat, in re gravi ac necessaria; cum sit contra charitatem. Apostolus illam numerat inter opera, quae a Regno Dei excludunt².

370. d. Schisma graeca vox est, quae scissionem significat, et definitur: *Voluntaria separatio ab unitate Ecclesiae*. Ait autem Angelicus: *Ecclesiae unitas in duobus attenditur, scilicet in connexionione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput...; et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant*³. — Proprie loquendo schisma differt ab haeresi; nam, ut ait Augustinus, *haeretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum*⁴. Est ergo gravissimum malum. Licet autem schisma ab haeresi discrepet, ordinarie tamen (hiscie maxime temporibus) vel ab ea gignitur, vel eam certo brevi gignit.

Poenae in schisma purum sunt: 1. excommunicatio ipso facto: in principales est reservata; 2. privatio jurisdictionis; 3. privatio et inhabilitas ad Beneficia. Si vero schisma sit cum haeresi conjunctum, poenae sunt illae, quae jam in haeticos habentur constitutae⁵ (FF).

¹ Prov. VI.

² Galat. V. *De discordia et contentione* vide ubi de superbia. — V. Li-guori, *Op. Mor.*, l. II, n. 50; l. V, n. 50.

³ 2, 2, q. 59, a. 1.

⁴ *De fid. et sym.*, c. X.

⁵ Constit. *Apostolatus* Pauli IV, *Bulla Coenae*: Can. *Novatianus* VI, c. VII, q. 1; et c. V, *De elect.* Tria autem fuere schismata principaliora, quorum Ecclesiastica memnit historia. Primum Graecorum saeculo IX a Photio exci-

e. Rixa est contradictio in factis: est bellum quoddam privatum, in quo rixantes ex ira se percutere nituntur. In aggressore habetur peccatum ex genere suo mortale, quia charitati essentialiter opponitur: et ab Apostolo inter ea, quæ a cœlo excludunt, illud enumeratur¹.

f. Seditio vero est tumultuosa aggressio unius partis Republicæ contrā aliam, vel principem. Est autem seditio et speciale et grave peccatum; quia opponitur speciali ac gravissimo bono, nempe paci ac bono publico².

371. g. Scandalum, græcum nomen quod latine significat *offendiculum*, ab Angelico definitur: *Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*³. Vocabulo *dicti* vel *facti* venit etiam omissio, quia *affirmatio et negatio ad idem genus referuntur*. Dicitur *dicti*, ut sunt impudica verba, impudici libri, etc. *Facti*, uti gestus obsceni, nuditas licentiosa, etc. Verbo autem *minus rectum* intelligitur quod vel in se malum est, ut si loquaris turpia cum adolescente: vel si mali speciem habet, ut si, v. g., justa de causa, sed coram eam ignorantibus, carnes comedas die vetito. Ad dicitur *præbens alteri occasionem*, non causam efficacem; quia scandalum non est propria dicta causa peccati, sed illius causa est ipsa voluntas peccantis.

372. Scandalum est duplex: *activum* mox definitum; *passivum* et est ipsa ruina spiritualis seu peccatum, in quod occasione illius dicti vel facti minus recti proximus labitur.

Articulus I. — De scandalo activo.

373. Q. 1. Quotuplex est scandalum activum?

R. Scandalum activum aliud est directum, aliud vero indirectum.

Directum est quando quis dicto suo vel facto minus recto spiritualem alterius ruinam intendit, sive intendat formaliter

tatum. *Secundum* Occidentis sæculo XIV ortum per incertitudinem veri Pontificis. *Tertium* Anglicanum sæculo XVI opera Henrici VIII. — V. Bergier, *Dictionnaire*, v^o Schisme. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Schisma.

¹ Gal. v. — V. De *restitutione*, ubi de duello quoad rixantes.

² Seditio fortiter comprimenda. V. t. I. — 2, q. 45, a. 1.

et per se (quod etiam vocant scandalum *diabolicum*), ut si male habeat quod, v. g., Titius sit in gratia et ideo eum sollicitet, ut illam amittat; sive materialiter et per accidens, cum nempe primario non quæritur nisi delectatio, vel utilitas a peccato sperata, ut si volens suæ malæ cupidini satisfacere, alium ad fornicandum inducat.

Indirectum est, quando quis non intendens ruinam proximi aliquid dicit, vel facit in proprium commodum, quod est alteri occasio peccati: id est quando non nisi indirecte et interpretative causatur alterius peccatum, quatenus nempe prævidetur, vel prævideri potest ac debet ex illa actione scandalum in proximo secuturum: ut si die vetito carnes comedas coram aliis, non dicendo quod habeas veniam, vel si domi tuæ alas mulierem populo suspectam, esto absit in te peccandi periculum⁴. Ubi notandum, ad peccatum scandali non necessario, requiri, ut de facto scandalum passivum sequatur; sed satis est, quod occasio data sit, ex qua natura sua sequi posse probabiliter existimemus; nam tunc quod non sequatur, per dantem non stat. Hoc autem colligitur non tantum ex circumstantiis personæ accipientis, sed etiam scandalum dantis. Quo sensu accipitur illud D. Bernardi: *Nugæ nugæ sunt in ore sæcularium, in ore Sacerdotum blasphemix*; eo quod ab istis plus quam ab aliis requirant fideles ratione excellentiæ status.

Scandalum activum etiam indirectum est ex suo genere mortale; cum charitatem lædat. Hinc Christus ait: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*⁵: « Il faut considérer (audiliatur Goussset) comme coupables de scandale grave: 1. ceux qui ont l'habitude de blasphémer; 2. ceux qui pu-

⁴ Non est semper scandalum quando peccas coram aliis, sed quando attentis circumstantiis tam personæ agentis quam eorum, coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Hinc blasphemia prolata coram viris religiosiis et piis non habet rationem scandali, sed horroris et abominationis. Item non est scandalum peccare coram vilibus et infamibus, qui jam aliunde sunt peccaturi: ut si quis fornicetur coram aliis, qui jam sunt parati idem facere, nec ejus exemplo moveantur, et sit ejusdem furfuris. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 45.

⁵ Matth. xviii. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o Scandalum.

blent des ouvrages contraires à la religion, à la foi catholique et aux bonnes mœurs; 3. ceux qui vendent ou font lire les écrits de ce genre à toutes sortes de personnes; 4. ceux qui composent, répandent ou chantent des chansons obscènes; 5. ceux qui écrivent, récitent ou applaudissent les comédies et autres écrits pour les théâtres où l'on tourne en dérision les pratiques de la religion, la sainteté du mariage et la vertu; 6. les artistes, les peintres, les sculpteurs, dont les œuvres outragent les lois de la décence et de la pudeur; 7. les modistes qui exposent aux yeux des passants des modèles sur lesquels on ne peut fixer les regards, parce qu'ils sont nus; 8. ceux qui travaillent publiquement les jours de fêtes, hors le cas de nécessité et sans l'autorisation¹. »

374. Quæres: *Quomodo intellegitur illud Matthæi: Necessè est ut veniant scandala?* — R. Cum S. Thoma: 1. illa verba intelligi non de necessitate absoluta sed conditionali; quia scilicet necesse est, præscita vel prænuntiata a Deo, evenire; 2. dicitur necesse est necessitate finis, eo quod utilia sint scandala ad hoc ut qui probati sunt, manifesti fiant; 3. id dicitur, quia attentæ hominum malitia, fieri nequit quin scandala eveniant aliquando; quæ quædam ultima interpretatio ceteris videtur præferenda².

375. Q. 2. *An scandalum sit peccatum contra charitatem et simul contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum?*

R. « Tres adsunt sententiæ (audiatur Alphonsus noster³). *Prima* dicit quod, cum directe intenditur ruina spiritualis proximi (quod proprie est scandalum dæmoniacum), tunc peccatur etiam contra charitatem. *Alias* tantummodo peccatur adversus illam virtutem, quæ læditur a proximo in scandalum inducto. *Secunda* ait quod quando peccatur cum scandalo directo, id est cum inducitur positive proximus ad peccandum, tunc peccatur tum contra charitatem, tum contra virtutem. Sed si peccatur tantum scandalo indirecto, prævidendo tantum proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, peccatur tantum contra charitatem. *Tertia* sententiæ, quam nos tuemur cum Suaresio,

¹ Potest tamen scandalum esse veniale vel ratione parvilitatis materiæ, ut si quis nonnisi ad peccandum venialiter excitetur, vel defectu advertentiæ, vel quia levis est influxus in grave alterius peccatum.

² Matth. XVIII. — ³ 2, 2, q. 43, a. 2.

⁴ *Homo Apost.*, tract. IV, n. 25; et *Op. Mor.*, l. II, n. 45.

Soto, Lugo, Salmanticensibus, Roncaglia, Tamburini et aliis, quamque expresse tenet S. Thomas¹, dicit quod tam scandalo directo quam indirecto peccatur, et contra charitatem et etiam contra aliam virtutem. Contra charitatem quidem, quia si nos ex charitate tenemur, cum possimus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia quælibet virtus cuius prohibet, ne sit sive directe sive indirecte causa, aut occasio aliis eam lædendi. »

376. *An (quæres) sit peccatum scandali petere aliquid ab eo, qui illud quidem daturus est, sed nonnisi cum peccato? Vel res quæ petitur, est mala ex se, et fieri non potest sine peccato, v. g., si quæretur a meretrice actus impudicitæ. Vel res non illa est ex se mala, et præstari potest etiam sine peccato, ut si quæretur mutuuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, sacramentum a sacerdote peccatore, etc.*

Si 1, etiamsi multi graves Doctores dicant non esse peccatum scandali; attamen nos non auderemus recedere a sententiâ contraria, quam tenent Bonacina, Cajetanus, Filliucius, Navarrus, Sanchez, Sporer alique, docentes non posse rem illam peti aut suaderi sine scandalo, etiamsi persona, a qua petitur, jam parata sit ad peccandum. Quamvis enim ipsa jam sit in actuali voluntate peccandi, certe infert sibi majorem ruinam spiritualemente opere complendo rem illam intrinsece malam, quæ ab ea expostulatur: ideo qui a Titio petit actum impudicitæ, ad quem jam est paratus, peccabit non solum contra castitatem, sed etiam contra charitatem; quia nulla ratione potest illi cooperari².

¹ 2, 2, q. 43, a. 5. Hinc qui alium ad peccandum induxit sive directe sive indirecte, declarare debet in Confessione non solum peccatum scandali, quo charitatem læsit: sed etiam genus peccati, ad quod proximum induxit, vel induci ipse potuit illo exemplo, an nempe sit contra castitatem, vel religionem, vel justitiam: puta si quis suo exemplo alios induxit ad furandam: eo tamen in casu non teneretur restituere, quia non esset causa influxiva, sed simplex occasio damni. Item numerum eorum quibus scandalum datum est: quia quot sunt personæ, tot sunt jura læsa. — Item conditionem eorum, qui fuerunt scandalizati, si eorum qualitas addat novam speciem, ut si sint tui parochiani, famuli, vel filii; quia tunc adest etiam peccatum contra proprium officium in scandalum dante.

² Attamen, ut probabiliter docet Lugo cum aliis, non est opus in his peccatis quæ habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum;

Si 2, quando adest justa causa petendi, petens excusatur; quia id non est cooperari malæ alterius actioni, cum neque in seipsa neque petenti ea sit mala; sed potius est illam permittere, idque justa extante causa fas est, ut docent communiter cum D. Thoma¹. Si tamen justa deest causa, nos dicimus petentem peccare non solum contra virtutem tali peccato contrariam, sed etiam contra charitatem; ipse enim hoc in casu non vitat proximi culpam gravem prout ex charitate obligatur, quoties potest sine gravi incommodo².

377. Q. 5. *Quid de mulieribus, quæ vel utuntur veste virili, vel ornatu vano aut nimis exulto, vel corporis nuditatibus?*

R. Ad 1: Quod mulier utatur veste virili (aut e converso) est vitiosum; tum quia cultus debet competere conditioni personæ; tum maxime quia hoc potest esse causa lasciviæ, vel alterius scandali: quo sensu mortale est. Hinc illud: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc*³. Secluso tamen illo periculo erit veniale, si nempe ex levitate; vel etiam nullum peccatum, si ex necessitate fiat⁴.

R. Ad 2: Si mulier vultum fuce pingat, aut ornet se secundum decentiam status, et morem patriæ, vel ut placeat

quia tam inducens quam consentiens in peccato operis semper graviter peccant contra charitatem. Itaque nihil est aliud quam circumstantia aggravans in eadem specie, quæ juxta probabiliorem sententiam cum S. Thoma per se non est de necessitate Confessionis explicanda. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 26.

¹ 2, 2, q. 78, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 47.

² *Epimenides sollicitat ac provocat Coriniam ad secum peccandum, sed non ex animo revera peccandi, sed ad experiendum an illa sit constans et casta; an graviter peccet?* Affirma; ad hoc enim ut petitio actus sit illicita, non est necesse quod petens habeat animum ponendi petitum; sed satis est quod actus saltem quoad apparentiam serio petitus, sit malus; sic enim verificatur quoad ipsa petitio sit inductiva ad culpam, utpote ex se inductiva ad actum malum. Similiter non est immunis a gravi vir, qui petit a muliere, ut secum dormire velit, si ex modo loquendi non indicet se id dicere ex joco manifesto (quod tamen adhuc reprobandum). *Cajetanus, Navarrus, Alphonsus de Leone, etc.*

³ Deut. xxii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 52; et l. III, n. 425.

⁴ D. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 2.

viro suo, vel ut inveniat virum, non peccat; quia ornatus satis cohonestatur a suo fine: et tunc si alii ruunt, erit potius occasio accepta quam data. Si vero superflue et cum nimio luxu se ornent mulieres, ut provocent ad concupiscendum, peccant mortaliter; quia hoc est dare incentivum peccati. Si autem, ait Angelicus, *ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale... Possent aliquæ a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.*

R. Ad 3: Mulieres nudatis brachiis, scapulis et pectore incedentes graviter peccarent, si primæ hunc morem alicubi introducerent; cum sine multorum peccatorum occasione esse nequeat. Peccarent item graviter gravi scandalo, si tam immoderata esset denudatio, ut valde lasciviam provocaret: ubi notandum nihil facessere quædam vela transparentia ad excusandum; cum hæc non minus, ne dicam fortius, passionem acuant. Præsertim per hanc petulantiam severissimum Dei judicium sibi consciscunt, si taliter ornatae in publicis conventibus, vel in ipsa ecclesia semet spectandas offerunt: quot scandala in tanta hominum infirmitate! — Quod si nuditas tam immoderata non sit, et jam extaret alicubi consuetudo sic incedendi, putamus cum S. Antonino esse exprobrandas, sed non illico damnandas de mortali tales mulieres; assuefactio enim, uti docet experientia, efficit ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, cum minus phantasiæ excitet. Non jam quod consuetudo jus constituat contra jus naturale; sed tantum quia concupiscentiæ vim imminuit. Quamquam, notat Stapf, in hominibus præsertim junioribus per frequentes aspectus stimulus venereus non hebetatur.

Discrete ergo prudens Confessarius sententia benigna utatur, ne indulgeat nimie mulierum licentiæ quæ libidinem involvit; cum femine piæ et religiosæ hoc modo incedere minime soleant. Et maxime, quia tales mulieres nuditatibus illis quærent viros pravis sibi amoribus captivare: et principium nostrum est, in periculo peccati formalis, rigidiores opiniones esse tenendas. Neque impudica nuditas mulieri

permitti potest in ipsa sua domo; nam iis qui in ea sunt et qui eam ingrediuntur, incentivum peccandi præbet: *Oro te, ait Tertullianus¹, sive mater, sive soror, sive filia virgo... vela caput; si mater propter filios; si soror propter fratres; si filia propter patrem: omnes in te ætates periclitantur* (GG).

Art. II. — De scandalo passivo et cooperatione ad aliorum peccata.

378. Q. 1. Quid de scandalo passivo?

R. Scandalum passivum duplex est. Aliud *datum*, quod oritur ex scandalo activo ob infirmitatem vel ignorantiam peccantis: et dicitur etiam *pusillorum* seu *infirmorum*. Aliud *acceptum*, quod oritur non ab activo, sed unice ex malitia peccantis: et vocatur etiam *pharisaicum* ex insigni pharisæorum malitia, qui ex sanctissimis Christi dictis et factis occasionem peccandi injque sane sumebant.

Scandalum passivum non est in se speciale peccatum; neque enim gravius peccare censetur, qui, viso alterius furto, et ipse furatur. Attamen generatim tenemur curare, ne quis scandalum hoc patiat: idque lege ipsa charitatis, qua quisque tenetur impedire peccata proximi, si commode potest impedire. Hinc per se loquendo non licet petere ab usurario mutuum.

379. Q. 2. An semper teneamur omittere opera nostra, si ex illis proximus sit scandalum passurus?

R. Opera quæ facere intendimus, alia sunt indifferentia; alia in se bona, sed nulla lege præscripta; alia vero bona in se, et insuper vel naturali, vel divina, vel humana lege præcepta. Hoc posito, dicimus:

1. Ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum opera indifferentia omittenda sunt, si possunt absque gravi difficultate; nam ex charitate tenemur peccatum proximi impedire, quando id possumus absque gravi incommodo. Hinc mulier si sciat aliquem ex ea occasionem sumere peccandi, tenetur si posset commode, ad ejus visum effu-

¹ *De viduis veland.*, c. LXVI.

giendum aliam ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere et similia: hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed una vel altera vice, donec alter advertere possit se fugi ab illa.

2. Opera per se bona nullamque mali speciem præ se ferentia, etsi sint puri consilii, regulariter non tenemur omittere nec differre *ob scandalum pharisaicum*; alioquin iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde cum Apostoli Christo dixissent: *Scis, quia pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* respondit Christus: *Sinite illos, cæci sunt*, id est nullam habeatis rationem hujus scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante¹. Diximus *regulariter*; nam si non adsit rationabilis causa illa opera statim faciendi, differenda sunt; etenim vera charitas abhorret a peccato etiam ex alterius malitia orituro et Deum offensuro. Item omitti debent, si malum quod timetur, sit longe majus bono, quod obtinebitur ea opera faciendo: sic ex ipso Augustino puniatio peccatoris erit omittenda, si inde schisma timeatur². Imo neque *ob scandalum pusillorum* actus virtutis, etsi minime præscriptus, est omittendus, si publicam utilitatem respiciat: sic tempore Missionum etiam noctu protrahitur prædicatio, licet aliqui inde offensionem sumant. Item neque omittendus, si notabilis sit utilitas privata, modo tamen semper exponatur ratio sic agendi; quia *si post redditam rationem, scandalum duret, jam videtur ex malitia esse*³; ideo tunc scandalum fit pharisaicum et contemnendum. Hic quamvis quis debeat differre ingredi Religionem ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur; si tamen moniti ipsi pergant resistere, potest recte ingredi; non enim charitas obligat cum adeo gravi detrimento.

¹ Matth. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 48; et D. Thomas in 4, d. 58, q. 2, a. 4.

² L. III, *Contra Parm.*, c. n. Loquitur de casu quo contagio peccandi multitudinem invaserit, adeo ut puniatio plus videatur perturbare infirmos bonos, quam corrigere animosos malos. Tunc Ecclesia prudenter aliquando dissimulat, quin tamen errores quoquomodo adprobet. Hoc tamen judicare, non est privatorum; sed ipsius Ecclesiæ, sponsæ Christi, cujus est sapientia atque consilium.

³ D. Thomas, 2, 2, q. 45, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 50.

3. Opera præcepta ob scandalum pharisaicum omitti non debent; quia secus daretur occasio bona aliorum malitia impediendi. Item neque ob scandalum pusillorum sunt omittenda opera, quæ vel sunt præcepta de necessitate salutis, vel in nullo casu sine peccato omitti nequeunt; tum quia non sunt faciendæ mala, ut eveniant bona; tum quia quisque magis seipsum, quam alium diligere debet in ordine ad salutem æternam¹. — Opera vero humana lege præcepta, an ad vitandum scandalum pusillorum sint omittenda, alii negant cum Navarro, Vasquez, etc.; quia leges humanæ non cessant obligare ob aliorum peccata. At probabilius affirmant Antoine, Billuart, Collet, Layman, Suarez, Tournely aliique; quia præceptum de vitando scandalo, cum sit naturale, præferendum est præcepto mere positivo. Sic mulier debet *semel et iterum*² se abstinere a Sacro, licet de præcepto, si sciat sui se conspectu daturam esse alicui in particulari occasionem, adeo ut scandalum ex illius infirmitate patiat.

Diximus *semel et iterum*; aiunt enim valde probabiliter, ad id amplius non teneri; nimis enim grave est frequenter ad id obligari, cum scandalum omnino accidat ex alterius malitia. Ex qua ratione Elbel, aliique plures censent, posse quidem illam mulierem semel aut iterum omittitæ Sacrum; sed præcise non teneri.

380. Sed (quæres) ad vitandum scandalum eruntne dimittenda seu non curanda bona temporalia?

R. Propter scandalum pharisaicum non sunt dimittenda bona temporalia; secus occasio malis daretur bona illa rapiendi, si nempe ea ideo nos repetere non possemus: quod etiam noceret bono communi, ut ait Angelicus. Propter scandalum vero pusillorum D. Thomas distinguit: si bona sint aliorum, quorum nos sumus administratores, ea dimittitæ

¹ Hujusmodi sunt præcepta fidei et sacramentorum quæ sunt necessaria ad salutem, ut docet D. Thomas. Item omnia præcepta naturalia; et quamvis aliqui dicant aliquando posse omitti præcepta naturalia affirmativa, puta corrigendi peccatores vel puniendi delinquentes quando majus timetur damnum, quam speretur fructus; tamen melius dicit Palaus tunc verius in iis casibus ipsa præcepta cessare et non obligare.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 55.

non possumus; cum nostra non sint¹. Quod si bona nostra sint, tunc vel totaliter dimittenda; cum melius sit anima quam divitiarum multarum: vel per instructionem proximi (eum scilicet monendo, quod nobis licet nostra bona tueri, atque etiam in judicio prosequi) scandalum tollendum est. Facta monitione de veritate justitiarum, scandalum evadit pharisaicum, de quo nihil amplius curandum.

Sunt tamen qui absolute negant bona nostra esse negligenda, si sint magni momenti; quia charitas non obligat cum gravi incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum. Incommodum enim illud etsi leve in se, sæpius occurrere potest, et ideo fit grave in complexu: imo id ad blasphemandum incitamentum esset; cum tales sciant pretium augeri, quando blasphemant, ut scilicet blasphemare desinant (HH).

381. Q. 3. An liceat suadere minus malum ad majus vitandum?

R. Alii absolute negant id licere; nam semper malum est malum consulere. Alii id permittunt, casu tamen, quo aliquo modo minus malum contineatur in majori, ut si suadeatur percussio loco occisionis. Verum sententia probabilior cum Cajetano, Molina, Navarro, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Sylvio aliisque pluribus docet, licitum esse generatim minus malum suadere casu, quo proximus noster jam certo sit determinatus ad majus malum perpetrandum; tunc enim qui suadet vel permittit, non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris: sic, v. g., homini jam determinato ad occidendum potero suadere, ut potius furetur. Id confirmatur ex Augustino et Angelico. Primus ait: *Si facturus est quod non licet, jam faciat adulterium et non faciat homicidium*². Secundus habet: *Licet ei, qui incidit in latrones, ma-*

¹ 2, 2, q. 45, a. 8. — Observant tamen graves auctores, S. Antoninus, Paludanus, Cajetanus et alii quoad bona Ecclesiarum, quod si ex eorum defensione ingravesceret scandalum in populo, nec, reddita ratione, sedari posset, Prælati melius faceret, si consensum Ecclesiarum procuraret, ut debitum condonetur, quam si exigat. *Billuart*.

² *Relatus*, c. *Si quod*, xxxiii, q. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 57; l. III, n. 565; l. V, n. 77.

nifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur¹. Ita S. Monica filium suum Augustinum, dum illum dolens ad omnem libidinem præcipitem videbat, enixe hortabatur, ut si semet continere per omnia nollet, saltem a violatione tori alieni abstineret, illum utique non inducendo ad scortationem, sed quia hanc impedire non potuit; saltem dehortando ab adulterio².

Diximus generatim; non enim liceret suadere volenti facere malum Titio, ut faciat Sempronio, licet minus; tunc enim suadens esset determinata, directa, sola et tota causa damni illius tertii. Excipe nisi hic aliter ex charitate teneatur hoc minus malum pati in se ad damnum alterius gravissimum impediendum.

382. An (quæres) liceat occasionem peccandi proximo permittere, seu non auferre? Sententia affirmans cum Antoine, Continuatore Tournely et aliis cum D. Thoma³ videtur satis communis, si adsit causa; permissio enim per se non est inductio: sic potest herus non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos ad furtum novit propensos, ut deprehensi puniantur et respiciant; tunc rationabiliter permittitur furtum unum, ut evitentur plura. Ita licite custodes agrorum, vinearum, sylvarum se abscondunt, ut damnificantes capiant, et puniendo avertant ab aliis damnis. Ita vir uxorem suspectam habens potest ei insidiari, et deprehendere in crimine, ut provideat.

Sed (dices) anne sus etiam erit hanc occasionem ultro filiis ac servis ponere et obficere, v. g., collocare monctam supra tabulam vel supra pavementum, ad probandam eorum fidelitatem? — Id negant Bonacina, Sa, Sanchez, etc.: quia non esset peccati periculum permittente, sed potius illud directe creare. Attamen satis adhuc probabilis videtur sententia Collet, Elbel, Layman, Navarri, etc., qui affirmant, quando causa existat, dicentes tunc non esse veram inductionem alterius ad peccandum, quod est intrinsece malum; sed meram peccati permissionem factam ex causa, scilicet ut quis se servet indemnem a periculo damni obventuri: supponitur enim, quod non adsint alia media. Quod quidem non est per se malum; alioquin nunquam liceret juramentum petere ab infideli, vel mutuam ab usurario, quod tamen est contra commune⁴.

¹ 2, 2, q. 78, a. 4. — ² I Confess. n. — V. Stapf, § 379.

³ Suppl. m, p. q. 62, a. 3. — V. Liguori, Op. Mor., l. II, n. 58.

⁴ Id confirmari potest exemplo Judith, quæ cum videret libidinem in Ho-

383. Q. 4. Quid cooperatio, quotuplex et an licita?

R. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente: prout autem charitati adversatur, definitur: *Participatio quædam ad actionem pravam alterius. Dividitur in formalem et materialem.*

Formalis cooperatio evenit, cum directe cooperatur in actu criminoso, ut est in eo, qui alterum adjuvat ad furtum, ad homicidium patrandum. Vel cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni aut sicario, ut securius furetur aut occidat; scribere litteras amatorias vice concubinariæ amasiæ. Hæc cooperatio est intrinsece mala quia ipsa datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur: ideo nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari potest a mortali, in re gravi.

Cooperatio vero materialis evenit, cum actio est indifferens, et proximus potest etiam ea uti sine peccato, sed sua malitia abutitur ad peccandum, ut esset dare claves iis, qui eis utuntur ad furandum. Hæc cooperatio potest esse licita: 1. si actio sit per se bona, vel saltem indifferens; 2. si non tenearis ex officio peccatum impedire; 3. si simul adsit causa justa et proportionata; nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abulitur tuo opere ad peccandum. Itaque tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravi voluntati proximi; verum ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni: unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati, sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, si habes justam causam eam ponendi. Sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo, item ministrare carnes die velito si timeat rixas aut blasphemias, vel grave sui damnum ex deviatione emptorum.

Diximus si simul adsit causa justa et proportionata, quia quanta proximior est tua actio proximi peccato, eo major debet esse causa quæ te excuset. Ad quod judicandum ante omnia pro regula sit observare sensus Doctorum; quia cum

Iopherne futuram esse impeditionem malorum complurium pro toto populo Israelitico, ultro objecit ei occasionem, nempe ornatum suum; et tamen in hoc communiter censent ipsam non peccasse.

totum hoc ferme pendeat a prudentum æstimatione, sententia illa erit probabilior, quæ communior. Est autem prudentum æstimatio, eo graviorem requiri causam ad cooperandum, vel quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; vel quo probabilius est, te non cooperante, alterum haud peccatum; vel quo propius cooperatio peccatum attingit; vel quo minus habes juris ad tale opus; vel maxime quo magis peccatum cum justitia pugnat. Ex his generalibus principiis satis colligi potest quid sentiendum sit de cooperantibus particulatim, præcipue de famulis, operariis ac mercatoribus.

384. Ad majorem perspicuitatem quæstiones nonnullæ instituantur.

1. *Quoad famulos.* Licet probabilius famulo, sed metu mortis (alii addunt etiam metu alterius gravissimi damni, nempe infamiae; non tamen sola ratione famulatus, cum sit propior cooperatio) dominum comitari ad lupanar, scalam deferre, vi aperire januam, humeros hero subicere, ut ascendat ad fornicandum, etc.; quia non ponit actionem intrinsece malam: sed tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat. Nullimode autem licet (in nostra sententia) famulo domini dona meretrici deferre; cum hæc de se turpem amorem foveant. Attamen sunt qui censent hoc licere ex gravissima causa, cum non credant id esse intrinsece malum. — *Quod de famulis, idem plerumque valet de aliis inferioribus, ut uxore, filiis, etc.*

2. *Quoad operarios.* Licet fabriferariis indiscriminatim vendere arma, etsi cognoscant aliquos (in genere) ex tot emptoribus iis abusus esse; quia seorsus commercium prorsus rueret; item operariis falsa idola conficere, si hæc adhibeantur ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc.: nullimode vero, si ad falsum cultum, atque ideo pagano sint tradenda; tunc enim censerent addicti servitio idolorum. Non licet pulsare organa, vel canere in ecclesia infidelium, si id sit in honorem idoli; quia sic idolo præstaretur obsequium. Idem est si id fieret in synagogis hebræorum, functionum tempore; esset enim vere et formaliter concurrere, et participare in falso cultu, illum quasi alternatim usurpando una simul cum judæis: talis enim pulsatio est pars psalmodiæ quæ ex sono

et cantu conflatur, ut dicunt cum Gotti et Fedeli. Item nefas est compulsare campanam ad concionem hæreticorum, quum sit invitationis instar. — Licet autem theatra ædificare, ornare, etc., si ornamenta in se honesta sint; quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa. Quod valet etiam de sartoribus qui vestes conficiunt, lacertis apertis, et nudato pectore, etc. Item licet hæreticorum templa ædificare, si hoc non postuletur in odium veræ religionis, et aliunde timeatur malum gravissimum; verum hac in re ratio habenda est locorum ac circumstantiarum. Non tamen ullo modo licet hæreticorum pravis libris edendis immediate cooperari, v. g., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, illos libros vendere, etc.; quia isti nati sunt multos subvertere.

3. *Quoad mercatores.* Licet vendere aleas, gladios, fucos, etc., etsi iis plurimi sint abusuri; quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, nec malum præsumendum est. Si tamen de abusu constat, causa gravis, seu periculum notabilis damni requiritur ad res illas vendendas: ex qua ratione licet, v. g., judæo vendere ornatum, vel agnum, qui eo abusus est ad suum pascha. Non licet tamen vendere venenum, nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. g., ad confectionem colorum, occisionem murum, etc.; quia maxima sequeretur humani generis pernicietas, si hoc promiscue liceret.

385. *Quid (quæres) de iis, qui usurariis, aut meretricibus domus locant; vel vehunt meretricem ad amasium?*

R. Ad 1: in civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est, ut habitent pacifice et usurarii, et meretrices etiam, utique licet domum locare usurario, imo et meretricibus, maxime si alii conductores desint: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis; vel ob situm ansam majorem darent peccatis.

Ad 2: non licet aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda: ita recte Sanchez, Roncaglia contra Sporer et alios. Tantum excusarentur, si ipsi hoc agerent ad grave damnum vitandum: imo Angles putat id nunquam licere, utpote hoc intrinsece malum¹ (II).

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, nn. 59, etc.; it. *Homo Apost.*, tract. IV,

SCHOLIUM. — *De notis seu censuris theologis.*

386. Virtutes Theologicæ (maxime fides) multis modis lædi possunt; porro sententia, qua notatur læsio, *censura theologica* appellari consuevit. Quæ duplex distinguitur, doctrinalis et judicialis. *Censura doctrinalis* est quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam judicandi, fertur: tales sunt censure a nonnullis facultatibus late, quæ licet non de fide, sunt tamen maximi ponderis. *Censura judicialis* ab iis fertur, qui divinam habent auctoritatem de fide judicandi: nempe tum a Pontifice totam Ecclesiam docente, vel a Concilio generali; tum ab Episcopis sive in Diocesi, sive in particularibus Conciliis. Sed non potest ferri a laicis, nec a simplicibus Sacerdotibus, vel Parochis. Judicium, quo censura alicui doctrinæ inuritur, est dogmatica sententia, non lex disciplina; nam iste actus verum est iudicium, quo de veritate aut falsitate, bonitate aut perversitate illius pronuntiatur. Et innumera confici possunt propositiones plus vel minus sanæ doctrinæ appositæ; ideo innumera esse possunt censure in eas late (JJ).

Hæretica propositio illa est, quæ dogmati revelato, et ab Ecclesia proposito directe opponitur, ut ista: *Verbum non est caro factum.*

Erronea propositio est quæ certo ac directe conclusioni Theologicæ adversatur: ut puta *Christus non est risibilis*, quæ a diametro adversatur huic theologicæ conclusioni: *Christus est risibilis.*

Hæresi proxima est quæ omnes conditiones habet, ut ab Ecclesia hæretica declaretur, cum certo veritati catholice opponatur.

Suspecta de hæresi est quæ ex terminorum ambiguitate, vel ex circumstantiis temporis sive personæ loquentis adhibetur ad hæresim occulte disseminandam: «Ainsi ceux qui, au temps des ariens en faisant profession de la divinité du Fils de Dieu, refusaient de l'appeler *consubstantiel* au Père, étaient suspects d'arianisme.» Gousset¹.

Hæresim, vel *errorem sapiens* est quæ de hæresi vel de errore suspecta est, ac non nisi futuri evasione vindicari potest.

Impia est quæ pietati et Religioni christianæ adversatur: uti est

n. 31. — Bouvier, *De restitut.*, ubi *de participante*; et *de actibus humanis*, c. 1. — Gury, *De virtutibus*, ubi *de cooperatione*. — Pavone, *La luce fra le tenebre*, dissert. xi. — Ferraris, vº *Famuli*. — Sporer, Croix, Kernick, etc.

¹ V. Gousset, *Théologie dogmatique ou Exposition des preuves et des dogmes de la religion catholique*,

illa quæ Deo, et Sanctis cultum impetit, vel debitum parentibus ac superioribus honorem et obedientiam negat.

Periculosa est quæ licet speculative sit vera, ob varias circumstantias dat locum timendi, ne in praxi hæresim, errorem aut peccatum foveat: vel si frequenter infaustos hujusmodi exitus habeat.

Seductiva est quæ fideles incautos sub specie pietatis a sana doctrina de facili retrahere conatur.

Seditiosa est illa quæ inducit divisionem in populo, seu concitat tumultum contra superiores; et retrahit ab obedientia: dicitur etiam *rebellionifera*.

Insana, fabulosa, mendosa est illa, quæ nec ratione nec auctoritate constat; neque aliqua verisimilitudine nititur.

Judaica, quæ de Christo sentit cum judæis, asserens nempe Messiam nondum advenisse.

Pagana illa quæ cum paganis plures deos admittit.

Athea quæ cum atheis Deum esse negat.

Blasphema illa est, quæ continet injuriam in Deum, vel Virginem, vel Sanctos.

Apocrypha, ejus auctor verus incognitus aut incertus est; vel de qua non constat quod sit canonica vel divina.

Injuriosa, quæ alicui, vel integro statui aut Ecclesie injuriam irrogat.

Piarum aurium offensiva est quæ, etsi a doctis in bono sensu accipitur, ab aliis ob ignorantiam, vel timoratum conscientiam, in sensu parum Religioni congruente intelligitur, et tristantur de illa: «De cette espèce seraient les propositions suivantes: saint Pierre, qui avez renié Jésus-Christ, priez pour nous; saint Paul, qui avez persécuté l'Église, priez pour nous; saint Augustin, qui avez vécu plusieurs années dans l'inconduite, priez pour nous.» Gousset.

Damnosa vel *perniciosa* est quæ in fidelibus minuit sensum fidei, peccati horrorem, erga leges Ecclesie observantiam: «On doit regarder comme dangereuse la proposition par laquelle on soutient que l'Église a tort de ne pas permettre à chaque fidèle, sans distinction, de lire la sainte Écriture en langue vulgaire, ou de défendre l'usage des aliments gras en certains jours: toute propositions dangereuse est nécessairement scandaleuse,» quia inducit ad peccandum. Gousset.

Scandalosa, si præbeat occasionem ruinæ spiritualis.

Male sonans est quæ, licet verum sensum pati possit, ex propria tamen verborum significatione pravum videtur habere.

Captiosa est quæ sub specie veritatis in errorem potest inducere: «Les ouvrages des Jansénistes, soit sur le dogme, soit sur la morale, sont pleins de phrases équivoques et de propositions captieuses. Par

là, la lecture en est dangereuse, même pour les ecclésiastiques qui n'ont pas une connaissance précise des décrets du Saint-Siège sur les matières de la grâce et des écrits de saint Augustin, dont les partisans de Jansénius et de Quesnel ont fait un si grand abus. » *Gousset*.

Temeraria seu audax est quæ omni destituitur fundamento: talis est quæ pugnat communi Ecclesiæ praxi, aut communi Patrum et Theologorum sententiæ.

Schismatica est quæ paci et unitati Ecclesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia et reverentia superioribus ecclesiasticis debita.

Antiquata est quæ antiquitas admittebatur uti probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed nunc (etsi non expresse damnata) est impossibilis cum novo Decreto Ecclesiæ¹.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM OCTAVUM

(4) Page 234.

387. Obijciunt protestantes, nos committere circulum vitiosum; nam credimus sacram Scripturam propter auctoritatem Ecclesiæ et credimus auctoritatem Ecclesiæ propter Scripturam. — R. Nos credimus primario auctoritatem Ecclesiæ non propter Scripturas, sed propter notas ipsius Ecclesiæ ac motiva credibilitatis: et sane nascente Ecclesia, nondum erant scripturæ, et tamen jam certa erat veracitas Ecclesiæ. Quod autem secundario ejus veracitas firmetur etiam per Scripturam, non est circulus vitiosus; nam id est sub diversa ratione; et jam firmata Ecclesiæ infallibilitate. Nempe de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis jam constat aliunde: nam primo ex motivis credibilitatis probamus, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, ac proinde omnia etiam dogmata illius esse vera; secundo ex hoc principio ulterius inferimus probamusque sacram Scri-

¹ V. Tournely, *Append. ad loca theol.* — Canapa, *De dogmate, doctrinis theologis erroribus harumque censuris.* — Alasia, vol. VIII, *Appendix de damnatis ab Ecclesia propositionibus.* — Ferraris, *vº Propositiones.* — Analecta, *Analecta juris pontificii*, an. 1853.

pturam esse Verbum Dei, quia nempe Ecclesia vera infallibiliter hæc docet; tertio ex Scriptura divina sic certo jam cognita, ipsa Ecclesiæ infallibilitas, quæ jam prius aliunde erat a nobis probata, ulterius et quasi secundo probatur et confirmatur sine ullo vitioso circulo.

Exemplum habemus in humanis: sit nuntius, qui deferat litteras Regis: quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur indicia credibilitatis, et ubi de illa constat, acceptantur litteræ Regis propter veracitatem nuntii: verum contentis in litteris Regis creditur non propter veracitatem nuntii, sed Regis; et si in iis Regis litteris asseratur veritas nuntii, ea firmatur et magis creditur propter veracitatem Regis. Neque ideo est circulus vitiosus; nam eadem creduntur, sed sub ratione diversa. Ad rem Moehler, *Dell'unità della Chiesa*, c. 11: « L'Église catholique ne se meut pas dans un cercle vicieux en ne croyant aux Évangiles que parce qu'elle leur donne le témoignage de la crédibilité. Elle croit à elle-même, et elle sait pourquoi: devrait-elle croire aux hérétiques plus qu'à elle-même? De même que l'Église pour laquelle l'Évangile écrit nous a été transmis se regarde elle-même ainsi que sa tradition comme divine; de même aussi elle regarde l'Évangile comme divin. L'Église, l'Évangile et la tradition sont et resteront toujours d'accord entre eux. » — V. Billuart, *Cursus Theol. de regulis fidei.* — Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, p. 7., sect. 1, nn. 8 et 9. — Sardagna, *Theol. dogmatico-polemica*, tract. III. — Mayer, *Tractatus prævi de vera relig.*, p. 2. — Carbonius, *Theol. revelata.* — Scheffmacher, *Lettere*, lettera 2. — Gerdil, *Saggio d'istruzione theologica*; cap. la Chiesa. — Cercià, *De Ecclesia*, ecc., lect. IV.

Hinc illud celebre Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*, sic evidentissime exponit doctus P. Mozzoni, *Tavole cronologiche critiche della storia della Chiesa universale*, n. 17: « Nous disons ici, selon le sentiment commun des savants, que dans la huitième ou la dixième année de l'Ascension de Notre-Seigneur, S. Matthieu se mit à écrire son Évangile après en avoir été prié, comme le raconte Eusèbe (II. Év., l. III, chap. XXIV, p. 105, A-B), par les Juifs récemment convertis. Le savant P. Patrizi prouve en effet qu'il n'a pas été publié avant l'an 57 (*De Evangelis*, l. 1, chap. 1), car il y a des savants qui n'hésitent pas à en différer l'époque aux années suivantes, en s'appuyant de l'autorité de S. Irénée, qui dit que l'Évangile de S. Matthieu fut écrit lorsque Pierre et Paul évangélisèrent Rome et y fondèrent cette Église (*Hæres.*, l. III, chap. 1, t. 1, p. 174), ce qui certainement eut lieu longtemps après. Mais, quoi qu'il en soit, nous invitons les théologiens à faire ici une importante réflexion historique et dogmatique en même temps (*Vide Per-*

là, la lecture en est dangereuse, même pour les ecclésiastiques qui n'ont pas une connaissance précise des décrets du Saint-Siège sur les matières de la grâce et des écrits de saint Augustin, dont les partisans de Jansénius et de Quesnel ont fait un si grand abus. » *Gousset*.

Temeraria seu audax est quæ omni destituitur fundamento: talis est quæ pugnat communi Ecclesiæ praxi, aut communi Patrum et Theologorum sententiæ.

Schismatica est quæ paci et unitati Ecclesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia et reverentia superioribus ecclesiasticis debita.

Antiquata est quæ antiquitas admittebatur uti probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed nunc (etsi non expresse damnata) est impossibilis cum novo Decreto Ecclesiæ¹.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM OCTAVUM

(4) Page 234.

387. Obijciunt protestantes, nos committere circulum vitiosum; nam credimus sacram Scripturam propter auctoritatem Ecclesiæ et credimus auctoritatem Ecclesiæ propter Scripturam. — R. Nos credimus primario auctoritatem Ecclesiæ non propter Scripturas, sed propter notas ipsius Ecclesiæ ac motiva credibilitatis: et sane nascente Ecclesia, nondum erant scripturæ, et tamen jam certa erat veracitas Ecclesiæ. Quod autem secundario ejus veracitas firmetur etiam per Scripturam, non est circulus vitiosus; nam id est sub diversa ratione; et jam firmata Ecclesiæ infallibilitate. Nempe de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis jam constat aliunde: nam primo ex motivis credibilitatis probamus, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, ac proinde omnia etiam dogmata illius esse vera; secundo ex hoc principio ulterius inferimus probamusque sacram Scri-

¹ V. Tournely, *Append. ad loca theol.* — Canapa, *De dogmate, doctrinis theologis erroribus harumque censuris.* — Alasia, vol. VIII, *Appendix de damnatis ab Ecclesia propositionibus.* — Ferraris, *vº Propositiones.* — Analecta, *Analecta juris pontificii*, an. 1853.

pturam esse Verbum Dei, quia nempe Ecclesia vera infallibiliter hæc docet; tertio ex Scriptura divina sic certo jam cognita, ipsa Ecclesiæ infallibilitas, quæ jam prius aliunde erat a nobis probata, ulterius et quasi secundo probatur et confirmatur sine ullo vitioso circulo.

Exemplum habemus in humanis: sit nuntius, qui deferat litteras Regis: quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur indicia credibilitatis, et ubi de illa constat, acceptantur litteræ Regis propter veracitatem nuntii: verum contentis in litteris Regis creditur non propter veracitatem nuntii, sed Regis; et si in iis Regis litteris asseratur veritas nuntii, ea firmatur et magis creditur propter veracitatem Regis. Neque ideo est circulus vitiosus; nam eadem creduntur, sed sub ratione diversa. Ad rem Moehler, *Dell'unità della Chiesa*, c. II: « L'Église catholique ne se meut pas dans un cercle vicieux en ne croyant aux Évangiles que parce qu'elle leur donne le témoignage de la crédibilité. Elle croit à elle-même, et elle sait pourquoi: devrait-elle croire aux hérétiques plus qu'à elle-même? De même que l'Église pour laquelle l'Évangile écrit nous a été transmis se regarde elle-même ainsi que sa tradition comme divine; de même aussi elle regarde l'Évangile comme divin. L'Église, l'Évangile et la tradition sont et resteront toujours d'accord entre eux. » — V. Billuart, *Cursus Theol. de regulis fidei.* — Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, p. 7., sect. 1, nn. 8 et 9. — Sardagna, *Theol. dogmatico-polemica*, tract. III. — Mayer, *Tractatus prævii de vera relig.*, p. 2. — Carbonius, *Theol. revelata.* — Scheffmacher, *Lettere*, lettera 2. — Gerdil, *Saggio d'istruzione theologica*; cap. la Chiesa. — Cercià, *De Ecclesia*, ecc., lect. IV.

Hinc illud celebre Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*, sic evidentissime exponit doctus P. Mozzoni, *Tavole cronologiche critiche della storia della Chiesa universale*, n. 17: « Nous disons ici, selon le sentiment commun des savants, que dans la huitième ou la dixième année de l'Ascension de Notre-Seigneur, S. Matthieu se mit à écrire son Évangile après en avoir été prié, comme le raconte Eusèbe (II. Év., l. III, chap. XXIV, p. 105, A-B), par les Juifs récemment convertis. Le savant P. Patrizi prouve en effet qu'il n'a pas été publié avant l'an 57 (*De Evangelis*, l. I, chap. 1), car il y a des savants qui n'hésitent pas à en différer l'époque aux années suivantes, en s'appuyant de l'autorité de S. Irénée, qui dit que l'Évangile de S. Matthieu fut écrit lorsque Pierre et Paul évangélisèrent Rome et y fondèrent cette Église (*Hæres.*, l. III, chap. 1, t. 1, p. 174), ce qui certainement eut lieu longtemps après. Mais, quoi qu'il en soit, nous invitons les théologiens à faire ici une importante réflexion historique et dogmatique en même temps (*Vide Per-*

rone, *Prælect. Theol., de vera Relig., p. 11, n. 25*). Bien avant que S. Matthieu publiât les premières lignes du Nouveau Testament, la sainte Église avait-elle ou n'avait-elle pas sa divine mission, son gouvernement, son infailibilité et son autorité? Et si elle l'avait déjà, de qui l'avait-elle reçue? Voilà les deux importantes questions sur lesquelles, chose admirable, Lessing lui-même n'a pas hésité à dire: Non-seulement l'histoire de Jésus-Christ était connue avant que l'Évangile fût publié, mais la religion chrétienne tout entière était embrassée et observée avant même qu'aucun Évangile fût écrit. On récitait le *Pater noster* avant qu'on le lût dans l'Évangile de S. Matthieu. On employait, pour baptiser, les paroles prononcées par Jésus-Christ, avant que les apôtres les eussent recueillies dans les Écritures.

« Ajoutons que la primauté de Pierre était forte de toute la vigueur que son fondateur divin avait voulu mettre en elle, et que les autres apôtres lui étaient soumis avant la publication des Évangiles. Pour tout dire, l'Église tenait déjà de Jésus-Christ même sa divine mission, son gouvernement, son autorité infailible et indéfectible. C'est en vertu de cette autorité qu'elle admit et approuva d'avord l'Évangile de S. Matthieu, puis tous les autres livres du Nouveau Testament, comme autant de chartes solennelles où elle reconnaissait les actes authentiques de ses propriétés, où elle retrouvait fidèlement enregistrées les prérogatives dont son fondateur l'avait enrichie; mais remarquez toujours qu'elle usait déjà de ces prérogatives avant leur publication et leur enregistrement. Il est facile maintenant de juger la valeur de cette pétition de principe, de ce cercle vicieux que les protestants ont tant de fois reproché aux catholiques, à savoir que l'Église tire son autorité de l'Écriture, et que l'Écriture emprunte la sienne à l'Église. L'objection tombe devant la nature même des choses et s'évanouit devant les faits historiques les plus incontestables. Voilà aussi comment s'explique par l'histoire le mot célèbre de S. Augustin: Je ne croirais pas à l'Évangile, si je n'y étais amené par l'autorité de l'Église (*Lib. Contra epist. fundament., c. 5, n. 6*). C'est donc sur l'autorité de l'Église seule que le saint Docteur croit à l'Évangile et, par suite, aux autres livres de l'Écriture. Car, parlant peu après des Actes des apôtres, il ajoute: Je dois les accepter puisque j'accepte les Évangiles, car les uns et les autres me sont proposés par l'autorité catholique. Voilà la règle unique à suivre sur ce point. Pour l'avoir abandonnée et méprisée, les protestants se sont laissé enfermer eux-mêmes dans un cercle vicieux. « Les Écritures sont divinement inspirées, disent-ils, parce que les Écritures, qu'ils regardent comme divinement inspirées, l'attestent. »

Clarius: si res est cum infidelibus qui Scripturas non admittunt uti

Verbum Dei, nos probamus primario Ecclesiae nostrae auctoritatem aliunde seu ex motivis credibilitatis; quod si etiam id ex Scripturis ulterius probamus, non illas sumimus ut verbum Dei, sed ut sunt monumenta historica a synchronis (contemporalibus) scriptoribus exarata, in quibus idcirco non attenditur nisi authenticitas, et veracitas eorum qui scripserunt. Si vero res est cum Protestantibus qui Scripturam admittunt, ex Scriptura contra ipsos Ecclesiam nostram probamus, genuinum ejus sensum aperiendo. *Cercia et Scheffmacher.*

(B) Page 235.

388. Q. Quid requiritur, ut propositio ad fidem divinam pertineat?

R. Ecclesiae ipsa propositio est via, qua revelatio divina nobis infallibiliter innotescit; sicuti revelatio divina est via qua nobis innotescit verbum Dei. Porro propositiones aliae sunt *explicite* revelatae, quas nullum est dubium ad fidem catholicam pertinere: explicita enim revelata propositio est, quae immediate seu propriis aut synonymis verbis in deposito divinae revelationis continetur: hujusmodi sunt quae in Scripturis de Christi ortu, vitae genere, morte, resurrectione et ascensione exhibentur; item veritates quae totius Religionis nostrae sunt fundamentum, ut Trinitas Personarum in Deo, Christi divinitas, ab eoque facta hominum redemptio. Hinc etiam antequam de iis definitio ab Ecclesia edita esset, merito ut haeretici habiti sunt et condemnati, qui eas negabant; Ecclesia enim definiendo libros sacros verbum Dei continere, has veritates sufficienter proposuerat uti revelatas ac fide catholica credendas. — Aliae propositiones seu veritates sunt *implicite* tantum revelatae, et illae sunt, quae non nisi mediante aliqua illatione vel ratiocinio ab explicite revelatis deducuntur¹; hujusmodi est quae docet humanam in Christo voluntatem a divina plane distinctam inesse; item quae adstruit absolutam Baptismi necessitatem quoad infantes etiam a fidelibus parentibus ortos; item quae tradit, valere Baptismum etiam ab infideli homine administratum, etc.². Quae quidem tunc tantum constituerunt catholicae fidei dogma, quando

¹ Propositiones mediate tantum revelatae solent etiam dici *conclusiones theologice*.

² Si contracte et obscure aliquid in verbo Dei contineatur, etsi proxime et immediate in eo contentum sit, adhuc requirunt Ecclesiae declarationem, ut tanquam catholicum dogma, veritas illa ab omnibus accipiatur. — V. Muzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. xxiv: *Se un fatto dogmatico deciso dalla Chiesa sia oggetto di fede teologica*. — Tournely, *Prælectiones*, etc.

id definitum fuit ab Ecclesia christianæ doctrinæ custode, interprete et magistra.

Alii tamen diversam rationem assignant; aiunt inquirendum esse a quibus præmissis deducatur nostra conclusio. Nam ea potest deduci tum a duobus præmissis revelatis, ut ista: *Omnes Apostoli repleti sunt Spiritu sancto; atqui Matthæus erat Apostolus; ergo Matthæus repletus est Spiritu sancto.* Tum ex majori generali revelata, et minori non revelata: v. g.: *Vera Christi Ecclesia debet esse una, sancta, catholica, apostolica; atqui Ecclesia romana est una, sancta, catholica, apostolica; ergo est vera Christi Ecclesia.* Tum ex majori generali omnino certa, sed non revelata, et ex minori revelata: v. g., *Omnis homo est risibilis; atqui Christus verus est homo; ergo Christus est risibilis.*

His positis, dicimus: 1. propositiones ex duobus præmissis revelatis legitime deductæ, ad fidem divinam pertinent; nam in ipsa propositione revelata formaliter continentur: in hoc quippe natura syllogismi sita est, ut prima præmissarum conclusionem in se contineat, et altera eam esse contentam manifestet.

2. Idem dicendum, si propositiones ex majori generali revelata et minori non revelata deductæ sint; nam adhuc in propositione revelata formaliter continentur: in propositione enim generali continentur, et minor non revelata declarat eas esse contentas¹.

3. Si vero conclusio deducatur ex majori generali omnino certa, sed non revelata et ex minori revelata, utrum ad divinam fidem pertineat, disputant. Alii cum Antoine, Cano, Vasquez, etc., affirmant; nam talis conclusio necessariam habet connexionem cum propositione revelata: ergo eam vi testimonii divini credere debemus. Sed Lugo, Suarez, Lherminier alique probabiliter contendunt, conclusionem illam veram quidem esse veritate theologica; non autem veritate revelata. Sane illa propositio non est vera veritate revelata, ideo neque de fide divina credenda, quæ directe non creditur vi divini testimonii, sed vi illationis theologice; atqui talis est hæc nostra (de qua hic agi-

¹ Sed omnino requiritur, ut *minor* sit absolute certa, uti est in supra laudato exemplo de romana Ecclesia; alioquin firmissimus præberi non posset assensus ad fidem requisitus. Unde si minor esset tantum moraliter certa, conclusio ad objectum fidei non pertineret, et propositio ei adversa non esset hæretica, sed erronea. Hinc in hoc exemplo: *Infans legitime baptizatus et ante usum rationis moriens, est sanctus; atqui Petrus ante usum rationis mortuus, legitime fuit baptizatus, ergo Petrus est sanctus;* hæc conclusio ad fidem non pertinet; quia moraliter tantum certum est Petrum fuisse legitime baptizatum, nisi ad summum respectu baptizantis, aut nisi tot fuerint testes, ut absolute certum sit nihil essenziale fuisse omissum.

mus) conclusio. Adde: illa assertio non est de ipsa fide divina, cujus major (ideo et conclusio) sine errore in fide negari potest; atqui id evenit in casu nostro: qui sane negaret hominem esse risibilem, errorem diceret, non hæresim; nam proprie non negaret aliquid revelatum. Si tamen accederet definitio Ecclesiæ, tunc nullum amplius dubium est, conclusionem illam esse de fide catholica tenendam; Ecclesiæ enim est de veritate doctrinæ infallibiliter judicare¹.

389. Criteria autem, indicia et argumenta, quibus dignoscit Ecclesia an aliquid verum in divina revelatione contineatur, sunt Patrum scripta, libri liturgici, dies festi, acta Martyrum, perpetuus fidelium sensus, et vel ipsorum hæreticorum testimonia; sunt item monumenta archeologica; denique inter omnia eminent primumque sibi locum vindicat jure ac vivum Ecclesiæ magisterium. Multipliciter autem potest ab Ecclesia aliqua veritas catholica definiri: 1. *directe*, et est cum veritas ab Ecclesia expresse, seu conceptis verbis credenda proponitur, prout ordinarie fit; — 2. *indirecte*, cum nempe *in obliquo* veritas tenenda proponitur, *in recto* autem infallibilitas Ecclesiæ, quæ ita statuit, uti est illud: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit* (Tridentinum, sess. xxiv, can. 7); — 3. *tacite*, cum ab Ecclesia factum, quod a jure pendet et in eo fundatur, sancitur, uti est illud: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabilia impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.* Hujus canonis objectum per se meram attingit disciplinam; attamen canon dogmaticus est, eo quod jus involvat seu potestatem Ecclesiæ in tali disciplina sancienda (Tridentinum, sess. xxii, can. 7). V. Perrone, *Disputatio theologica de immaculato B. M. V. conceptu.*

(C) Page 237.

390. *Quomodo (quæres) se gerere debet Confessarius cum penitente, qui sibi a Deo factas revelationes affirmat?* Confessarius ad-

¹ Propositio quæ annuntiat rem sicuti est, sed in deposito revelationis nec mediate nec immediate contentam, dicitur *certa*, uti est propositio quæ docet dari actus in specie sua et in abstracto indifferentes. Si vero gravibus, sed non inconcussis nitatur momentis, tantum *probabilis* dicitur, ut sunt Theologorum opiniones; si enim adhuc opiniones sunt, de probabilitatis finibus non exeunt. At si propositio in deposito divine revelationis sit contenta, adeo ut nihil amplius desit ut sit fide catholica credenda, nisi Ecclesiæ definitio dicitur *proxima fidei.*

modum caute procedat, maxime cum mulieribus, ita ut non sit nimis credulus, sed neque omnino incredulus: *Præmonendus lector est, inquit doctissimus Blossius, ne perversum quorundam hominum iudicium sequatur, qui revelationes et visiones ceu vanissima somnia contemnendo se parum spirituales esse ostendant.* En regula generatim in hac re: 1. jubeat poenitenti, ut sibi referat omnia, quæ videt et audit sive vera sive falsa: ipsa tamen neque de iis cognoscendis desiderium ostendat, nec quæ sibi manifestantur, aliis aperiat; 2. caveat, ne peculiarem existimationem animæ illius manifestet; multo minus alios ad illam mittat, ut ejus precibus se commendent. Imo ostendat se illam non facere majoris quam ceteras, sicque in humilitate et timore eandem contineat; 3. si percipiat ipsam in perfectione proficere, adjuvet, et animosorem faciat, uti historia Ecclesiastica nos docet fecisse S. Franciscum Borgia, et B. d'Alcantara cum S. Theresia, quam tutam fecerunt supernaturalia dona, quibus effulgebat, vere esse a Deo; 4. eam hortetur, ut initio orationis uti præludium præ oculis sibi ponat aliquod vitæ et passionis Christi Domini nostri caput.

Private revelationes, sicut et visiones quedam et locutiones supernaturales esse possunt etiam a dæmone, qui est pater mendacii; ideo prudentia maxima opus habet Confessarius. Certo essent a Patre mendacii, si essent contra ritus Ecclesiæ, contra Ecclesiæ morem, contra communes Doctorum, et asceticorum regulas. Et hujusce hallucinationis exempla neque nostris temporibus desunt: vid. Bergier, *Dictionnaire*, etc. App., v^o Cuenca. — Et Gregorius XVI Brevi 8 nov., 1845, damnavit novam sectam Gallicam Petri Vintras, qui arcana Angelorum aliorumque Cœlitum et ipsius Christi alloquia, visiones, miracula in vulgus spargere audebat ipsi catholicæ veritati contraria (vid. *Callol.*, vol. XXII et XXIII). Et Pius IX mense maii 1850 aliam similem anathematizavit; Deus enim falsa et Ecclesiæ suæ magisterio contraria revelare non potest, quin seipsum totum neget. En quo ducit superbia, et vesana libido! (V. Perrone, *Il protestantesimo e la regola di fede*, p. 1^o.)

Ad probandos autem spiritus, si ex Deo sint (I Joan. 4) videantur *Vita et Opera S. Theresiæ*, trad. à R. P. Bouix. — Castelveteri, *Direttorio mistico*. I. II, p. 2. — Scaramelli, *Direttorio mistico*. — Liguori, *Præcis Confessarii*, nn. 159 et seqq. — Bona, *De discretione spirituum*: ubi theoretica et theologica disquisitio habetur. — Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, l. III, c. ult., ubi media suppeditantur ad discernenda vera a falsis. — Balmès, *Le protestantisme*, etc., c. viii. — *Analecta juris Pontificii*, Romæ anno 1854; *Révelations privées; leur autorité et leur usage*.

391. Quid (quæres) de illis revelationibus privatis quidem, sed

communi suffragio religiose acceptis, quæ tamen secum pugnare videntur, v. g., raptus S. Claræ et S. Birgittæ vere supernaturales ac divini in substantia fuere; attamen S. Clara vidit Christum tribus clavibus, S. Birgitta quatuor clavibus fuisse in cruce confixum?

R. Ideo hoc evenit, quia Sancti generatim in exstasi et vident et dicunt et faciunt secundum species naturaliter jam ab ipsis præhabitas in factis historicis. Cur autem Deus nolit eas corrigere, ideo est, quia id ad spirituales fructum nihil confert; hi enim raptus sunt ad fovendam devotionem ac divinum amorem, non ad historicas quæstiones resolvendas et hominum curiositati serviendum. Sic profertur quedam Oratio S. Catharinæ Senensis contra fidem Immaculatæ Conceptionis, quæ tamen nihil facit contra veritatem: non enim quæ in orationibus Sanctorum habentur, ipsis factas revelationes indicant, sed ea quæ vel ipsæ credunt, vel existimant ita esse. Unde si illa oratio fuit revera S. Catharinæ, dicimus id eam dixisse, non Deo revelante, sed ex proprio spiritu et sensu, tanquam quæ fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, a quibus hanc sententiam edocta fuerat. — V. *Dissertatio hæc de re in Actis Sanctorum Bolland. die 5 maii in vita S. Mariæ Magdal. de Pazzis*. — Dens, *De virtute fidei*. — Et maxime Papebrochius, *In suis responsionibus*, art. 20.

392. Quid (addes) de privatis prophetiis ac prædictionibus, quæ nostra maxime ætate circumferuntur? Quoadusque romana Ecclesia non fuerit locuta, non plus auctoritatis illis tribuimus, quam pii et prudentes ipsis concedunt; et ideo nec admittendas, nec omnes illico spernendas ducimus; præterita enim comprobata fidem iis tribuunt quæ adhuc sunt futura. Et aliunde negari haud potest, quod Deus misericors, antequam feriat, mittere soleat suos nuntios qui mala imminentia prænuntiando et sic terrendo homines, eos a mala via abducant, ne ipse ideo cogatur ferire juxta illud Psalmi 59: *Ostendisti populo tuo dura... dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*. Et Joel. 2 et Act. 2: *Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus); effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filia vestra, et juvenes vestri visiones videbunt et seniores vestri somnia somniant, etc.* Et hæc est omnium populorum suasio et vel ipsorum politicorum hominum; inter ceteros audiendus Machiavelli, *Discorso sopra Tito Livio* (V. Machiavelli, II, c. v).

Huc spectat quod de Sibyllis narrant: erant Sibyllæ paganæ prophetissæ, quæ plura de Christi adventu et doctrina prædixerunt; quamquam hodie plurimum disputetur de illarum vaticiniorum genuinitate. V. Bergier, *Dictionnaire de théologie*, etc., v^o Sibylle. — Freret,

Recueil de prédictions, etc., Mémoire. — Bibliotheca veterum Patrum, tom. VIII.

Neque recte inter fabellas omnes prædictiones ideo sunt amandandæ, quia non semper verificantur: « Qu'on n'oublie point que l'ombre rétrograda de dix degrés, sur le cadran solaire d'Ezéchias, pour l'assurer de quinze années de vie accordées à son humble prière, au moment même pourtant où le prophète venait lui dire au nom du Seigneur: *Vous allez mourir* (IV Reg. xx). Peut-on oublier cette prophétie formelle, sans condition: *Encore quarante jours et Ninive sera détruite* (Jonas iii). Cependant, tout absolu qu'il était, cet arrêt ne s'exécuta point parce que Ninive fit pénitence. Non, il ne faut jamais perdre de vue cette vérité que les effets des prophéties *comminatoires* peuvent être retardés, abrégés ou adoucis par les prières des saints. » (Cit. lib. sub initio, *Discorso preliminare sulle profezie*, c. v.) Quoties sane *placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo* (Exod. 32)!

Quid ergo concludendum? illud Apostoli saltem aliquo sensu usurpare possumus: *Spiritum nolite extinguere; prophetias nolite spernere; omnia autem probate; quod bonum est, tenete* (I Thess., v). Ad rem etiam Augustinus: *Prædicta lege, impleta cerne, implenda collige*. Vel melius pro praxi: ne inultis terrore futuros eventus vendendo concutiamur; sed iniquitatem nostram mutemus quæ iram Dei provocat; si peccati pœnam sentire nolumus, peccandi pertinaciam vitemus, et ne vita nostra in dolore suspiret, in opere se emendet; dicente enim Scriptura: *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum* (Proverb. xiv, 34).

(D) Page 241.

393. Q. 1. An assensus fidei sit certior naturali cognitione?

R. Utique assensus fidei est certior ipsa cognitione naturali; nam fides innititur veritati divinæ, cognitio vero naturalis rationi humanæ; ergo concludit Angelicus: *Multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo, quod videt propriè ratione quæ falli potest* (c. 2, 2, q. 4, a. 8). Unde ait D. Petrus: *Habemus firmiorem propheticum sermonem* (Ep. II, c. 1). Sed hoc intelligendum de certitudine fidei secundum *appretiationem*, non secundum *intentionem*. Nam sæpe contingit, ut scientia clarius percipiatur ab intellectu, atque ut connexio scientiæ cum veritate magis appareat, quam connexio fidei cum eadem; cognitiones enim naturales utpote

captui nostro accommodatæ, ex hac parte magis animum quietant, oblectant ac veluti satiant.

An (quæres) *fides in natura sua ac principio formali spectata essentialiter a scientia distinguatur?* — R. Affirmative; differet nempe 1. ex diversitate *principii*, fides enim gignitur a gratia superveniente naturæ, planeque gratuita; scientia vero a natura intelligente profluit; 2. ex diversitate *objecti*, quod in fide constituitur ex omnibus et solis veritatibus a Deo revelatis supernaturali modo; objectum vero scientiæ constituitur ex veritatibus naturalis ordinis, quas homo vi intelligentiæ suæ per se acquirere potest; 3. ex diversitate *motivi formalis*, quod aliud esse nequit in veritatibus fidei, nisi auctoritas Dei revelantis; veritates porro ordinis naturalis homo admittit vi evidentiæ aut demonstrationis; 4. ex diversitate *finis*, siquidem fides una cum virtutibus reliquis quæ eam comitare debent, hominem disponit ac præparat ad ipsam intuitivam Dei visionem ac fruitionem; contra vero per rationem ac scientiam homo non attingit, nisi cognitionem Dei abstractivam ac amorem naturalem. Ita Perrone, *De Locis Theol.*, p. 3, c. ii.

394. Q. 2. An fides major vel minor esse possit in uno, quam in alio?

R. Cum Contensonio: non ideo fides potest dici major vel minor, quasi ipsa possit aliquem articulum repudiare; tunc enim fides foret infidelis, quod absurdum est. Neque dicitur major vel minor ex parte objecti formalis, cum hoc sit unum et simplex, nempe prima veritas. Quare ex parte solius objecti materialis potest dici fides major vel minor, quatenus nempe unus præ alio habere potest majorem vel minorem fidei explicationem et plurimum vel paucarum veritatum notitiam. Vel etiam secundum majorem vel minorem subjecti participationem, tum ex parte intellectus ob majorem vel minorem mentis adhesionem; tum ex parte voluntatis, propter majorem vel minorem promptitudinem, devotionem et pietatem. Hinc recte usurpatur precatio illa: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (Marci ix).

(E) Page 244.

395. Audiatur auctor operis, *Quatre années d'expérience de la Religion catholique*¹, c. 1: « Je dois ici prier le lecteur protestant d'observer que, tout en disant que le catholicisme laisse le jugement libre dans toutes les matières qui ne sont pas de foi, je suis loin, très-loin d'admettre qu'il y ait ombre de servitude dans les matières de foi, c'est-à-dire dans les points définis et dontés comme dogmes par l'Église elle-même. Cette Église me commande de croire tout ce qu'elle

¹ R. Moore Capes.

propose à ma foi ; son commandement est absolu, il ne souffre pas un moment d'hésitation ; et cependant je nie hardiment qu'elle exerce sur moi une domination le moins du monde irrationnelle. Les décrets de l'Église sont ceux d'un juge bien plus compétent que moi, j'en suis convaincu, en matière religieuse, d'un juge guidé, j'en ai des preuves certaines, par une influence divine, devant laquelle ne sont rien mes moyens personnels et mes raisonnements individuels ; or, en me soumettant aux décrets de ce juge, j'agis avec une conformité rigoureuse aux simples lois de la raison.

« Il n'y a point de servitude à croire la déposition d'un témoin compétent ; il y aurait, au contraire, plus que de la folie à en douter. Il n'y a point de servitude pour un laboureur, ignorant les mathématiques, à croire, sans en douter, que la terre tourne autour du soleil ; sans doute d'après ce qu'il voit par lui-même, le soleil lui semble tourner autour de la terre ; mais il se confie aux savants qui lui ont dit que les apparences le trompaient. Il n'y a pas de servitude pour les juifs et les gentils à croire à la parole de notre divin Sauveur ; car ils voyaient les miracles qu'il opérât. Et de même je ne suis pas un esclave lorsque je ne doute pas des doctrines catholiques ; car le plus simple raisonnement me force à regarder l'Église catholique comme infaillible. Je ne puis m'empêcher de croire ce qu'elle dit, pas plus que je ne puis m'empêcher de croire que les trois angles d'un triangle équivalent à deux angles droits. Un homme qui n'est point fou, qui ne veut pas passer pour tel, me dira-t-il qu'il aimerait à croire que deux et deux ne font pas quatre, que la terre est carrée et non sphérique ? Se trouvera-t-il mal à l'aise en étudiant les démonstrations des éléments d'Euclide et désirera-t-il qu'il lui soit permis de nier leur force ? Que dirait-il si quelque ignorant venait lui exprimer une profonde pitié pour son état d'asservissement, et s'il lui demandait pourquoi il n'invente pas, d'après les droits inaliénables de la raison, une nouvelle algèbre ou une nouvelle astronomie pour son usage et son plaisir particulier ? » — V. etiam Lacordaire, *Lettres à un jeune homme sur la vie chrétienne*, lettre III. — Martinet, *Institutiones theologicæ*, vol. III, l. 1, art. 2. — Ferraris, *v. Religio naturalis et revelata*.

(F) Page 249.

396. a. Diximus necessario esse credendum actu explicito et supernaturali Deum existere, et in vita futura esse remuneratum opera hominum ; nam de existentia Dei ut auctoris naturalis, plures nequeunt habere fidem ; cum ratio naturalis evidenter eam jam demonstret. Hinc

Deum esse non dicitur articulus fidei ; sed præsupponitur ad articulos ; seu est fidei præambulum, ut ait Angelicus (1 p., q. 11, a. 2), sive conditio, sine qua fides non existeret ; vel rectius fundamentum est totius Religionis revelatæ, et supponitur in omnibus fidei professionibus ; nam prius credimus Deum existere, quam revelasse. *Thomistæ*.

* Quoniam nihil obstat, quominus circa idem objectum scientia et fides existant, et fides rationi accedat, ut naturæ gratia. Sane quicquid est in libris canonicis ab auctoribus inspiratis narratum ad fidei objectum pertinet ; et tamen in iis plura narrantur, quæ ad scientiam spectant, et viis naturalibus cognosci possunt : v. g., miracula Moysis, Christi, Apostolorum a testibus oculatis evidentiâ sensuum cognoscebantur. Adde : dicere unusquisque tenetur : *Credo in Deum... omnipotentem, creatorem celi et terræ* ; quæ tamen per vias naturales optime cognoscuntur. Adde : non repugnat, quod firmus præbeatur assensus Deo revelanti sive objectum sit clarum, sive obscurum. Et tunc duplex distingui potest actus adhæisionis, unus evidentiâ innixus, et pertinet ad scientiam naturalem ; alter revelatione fundatus, qui ideo est actus fidei. — V. Bouvier, *De fide*, art. 3. — Benedictus XIV, *De SS. Canonizatione*, l. III, c. XIX, n. 10. — Perrone, *De locis Theol.*, part. 3, sect. 1.

Crederet autem necesse est non nisi unum esse Deum ; illa enim unitas præcipue inculcatur in Scripturis, et tantopere, ut fides judæorum illam pro primo veluti articulo contineret. Oportet item ut vox *Deus* intelligatur saltem eatenus, ut credatur Deus sub aliqua ratione a creaturis distinctus vel tanquam mundi creator et rector, vel tanquam omnipotens, summum bonum, etc. ; etsi forte etiam cum aliquo errore circa ejus attributa.

b. Circa Trinitatis mysterium explicite necessitate mediè credi debet, quod in divinis sint tres personæ in una eademque natura divina, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus ; quæ quidem singulæ sunt Deus, non tamen tres Dii, sed unus Deus. Quæ Trinitatis revelatio fuit judæorum vulgò utique denegata ; attamen Patriarchis et Prophetis notificata fuit, licet non ita clare : imo Trinitatis vestigium vel apud ipsos gentiles inveniunt eruditi. — V. Chateaubriand, *Génie du Christianisme*, l. I, c. III. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., v. Trinité. — Feller, *Catéchisme philosophique*, article : Trinité. — D. Nazianzenus, orat. 37. — D. Chrysostomus, Homil. de *incomp. Dei natura*. — S. Isidorus Pelus., l. II, Epist.

c. Theologi tres distinguunt gradus fidei implicite in Christum. — 1. gradus, si credatur Deum homines salvatorum esse per media sibi nota. — 2. si credatur futurum esse Redemptorem seu Mediatorem inter Deum et homines. — 3. si credatur hunc Mediatorem futurum

esse Deum, licet ignorentur media quibus operanda sit redemptio. Fatentur tertium gradum necessarium non esse; quidam volunt secundum gradum requiri: sed alii communius dicunt primum gradum sufficere; tum quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine revelationis positivæ destitutorum; tum quia durius esset dicere homines Judæos Messiam temporalem tantum expectantes et aliunde recte viventes, vel ad Deum sincere redeuntes, salutem consequi non potuisse.

d. Notant autem pro praxi: — 1. si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis: unde bene absolvi potest in necessitate sub conditione. — 2. aliud est credere, aliud memoriter scire mysteria, nempe rationem de eis reddere, seu respondere: unde consent, omnes adultos teneri necessitate mediæ aliquando hujusmodi mysteria credere; necessitate vero præcepti ea scire (a quo scientiæ præcepto excusari mente obtusos). Et concludunt cum Gabriele, qui dicit: *Sufficere eis* (scilicet rudibus), *quod singulos articulos explicitè credant, dum eis proponuntur*; neque necesse est, ut ad particulares casus articulos illos noscant applicare. — 3. ut illa mysteria explicitè credantur, non requiritur perfecta eorum notitia quoad circumstantias, v. g., personas proprietatibus relativis constitui, humanitatem Christi propria carere subsistentia; sed sufficit, inquit Sylvius « quod radiiores credant Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse unum Deum, etiamsi distincte non sciunt quod sit una essentia in tribus personis; et similiter quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem, esse passum et mortuum pro nobis; etiamsi non noverint distinguere, quod sint duæ naturæ et una tantum persona. »

(G) Page 254.

397. Ex Benedicto XIV, *Notificatione* LXXII, sub gravi tenentur Parochi, Confessarii, parentes sibi respective subjectos actus fidei sicuti et spei ac charitatis edocere. Idem Pontifex hac de re iterum atque iterum urget Episcopos *Encyclica Cum religiosi* 26 jun. 1754; et Rescripto 11 dec. 1754, illos actus recitantes Indulgentias sub solitis formulis uberrimas concedit. Ubi notamus ex Decreto S. Congregationis Indulgent. 28 jan. 1756, ad lucrandas Indulgentias actus predicatorum virtutum vocibus exprimendos esse; ad satisfaciendum vero divino præcepto actus internos, positivos et sinceros omnino sufficere.

Valde utile est, ut certis verborum formulis illi actus jugiter fiant: « Quem enim latet (ait Stapf, § 155) hoc modo exercitium virtutum

theologicarum plurimum promoveri ac facilius reddi, præsertim quoad eos, qui vel generatim, vel saltem in doctrina Religionis minus perspicaces sunt? ne tamen usus talium formularum in merum mechanismum degeneret, ad officia pastoris spectat, ut populum circa has nobilissimas virtutes sedulo instruat, et ipsas quoque formulas, quæ publice recitari solent, iterato explanare conetur. Insuper plurimum interest, qua ratione ejusmodi formulæ publice recitentur. Si Sacerdos ipse hujus generis preces absque omni sensu pietatis, imo frigide et quasi tumultuarie deblateret, quid mirum, si etiam communiter Deum non nisi labiis veneretur? Absit quidem in præeundis publicis precibus omnis affectatio, et quidquid declamatorium videtur; attamen distincte semper, et ita recitari debent, ut Sacerdos sinceram pietatem spiret. Hoc modo tales formulæ fient quod Ecclesia per illas intendit, nempe vasa ad conservandum Religionis spiritum adaptata, et idonea vehicula, quibus corda hominum sursum elevantur, » etc.

Ceterum pro praxi quoad virtutes theologales recte card. Gousset: « Afin de prévenir les inquiétudes des âmes timorées, relativement à l'obligation de faire des actes de foi et des autres vertus théologiques, il est bon de prévenir qu'il n'est pas nécessaire de réciter les formules des actes de foi, d'espérance et de charité. Celui qui fait le signe de la croix, qui entend la sainte messe, qui adore Jésus-Christ dans l'Eucharistie, fait par là même un acte de foi. La récitation du *Credo* est certainement d'une manière spéciale un acte, une profession de foi plus ou moins spéciale de toutes les vérités de la religion que nous sommes plus particulièrement obligés de croire de nécessité de moyen ou de précepte. Celui qui a recours à Dieu, soit par le moyen de la prière, soit par le moyen des sacrements, fait un acte d'espérance, il n'invoque le Seigneur que parce qu'il espère en lui; s'il n'espérait pas, il ne prierait pas. De même réciter l'oraison dominicale: *Que votre nom soit sanctifié; que votre volonté soit faite sur la terre comme au ciel*, c'est faire un acte d'amour de Dieu. Pour faire un acte de foi, d'espérance et de charité, il n'est pas nécessaire d'en énoncer le motif. »

398. Quoad doctrinam christianam plura egregie Synodus Novariensis, pag. 54. Iterum piissimus Stapf, § 644: « Nostram fidem non verbis tantum, sed vel maxime actibus et operibus exerceamus: *Justus autem meus ex fide vivit* (Hebr. x). Prout ergo pisces in aquis, volucres in aere, ita et nos semper in elemento fidei versari oportet. Quare dum oras, oculo fidei Deum tibi præsentem intueri; dum confiteris, in sacerdote non hominem sed ipsum Christum cogita; dum tentationes pulsant, denuo oculos ad divinum tuum regem et ducem subleva; dum quæ tui muneris sunt, exqueris, *sicuti oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi tui sint ad Dominum*

Deum tuum; dum egenti subvenis, reminiscere: Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis, etc., præsertim instandum est ut animæ piæ tempore magnæ ariditatis anchoram fidei firmiter constrictam teneant: etiamsi omni superno solatio destitutæ et atris tenebris obvolutæ sint, per nudam tamen et siccam fidem iter suum prosequantur, habentes firmiorem propheticum sermonem, cui attendamus, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris (II Petri 1).

(II) Page 258.

399. Hic plura ad praxim resolvuntur: — a. Rogatus de fide in odium religionis sive publica auctoritate sive privata, nullo modo potest utendo restrictione mentali aut verbis ambiguis ita respondere, ut præsentibus videatur fidem negasse; multo minus dicere se esse hæreticum, vel calvinistam, vel non catholicum. Azor, Filliucius, Busembaum, etc.

b. Qui rogatus seu privata seu publica auctoritate vel tacet vel respondet obscure vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri se nec velle aliis dicere quod ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde si sic potest molesta inquisitione liberari, licet, ut habet Coninchius; generatim enim verum non est quod interrogatus auctoritate publica teneatur positive fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne præsentibus videatur fidem negasse. Ceterum si hoc speculative admitti potest, non ita est in praxi; cum vix ac ne vix quidem contingat, ut quando quis a publica auctoritate publice interrogatur de fide, ejus tergiversatio vel taciturnitas non cedat in fidei contemptum et in grave scandalum. Hinc proscripta est sub n. 18 ab Innocentio XI hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno*. Vid. Viva in hanc ipsam propositionem.

c. Si aliquo casu tacere esset negare, tunc id non liceret, v. g., si aliis rogatis an fidem negare vellent, iisque respondentibus quod non, tu faceres. Bonacina, Layman, Toletus.

d. *An liceat Catholico in hæreticorum locis manducare carnes diebus ab Ecclesia prohibitis?*

R. Si grave periculum immineret vitæ vel honorum, et aliis exceptis peculiaribus circumstantiis, licet ad fidem tegendam vesci carnibus diebus prohibitis; quia cum abstinentia a carnibus non sit instituta ad professionem Religionis, iisdem vesci die prohibito non est

fidem negare. Nonne id faciunt etiam Catholici mali et belluones? nec tamen dixeris eos sic fidem negare. Nec obstaret, si cibi essent idolo consecrati; ea enim consecratio illos non facit immundos. Hinc Apostolus eos comedere non prohibet, nisi in casu scandali aliorum, vel erroneitatis propriæ conscientiæ (I Cor. viii et x). — Diximus: 1. *si grave periculum immineret vitæ vel honorum*; agitur enim de re per se gravi: ideo non est attendenda simplex derisio vel levis vexatio; 2. *aliis exceptis peculiaribus circumstantiis*: si enim per accidens esus evaderet signum professum fidei, uti si in odium Ecclesiæ catholice inter convivas statueretur, ut qui hostis est Romanæ Sedis comedat carnes tali die, peccaret utique contra fidem qui eas comederet sine contraria protestatione; nam esset fidem facto negare (Liguori, Op. Mor., l. II, n. 12).

Si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant, gestato tali signo vel aliter, ad id fideles non tenentur; cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe nisi tales sint circumstantiæ, ut hoc ipso quod se non prodant, videantur fidem negasse, uti, v. g., si quidam antea noti essent, et tunc ex hoc putarentur a fide defecisse. Sanchez, Becanus, Reginaldus, Billuart, Collet.

e. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed sæpe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi fidem tegere quam fateri: uti si latens inter hæreticos plus boni facias; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. g., turbatio, nece, exacerbatio tyranni, pericula defectionis, etc.: unde temerarium plerumque est offerre se ultro. D. Thomas, Sanchez, Layman, etc.

f. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est, et sæpe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis. At modus licitus non est uti vestibus aut signis infidelium quæ alium usum non haberent quam quod essent signa professiva falsæ religionis seu cultus: uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis; item incensio thuris aut genuflectio coram idolo ut idolo; item sumptio cœnæ hæreticæ pure religiose. Sanchez, Filliucius cum communi.

g. Licitum est (quando subest causa, v. g., ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, ad eludendos hostes) uti vestibus et signis infidelium quæ aliquem alium usum habent quam profitendæ religionis, quales sunt vestes talis nationis (non religionis), quibus illa natio utitur, quibus adhuc uteretur conversa ad fidem, uti sunt vestes nationis turcicæ. Quod verum est etsi sint vestes ipsorum religiosorum, modo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantum indicium nitidioris cultus, uti toga prædicantium in Germania, vel signa eminentioris vitæ inter suos uti togæ bonziorum in Japonia. Idem die

de signis quibus alicubi judæi distinguuntur; quia hæc sunt signa mere politica et distinctiva unius generis hominum ab alio, et non proprie professiva fidei. Ita probabiliter Layman, Becanus et alii contra alios. — Vid. Benedictus XIV, Constitutionibus *Omnium sollicitudinum, Inter omnigenas, Provinciale Concilium, etc.*

h. Qui interrogatur, an sit sacerdos, religiosus, episcopus, etc., non tenetur confiteri, uti communiter docent contra Pauwels; quia tales tituli sunt quedam accidentia religionis, ideoque illos tacendo non censetur aliquid essentielle fidei tacere. Præterea qui se negaret, v. g., sacerdotem, cum talis sit, non nisi mendacium officiosum per se committeret. Aliud esset si se Papistam negaret iis in locis (v. g., uti dicunt in Hollandia), ubi communi usu per papistam intelligunt hominem catholicum. Dens, etc.

i. Sed quid (dices) si Princeps mandet omnibus sub pœna con-
ditiones hæreticorum audire? — Ei non licet obtemperare, uti constat ex rescripto Pauli V ad Anglos: *Non licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis.* Quod valet, etsi Princeps protestetur se hac in re nihil aliud exigere quam obedientiam civilem; nam hæc de se apta est ad Catholicos paulatim pervertendos, atque ad injuriam fidei et auctoritatem hæresi conciliandam.

400. *Peccatne (quæres) in fidem Catholicus qui contrahit matrimonium coram magistratu civili, vel coram ministro hæretico?* — Licet Catholico matrimonium contrahere coram magistratu civili, modo ante vel post contrahat ritu catholico; nam talis actio est instituta ad finem mere politicum, ut nempe coram lege civili tam conjuges quam eorum filii censeantur legitimi. At non licet contrahere coram ministro hæretico, qui assistat ut *minister Religionis*, etsi ante vel post contrahatur ritu catholico; contrahentes enim testarentur tali cærimonia, se cognoscere hæreticum illum ut veræ fidei ministrum, quod est intrinsece malum et hæresim sapiens, et nullo in casu licitum. — Diximus ut *minister Religionis*; nam si assisteret ut minister politicus (prout in Anglia usque ad annum 1837 observatum est) qui coram politico regimine testimonium faciat de contractu matrimonio, tunc nihil refert, si etiam coram ipso catholici conjuges exhibeant consensum. Nec obstat, ait Perrone, ab hujusmodi ministro interdum adhortationes fieri ad conjuges etiam catholicos, ut servent conjugalem fidem, prolem bene instituunt, etc.; hæc enim ad religionem sectæ non pertinent. V. Benedictus XIV, *De Syn. Diac.*, l. VI, c. vii; et Litteræ Apost. ejusdem Pontificis, *Redditæ nobis* 17 sept. 1746. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 16. — It. vide dicenda de matrimonio, de celebratione. — Perrone, *De matrimonio christiano*, l. II, sect. 1, c. vi, a. 5.

(I) Page 256.

401. Fuga aliquando est *præcepta*, aliquando est *prohibita*, et est aliquando *libera*.

1. Est *præcepta* quando quis conscius suæ imbecillitatis timet ne propter tormenta in confessione fidei deficiat; item cum persona necessaria est vel summopere utilis bono communi, aut si prævidetur tyrannum magis in Ecclesiam incitandum; — 2. est *prohibita*, quando per fugam subtraheretur honor Deo debitus aut proximo utilitas impendenda: quod maxime currit de pastoribus; — 3. extra dictos casus fuga erit tantum *consilii*; ut si quis in Domino confidit se posse fidei confessionem sustinere, et tamen etiam absque scandalo potest se subducere, et quin Dei honor vel proximo utilitas pessundet. Hoc prudentis est judicare et coram Domino.

Dices: *Apostoli nonne culpantur, quia relicto Christo, omnes fugerunt?* Sed dicimus, quod Apostoli non peccarunt præcise fugiendo ferociam Judæorum; sed quia Magistrum suum videbantur deserere cum quadam ignominia et diffidentia, quasi jam actum esset de iis quæ Christus illis promiserat. Dens.

(J) Page 274.

402. Clerici qui post adeptum officium in hæresim incidunt, possunt ac debent omni jurisdictione, suoque officio privari. Lateranense sub Innocentio III ait: *Si clericus fuerit, deponatur ab omni officio et beneficio.* An vero ipso jure, ante judicis declaratoriam criminis sententiam clericus suo officio privetur, amittatque simul jurisdictionem, inter se non conveniunt.

Bellarminus propugnat hæreticum manifestum, antequam denuntietur expresse et nominatim, amittere jure divino et ratione hæresis omnem penitus jurisdictionem, et suam sententiam dicit sententiam omnium (*De R. Pontifice*, l. II, c. xxx). Ratio quia hæreticus separatur ipso facto a corpore Ecclesiæ; ideo nullum amplius in ea jus habere potest. — Sed alii ducunt Suarez (*De fide*, sect. 5, disp. 21) docent non jure divino, sed ecclesiastico amittere jurisdictionem, nec ab Ecclesia privari, nisi judicis sententia intercesserit, aut hæreticus officio suo publice renuntiaverit. Sane fides non est fundamentum omnino necessarium jurisdictionis; hæc enim potestas fundatur in characterem baptismi et in ministerio ecclesiastico; atqui hæresis etiam externa et manifestata non tollit characterem baptismalem. Adde si jure divino

amitteretur jurisdictio ratione hæresis, hæreticus occultus ea privaretur non secus, ac manifestus; non est enim discrimen jure divino inter utrumque: quam autem damnosa consecratis ex illa privatione in episcopo, in paroco, etc., si in hæresim haberentur nemo non videt. Demum Ecclesia olim hæreticos episcopos suam hæresim retractantes, in suis muneribus recipiebat, sine nova episcopatus concessione. Hinc ad rem Card. Soglia: *Quoties igitur hæreticus manifestus neque potestati suæ nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus extiterit, jurisdictionem retinet; et saltem hoc ipso ad externum Ecclesiæ corpus aliqua ratione pertinet, ratione scilicet ipsius ecclesiastici ministerii quod adhuc possidet* (Instit. juris privati ecclesiast., § 254).

(K) Page 277.

403. Nonnulla notamus quoad apostasiam et hæresim.

Quoad 1: Prov. vi legitur: *Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso; annuit oculis, terit pede, digito loquitur; pravo corde machinatur malum et omni tempore jurgia seminat. Huic extemplo veniet perditio sua et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.* — V. Charvaz, *Avvertimenti ai cattolici della diocesi di Genova intorno alle mene dei protestanti* (Collezione de' buoni libri, n. 116, anno 1854. — V. Opus, *Judæ posteri apostatæ, lucubratio Theophili Raynaudi e S. I. Romæ 1848*, ubi plures auctor notat apostatas quin tamen Ecclesiæ nocuerint, v. g., Nicolaum Antiochenum unum ex septem diaconis, Julianum apostatam illum pessimum, Jovinianum christianorum Epichurum, Nestorium ex ove repente in lupum mutatum, monachum Sergium factum adjutorem ipsius Maomethi, etc.

Quoad 2: In vita S. Francisci Salesii quoad ejus pro Episcopatu examen, quod coram Clemente VII anno 1599 subiit, legitur: « Le Pape, qui avait commencé l'examen, voulut le terminer, en demandant si les évêques pouvaient dispenser de l'irrégularité qui provient d'un crime secret. Le saint répondit affirmativement selon ce qu'avait réglé le concile de Trente dans sa vingt-quatrième session au chapitre vi, *De reform.*, et il répondit aux objections faites par le Pape contre sa thèse. Il prit de là occasion de lui demander si les évêques pouvaient aussi absoudre de l'hérésie, et François répondit aussi affirmativement en donnant pour raison ce qu'avait réglé le même concile au chapitre cité. Alors le Pape (qui avait nouvellement révoqué, pour de graves raisons, par une Bulle, ce pouvoir accordé aux évêques par le concile) lui dit: *Mon fils, nous ne l'entendons pas ainsi*; et l'humble saint faisant une profonde révérence, avec une soumission digne d'un fils

obéissant de l'Église, répondit: *Très-saint Père, si Votre Sainteté ne l'entend pas ainsi, ni moi non plus je ne l'entendrai plus dorénavant.* » Voy. aussi *Vie de saint François de Sales*, par M. Hamon, curé de Saint-Sulpice. Paris, Lecoffre.

In homine probitas vitæ non potest diu subsistere cum pravitate doctrinæ: qui veram fidem deserunt jam moribus valedixerunt. Hoc permultis probat P. Perrone in suo celeberrimo Opere, *le Protestantisme et la Règle de foi*, pars III^e: ubi ipsorum adversariorum testimonia adducit: hæc inter cætera: « Un journal protestant de la Suisse s'exprime ainsi: Pendant que l'Église catholique attire à elle continuellement les protestants les plus instruits, les plus éclairés, les plus distingués par leur moralité, notre Église (réformée) en est réduite à ne se recruter que parmi les moines luxurieux et concubinaires. Ceci a fait dire agréablement à un autre protestant: « Le Pape a purifié son « jardin, et il nous a jeté la mauvaise herbe par-dessus les murs. » Il ajoute en note: « Selon la belle pensée de S. Augustin, les apostats « déchargent l'Église d'un poids insupportable, et la purifient pour « ainsi dire d'une plaie affreuse et fétide. » Voilà les paroles dont il se sert à l'égard de ces apostats: *Sunt in Corpore Christi quodammodo humores mali; quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur et dicit, quando eos evomit atque projicit corpus: Ex me exierunt homines isti, sed non erant ex me. Quid est, quod non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent. Ex nobis exierunt, sed nolite tristes esse, non erant ex nobis.* (Tract. III in Epist. Joan.) « On peut donc définir sous ce rapport le protestantisme, le grand cloaque qui reçoit les plus sales immondices du catholicisme. » Erasmus ipse apostatas sui temporis ad vivum pingit, dum eos sic loquentes inducit:

*Jam Cuculla vale et Cappa,
Vale Prior, Custos, Papa
Cum obedientia!
Ite vota, preces, horæ,
Vale timor cum pudore,
Vale conscientia!*

404. Quoad hæreses V. Liguori, *Storia delle eresie.* — Bernino, *Storia delle eresie.* Recte cum Chrysostomo observant, omnem errorem in fide ortum habuisse suum a superbia atque luxuria; illa enim de homine dæmonem facit: ista de homine brutum. Causas infidelitatis solide exponit Zallinger, *Instit. juris*, § 586. — Stapf, § 168. Item ad rem Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. III^e, l. II.

« L'incrédulité naît dans la fange et ne diffère pas de la dépravation. Honte à elle, et honneur à vous, Religion catholique, qui n'avez jamais eu pour ennemis que des hommes auxquels une personne honnête ne voudrait pas ressembler. » Valde præstat, ut tirones nostri genuinæ Ecclesiæ catholiçæ historiæ adamussim studeant; probrosum enim esset profanas historiolas, atque ficta commenta scire, ac inde Religionis cuius ministri sunt, nativitatem, incrementa, ac gloriosa bella ignorare. Ideo magis quia methodus historica est accommodatior ad religionem demonstrandam et tuendam, quippe quæ sub oculis facta subijcet quæ negari haud possunt. Hinc Augustinus, *De Catechiz. rudibus*, exordium sui catechismi ponit in historica narratione a creatione mundi usque ad tempus Ecclesiæ, quo ipse vivebat (Martinet, *Institut. Theol.*, vol. I).

Sed toto cælo omnes a noxiis pascuis sunt arcendi; sensim enim sine sensu, maxime juvenus, quæ jam nimium ad omnia pessumdanda inclinat, vel etiam nolendo venenum cum lectione bibit. Inter pestilentis hujusmodi libros qui suo lenocinio decipiunt principem locum forte obtinet Historia ecclesiastica Fleury: « Ce fut cette lecture, aiebat Alfieri de seipso, qui commença à me faire mépriser les prêtres et leurs œuvres. » V. Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, l. V, c. VIII. — *Civiltà Cattolica*, ser. 1^a, vol. I; et ser. 2^a, vol. V: *L'arte di falsar le storie; riparo contro le false storie*. — Mozzarelli, *Il buon uso della logica*, ecc., opusc. X: *Istoria Ecclesiastica*. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Historia.

Sed optima non desunt: inter plures has præcipuas laudamus, quæ studiosis juvenibus maxime conferunt, et quia illarum brevitatis non officit claritati, et quia illarum tractatio hodiernis moribus occurrit, et, quod caput est, catholiçæ sunt. Sunt 1. *Prælectiones historiæ Eccles. quas in Collegio Romano de Propag. Fide, et in Pontificio Seminario* habuit Joann. Palma. Romæ, 1859. — 2. Wouters, *Historiæ Ecclesiasticæ compendium*. Neapoli, 1850. — 3. Blanc, *Cours d'histoire ecclésiastique*, dédié au card. Gousset, etc. — *Salzano*, etc. — *Imprimis Histoire universelle de l'Église catholique*, par Rohrbacher. Paris, 1857.

DIRECCIÓN GENERAL D

(L) Page 250.

405. Opponunt: « Du choc des opinions naît la lumière. » R. Tapparelli: « Y eût-il quelque chose de vrai dans cet aphorisme, il ne trouverait pas place ici. Si vous considérez comme divin un oracle quelconque, quel besoin de chercher à l'éclaircir, puisque vous le tenez

pour infallible sans l'exposer à la discussion? Mais ce qu'il y a de pis, c'est que cet aphorisme lui-même est faux, dangereux, funeste. — Faux, parce qu'en matières de métaphysique et de morale les discussions de pure raison augmentent les doutes et les erreurs, sans découvrir la vérité. — Dangereux, parce que souvent le défenseur de la vérité peut être inférieur en intelligence à celui qui l'attaque, et compromet ainsi une sainte cause par une défense maladroite. — Funeste, parce que dans le temps où l'on dispute on doute, et au milieu de ce doute la société, qui ne saurait s'arrêter, reste sans guide. Laissons donc disputer sur les différentes opinions physiiciens, chimistes, astronomes... dont les doutes ne changeront rien au cours des choses. Mais, quant au libre arbitre de l'homme, mettons-le à l'abri, si nous le pouvons, des erreurs et des doutes: causes assurées d'inaction et d'égarements en celui dont le libre arbitre détermine seul les actions. »

Quænam (quæres) methodus validior adhibenda in docendo et disputando, si quæ necessitas urgeat? — R. Est methodus positiva quæ volens erudire simul et suadere utitur dicendi ratione oratoria magis quam dialectica, quasdam tantum veritates seligendo: hæc in concionando est optima methodus. Sed in scholares docendo, et in disputando aptior est methodus scholastica, cum sophismata invincibiliter et lucide dissolvat: qua quidem argumentatione sepe utebatur ipse Christus ad phariseos et scribas confundendos. Et sane scholastica, amputatis verborum luxu et flosculis, materias disponit ordine quodam geometrico, ut aliæ ab aliis profluentes mutuam sibi vim et lucem afferant, possintque ea utentes per syntheticum processum a capite ad calcem, et per analyticum regressum a calce ad caput, pleniorum singularium partium et totius cognitionem assequi. Quod si ea nonnulli abusi sunt, quæstionibus otiosis, et inanibus locum dando, hoc vitium hominis est, non ipsius rei, ut monebat Pius VI Bulla *Auctorem fidei*, prop. 76, ubi theologiam scholasticam vindicat a criminationibus pseudosynodi pistoriensis; vix enim dici potest quanti ipsa profuerit ad catholicas veritates vindicandas, tuendas, etc. — V. Martinet, *Instit. Theol.*, vol. I. — Ventura, *La vraie et la fausse philosophie*. — Balmès, *L'art d'arriver au vrai*. — Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica*, ecc. — Liebermann, *Instit. Theol.*, Prolegomena. — Rohrbacher, *Histoire de l'Église*, l. LXIX: la scolastique. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica*; opusc. I, t. I. — Margotti, *Roma e Londra*.

(M) Page 283.

406. *Ex personis probamus fidem, annon ex fide personas?* Hoc effatum mire facit hisce temporibus ad retundendam nonnullorum hypocrisim qui palam pietatem affectant, externa quoque religionis officia studiosè absolvunt, ut ita decipiant facilius, et securius civili romani Pontificis principatui adversentur, tanquam res sit in humana disputatione posita (quidquid papa et episcopi clamitent), utpote quæ ex eorum sententiâ nec fidem nec mores nec disciplinam respiciat, circa quas eorum sine fine obsequium nulli unquam cessit. Aiunt enim: « L'autorité du Pontife romain et des évêques peut être admise comme suprême et infaillible dans les seules matières de foi, de morale et de discipline. Mais telle n'est pas la question du pouvoir temporel, matière purement humaine, temporelle, caduque. Cette autorité n'est donc pas sur ce point suprême et sans appel, et on peut, contrairement à ses décisions, s'en tenir à l'avis de prêtres ou même de laïques instruits.

« Nous acceptons volontiers (ad rem *Civiltà Catt.*, ser. IV, t. XII, Réponse à une lettre anonyme) la première proposition, pourvu que l'on reconnaisse que, l'Église militante étant une société d'hommes formés de chair et d'os, cette autorité ne serait qu'un fantôme si elle ne s'étendait aussi aux choses humaines, matérielles et caduques qui sont liées étroitement avec la foi, la morale et les règles disciplinaires. La foi même, pour être enseignée, n'a-t-elle pas besoin de la parole qui l'exprime, des oreilles qui l'entendent, d'un lieu où elle soit prêchée, toutes choses humaines, temporelles et caduques? Mais, pour la discipline qui règle l'ordre extérieur, il serait ridicule de vouloir la restreindre à la relation des purs esprits; et nous ne saurions, par exemple, concevoir une hiérarchie avec les attributions des supérieurs, la soumission des inférieurs, sans un ensemble ample et varié de choses matérielles et de personnes sensibles dans lesquelles elle s'actualise, sans des moyens coercitifs qui en rendent l'actualisation efficace. Enfin, c'est surtout pour la morale qu'on ne pourrait imaginer une autorité privée d'action sur l'extérieur, puisque parmi les hommes les actes moraux ne sont justiciables de l'autorité qu'autant qu'ils se manifestent extérieurement et sur des choses sensibles qui leur servent d'instrument ou de matière. Comment juger, par exemple, du blasphème, si l'on ne suppose pas le son des paroles qui l'expriment et le font entendre? Comment juger du sacrilège sans les personnes ou les choses sacrées qui en sont l'objet? du vol ou de la rapine, si l'on ne suppose pas des objets matériels appartenant à autrui qui soient soustraits

ou enlevés *invito domino*? Reconnaître donc à l'Église l'autorité suprême pour prononcer dans les questions de morale en théorie et en pratique, c'est reconnaître que cette autorité, pour s'exercer, est nécessairement mise en relation avec des choses « temporelles, humaines et caduques, » lesquelles étant supprimées, il ne resterait de cette autorité qu'un vain nom et un exercice plus propre à servir de jouet qu'à gouverner les hommes.

« Si maintenant l'anonyme auquel nous répondons veut examiner attentivement la question romaine par son côté pratique, choisi aussi par le Pape dans plusieurs actes publics, il verra qu'elle est simplement une de ces questions morales sur lesquelles tous les catholiques reconnaissent que Rome peut juger sans appel: « Quid enim hic romana sedes? id unum definit, nempe talem actum humanum futurum esse, latrocinium, perfidiam, sacrilegium. » Nous voudrions savoir si le vol, la trahison, l'usurpation tyrannique, le sacrilège, ne sont pas des matières strictement morales; nous voudrions savoir si un catholique peut admettre sur de telles matières un jugement compétent et sans appel autre que celui de l'Église.

« De plus, on peut nier la mineure de l'argument qui nous est opposé en ce sens que le principat (quoique chose humaine et caduque), devient matière d'actes moraux sur lesquels l'Église seule est encore juge en dernier ressort. »

Libenter damus speculativam quæstionem de civili romanæ ecclesiæ principatu directe et per se inter res fidei, morum aut disciplinæ non esse adnumerandam. Quid inde? « Si le principat n'est point par lui-même matière de foi, il est évident que de lui dépend pour l'Église la liberté nécessaire à l'enseignement de la foi. S'il n'est pas matière de morale, il est indubitable qu'on y trouve une condition nécessaire pour avoir la possibilité de promulguer, sans aucune dépendance des pouvoirs laïques, les prescriptions de la morale parmi le peuple chrétien. S'il n'est pas matière disciplinaire immédiate, il se rattache à la discipline comme moyen d'en exposer librement les règles. Sous ce rapport, ce n'est donc point une question du domaine de la simple prudence humaine et sur laquelle les laïques puissent se prononcer; mais c'est une question appartenant strictement à la religion. Les choses étant ainsi, celui qui nierait la nécessité du principat pourrait-il se croire bon catholique, lorsque le pape et l'universalité des évêques ont avec tant d'unanimité enseigné le contraire? Nous ne le croyons pas, et il nous semble que ce serait le cas de qualifier une telle opinion de téméraire, d'offensive des oreilles pieuses, et même de voisine de l'hérésie. Cette dernière note lui a été infligée par Monseigneur Pavy, évêque d'Alger, dans son savant ouvrage: *Esquisse d'un*

traité sur la souveraineté temporelle du Pape, 1860. L'illustre prélat conclut ainsi sa chaleureuse argumentation : « C'est donc une opinion (celle qui nie la nécessité du pouvoir temporel) qui approche de l'hérésie. » P. 248.

« Supposé que l'épiscopat entier, le souverain pontife en tête, ait affirmé que ce principat civil est, sous beaucoup de rapports, nécessaire au libre exercice du suprême pontificat, lui opposer le sentiment de savants ecclésiastiques et de savants laïques catholiques, ce n'est pas seulement manquer de respect et de soumission au corps épiscopal, mais c'est professer une opinion étrangement téméraire, gravement scandaleuse pour les fidèles, et, on peut ajouter, insensée pour un catholique.

« Voilà pourquoi, toujours dans l'objection proposée, on doit nier la mineure de l'argument, même au point de vue spéculatif, parce que le pouvoir temporel, tout en étant une chose humaine, considéré comme moyen de liberté et d'indépendance pour l'Église, rentre dans ses attributions, et qu'elle seule peut définir les limites de sa nécessité ou de sa convenance. »

407. Quoad tesseram hæreticos pravosque dignoscendi, ita ad rem etiam Mamachius : « L'artifice des novateurs a toujours été et est toujours de cacher tantôt par le silence, tantôt par des équivoques, tantôt par des affirmations claires et tantôt par des dénégations qui ne le sont pas moins, ce qu'ils ont principalement à cœur d'enseigner. Ils préfèrent passer pour obscurs et même être pris en contradiction plutôt que de laisser échapper une occasion favorable de répandre la mauvaise doctrine; mais aussi ils tiennent toujours en réserve telle expression dont ils se sont servis quelque part, et à la faveur de laquelle ils puissent, toutes les fois que leur erreur leur sera reprochée, s'en défendre avec quelque apparence de raison, s'échapper comme par la tangente et éluder la censure si elle vient à les atteindre. » — V. Bossuet, *Histoire des variations*, etc., l. XI.

Quod hæreticos demum appellandos qui pertinaciter hæreticam docent doctrinam etsi nondum habeatur decretoria Ecclesie sententia, hæc adhuc ad rem : « Il y a des hommes qui voudraient qu'on ne donnât à personne... le nom d'hérétique avant un jugement ecclésiastique préalable. Je réponds à ce vain scrupule que l'Église, par un jugement infaillible, a déclaré hérétique que l'Église, par un jugement infaillible, a déclaré hérétique la doctrine de Jansénius. Aussitôt donc qu'il est certain pour moi que Titius adhère avec ténacité à cette doctrine condamnée, je dois le déclarer hérétique; et, si j'agissais autrement, je paraîtrais douter au sujet des décisions de l'Église. Je demande à ces scrupuleux s'ils feraient difficulté d'appeler voleur et de chasser de leur maison un domestique qu'ils surprendraient avec

l'objet volé entre ses mains, quoiqu'une sentence judiciaire ne l'eût pas encore condamné comme voleur. Et en matière de foi nous prendrions des détours! Malheur aux cités catholiques si, pour fuir les hérétiques et les traiter comme tels, il fallait que chacun d'eux en particulier eût été déclaré tel par une sentence de l'Église! Quel ravage ferait l'hérésie! » Carolus Brignole in Opere, *Confutazione di un libello*, intit. *Avviso al pubblico*. — It. vid. *Civiltà Cattolica*, ser. 3^e, vol. I : *La calma nei giudizi*.

(*) Page 287.

408. Adversarii plures opponunt, sed omnia objecta inania esse scite ostendit Alphonsus noster, *Opus. Mor.*, l. I, Append. 3. — Quoad nos attinet, præcipua solvamus.

409. *Objectiones* 1 : Non Ecclesie, sed unicuique datum est libros lectione probare ex illo Apostoli I Thess. 5 : *Omnia probate, quod bonum est tenete*. — R. Textus ad rem non facit : ibi agit Apostolus de dubiis prophetiis, quas vult non esse illico accipiendas, sed juxta regulas probandas. Probatio autem non semper per se, sed etiam per alios fit : si qui igitur libri jam mali probati sunt a matre Ecclesia, ad quid adhuc probatione nostra indigent? Ad rem card. Pallavicini.

« On ne peut en pratique remettre cela à la conscience de chacun pour qu'il examine si tel livre présente du danger pour lui, et par suite s'il est de son devoir de ne point le lire. Le péril en effet s'aperçoit trop tard et après une triste expérience. Beaucoup de gens ne peuvent savoir ce que contient un livre avant de l'avoir lu. En outre, l'homme a trop de confiance et en sa science et en sa vertu; il croit toujours que rien ne pourra le séduire, qu'aucun piège ne le surprendra. Hélas ! l'histoire qui nous dépeint l'homme tel qu'il a été, et la fable même qui nous le représente tel qu'il est quelquefois, sont remplies d'exemples où l'on ne voit que trop quelle est sa présomption avant le péril et sa faiblesse quand il en est environné. »

Objectiones 2 : Malum secum affert suum remedium; omnes enim illud aversantur et perversis libris obstant boni. — R. cum auctore operis *Præcautions politiques*, c. x : « Notre nature corrompt est attirée par ce qui est mauvais, et les hommes inexpérimentés sont pervertis avant d'avoir aperçu le poison qu'ils ont absorbé. Et quand il serait vrai que l'exécration générale mit une digue au mal, peut-on conseiller l'usage d'un toxique parce que l'on prévoit qu'on prendra un antidote? Permettra-t-on un mal et surtout un grand mal dans l'espoir que ses horreurs portées à l'excès en dégoûteront et le rendront

moins meurtrier? Quelle logique est-ce là? Quel jugement porter sur des hommes d'État qui, séduits par de telles considérations, applaudissent à la liberté de la presse? Ils applaudissent, et en même temps la jeunesse est corrompue, elle s'abreuve d'erreur et elle dépérit. Oh! combien d'hommes auraient illustré leur patrie s'ils n'avaient, à cette source impure de la mauvaise presse, perdu l'intelligence et vicié leur esprit! Oh! combien qui eussent utilement servi leur pays, et qui, poussés au délire par des lectures perverses, en ont troublé la paix, en sont devenus le fléau! Il se trouve des hommes qui ne gémissent pas sur les excès de la mauvaise presse, parce qu'il y en a une bonne pour les combattre; mais personne ne voudrait ouvrir sa porte au typhus, au choléra, à la fièvre jaune, sous prétexte qu'il y a des médecins pour les arrêter. Les médecins ne réussissent pas toujours à guérir les malades, et encore moins les bons écrivains parviennent-ils à ramener les esprits fourvoyés.»

Obijcies 3 : « La principale objection (ita in egregio opere *Souvenirs de religion et de littérature*, Modène, t. XVII) vient tout entière du principe proclamé encore hautement aujourd'hui par les contradicteurs, à savoir que le gouvernement est uniquement chargé de réprimer les délits, mais non d'empêcher l'usage des facultés humaines, en d'autres termes de commander à la pensée. — R. Ce n'est qu'un jeu de mots. Si le terme *réprimer* est synonyme de *punir*, vous restreignez le devoir du gouvernement aux fonctions du gendarme et du bourreau; si réprimer veut dire *serrer le frein*, je vous demande comment ce sens peut se concilier avec l'abandon du frein que l'on ferait à une cause perpétuelle de délit. Quant à la pensée, si l'on peut refréner par une force extérieure sa liberté (c'est-à-dire ici sa licence), ce n'est pas, à bien considérer, un effet du droit de penser, mais de l'impuissance de l'autorité qui, n'ayant pas entrée dans la conscience de l'homme, ne pouvait y établir un jugement. Du reste, si la pensée perverse se manifeste par quelque signe extérieur, cela suffit pour autoriser les précautions et la répression de la part de ceux qui veillent à la tranquillité publique. Ce serait alors une sottise d'attendre que le mal en vint à son effet sous le ridicule prétexte qu'il ne peut y avoir de punition que pour les effets seulement. C'est le cas pour les choses écrites : on peut juger de leur malice et du danger de la pensée manifestée; on peut donc aussi en prévenir les fâcheux effets par l'usage légitime de la censure. — Nous disons *prévenir* dans toute la rigueur du terme, sans ces ambages ou doubles sens trop familiers au langage doctrinal de notre temps. Nous croyons avec tous les maîtres en saine politique qu'il faut préférer la répression *préventive* à la répression *punitive*; de même que dans la médecine on n'hésite pas à préférer

l'art de prévenir la contagion à celui de la guérir, réservant celui-ci pour les tristes accidents que l'esprit humain ne saurait prévoir. Ce serait perdre son temps que de rapporter l'avis des écrivains sur cette maxime générale. Pourquoi donc vouloir faire une exception pour les maux produits par la presse? Parce qu'elle laisse aux bons l'avantage de la défense. Un père regardait son fils d'un caractère méchant, qui battait son plus jeune frère: il aurait pu l'en empêcher, mais il le laissa continuer, par la raison que ce dernier avait deux mains pour résister aux coups de son aîné. *Quid rides* (pourrions-nous dire à quelqu'un de ces grands arbitres des nations)? *mutato nomine, de te fabula narratur.*»

Hic integra legenda perdocta hac de re dissertatio S. Alphonsi in *Opere Mor.* append. 5, l. I. — It. vid. *Optimum Compendium regularum circa libros prohibitos*, in fine hujusce voluminis. — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, c. XXI, etc. — *Memorie di Modena*, etc., vol. I, VII, XII, etc. — Teppa, *Sulla lettura dei libri proibiti*. Torino, Marietti 1847. — Bresciani, *Il Tionide*, cap. 1: libri proibiti. — Cipollina, *Il Giobertista di buona fede*. Torino. — Cavazzoni, *I mali della stampa licenziosa, e quindi la necessità di una savia censura*: Ragionamento premiato. Modena, 1845. — Scotti, *Teoremi*, ecc.; item *Omellie ai giovani studenti*, p. 1^a. — Torricelli, *Orazioni sacre e dissertaz. storico-polemiche* (opus a Gregorio XVI celebratum), Lugano, 1839, Roma, 1855, vol. III. — Vittadini, *Saggio elementare di diritto pubblico Eccl.*, t. I, p. 5^a. — Zaecaria, *Storia polemica della proibizione dei libri ecc.* — Pallavicini, *Storia del Concilio di Trento*, p. 12^a l. XV. — Parisi, *Cas de conscience*. — *Civiltà Cattolica*, Ser. 4^a, t. IV: *La stampa libera*; t. XI: *la diffusione dei rei e dei buoni libri*. Ser. 3^a, t. I: *Una censura della stampa, tutela della libertà*; t. IV: *la buona e la rea stampa*. — Paravia, *Orazione per riaprimiento degli studi*. Torino 1854. — Freyssinous, *Défense du christianisme*, l. III. — Secondo Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contra la religione*. — Jamin, *Traité de la lecture chrétienne*. — Bouix, *Tractatus de Curia Romana*, part. 5^a, ubi fuse. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Libri prohibiti. — *Analecta juris pontificii*; t. I: Études sur l'Index.

(O) Page 288.

410. Li libri subijciuntur Ecclesie prohibitioni, in quibus noxia pascua continentur, cum Ecclesie sit nos ab illis arcere: quod evenit

quandoque, etsi libri in se pravi non sint, si nempe absque nocumento nequeant indiscriminatim permitti, ut patet de S. Scriptura in linguas vernaculas versa: optimus, divinus liber Scriptura; at noxius, si in lingua vulgari legi ab omnibus permittatur, ob ejus facilem abusum, uti patet quotidiano protestantium exemplo. Attamen qui generatim prohibentur libri, ideo tanquam noxii prohibentur, quia sunt etiam in seipsis pravi.

Hinc Pius IV Constit. *Dominici gregis* data 24 mart. anno 1564 approbans Indicem librorum prohibitorum ait: *Nos saluti animarum consulere eamque ob causam providere cupientes, ne libri et scripta cujuscumque generis quæ in eo improbantur* (en ratio generalis prohibitionis), *sive ut hæretica pravitate suspecta, sive ut pietati ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac a Christi fidelibus legantur, ipsum Judicem una cum regulis præpositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, etc.* Ex quo patet: 1. falsum esse aliquando libros ab Ecclesia damnari propter pura ac sola negotia politica, de quibus in ipsis agatur: quod si damnentur, ideo est quia una simul continent propositiones, quæ aliquo modo faciunt contra *salutem animarum*, cui cupiunt RR. Pontifices consulere per indicem sive catalogum librorum; 2. cum liber aliquis in *Indicem* est relatus, etiamsi nobis non innotescat specialis censura eidem inflata, et etiamsi ejus auctor sit Catholicus, imo et præclara fortassis fama insignis, concludere certo debemus in eo vel fidem vel mores vel pietatem offendi, vel saltem aliquod in eo esse correctione indigens; utpote quod animæ saluti opponitur; si enim nihil horum in ipso esset, liber profecto non fuisset prohibitus atque damnatus. — Quam autem sint injustæ, ne dicam impiæ querelæ nonnullorum, qui contendunt prohibitionem librorum Romæ fieri temere, perfunctorie, vel ex præconceptis opinionibus et partium spiritu, patet ex modo, ex longo examine, et subtilissima inquisitione, quæ ex Bulla *Sollicita* Benedicti XIV, edita anno 1753, instituitur in libris proscribendis.

Duplex Romæ est Congregatio (ex § 3 et seqq. Constit. *Sollicita*) cui unus incumbit circa librorum examen et proscriptionem; Congregatio nempe *universalis Inquisitionis*, vulgo *sancti Officii* (ad quam quidem et alia sine numero ac gravissima deferuntur negotia sacra, et ideo Suprema etiam nuncupatur); nec non *Congregatio Indicis*, cujus hæc res est maxime propria. — Prima illa constat Cardinalibus a summo Pontifice delectis, quorum alii Theologiæ, alii Juris Canonici, alii rerum omnium ecclesiasticarum peritia, omnes vero prudentiæ et probitatis laude omnino præstant. His adjungitur unus ex Romanæ Curie Præsulibus, quem *Assessorem* appellant; unus item ex Ordine Prædi-

catorum S. Theologiæ Magister, quem *Commissarium* dicunt: additur *Consultorum* numerus non definitus, ex utroque Clero assumptus: alios tandem ipsa sibi assumit Congregatio omnium doctrinarum etiam civilium prærogativa insignos viros, et isti *Qualificatores* dicuntur. Item Congregatio *Indicis* conflatur a pluribus Cardinalibus a Papa designatis, aliisque viris animo et doctrina præstantibus: unus ex iis *Præfecti* munere fulget; *Assistens* vero perpetuus est sacri Palatii Magister; *Secretarius* denique ex Ordine Prædicatorum ab ipso Pontifice nominatur.

Porro Congregatio S. Officii has regulas sequi debet cum de alicujus libri ad ipsam delati proscriptione peragitur: — 1° liber traditur uni ex *Qualificatoribus* vel *Consultoribus* ab ipsa Congregatione designando, qui librum attente perpendit, deinde censuram suam scripto consignat, indicatis locis et paginis, ubi putat errorem contineri; — 2° liber sic notatus mittitur ad Consultores singulos, ut in Congregatione de libro et censura eidem adnexa judicium collective feratur; — 3° si primus Revisor sese declaraverit pro libri proscriptione, etiamsi Consultores omnes in eandem sententiam concedant; attamen alteri adhuc Revisori liber tradendus est, una cum censura jam data a primo, suppresso dumtaxat ejus nomine, ut secundus liberius valeat judicium suum exponere; — 4° si Revisor secundus cum priori convenit, res Cardinalibus immediate communicatur, ut quod fuerit opportunum ipsi decernant. Si dissentit, tertius tunc Revisor eligitur, cujus voto accepto, iterum Consultores congregantur, qui suffragium collective ferunt, et Cardinalibus restat postea *peremptorium*, ut vocant, judicium proferre; — 5° assessor denique acta omnia defert ad summum Pontificem, ut ejus oraculo res ipsa tota absolvatur.

Quod si libri examen deferri contingat ad Congregationem Indicis, sic proceditur: — 1° ejus Secretarius accipit denuntiationem libri, et a denuntiante ipse per se diligenter percunctatur quas ob causas eundem prohiberi postulet; — 2° librum attente pervolvit, duobus assumptis Consultoribus de prævia summi Pontificis, aut cardinalis Præfecti, vel ejus vices gerentis approbatione; — 3° si collato horum judicio liber censura dignus existimetur, eligitur Relator aliquis ad judicium in scriptis pronuntiandum: hoc judicium fertur, ut de ipso videat, ad privatam Consultorum Congregationem, quam nunc *præparatoriam* nuncupant (et olim *parva* appellabatur); eique semper interesse debet S. Palatii Magister cum sex aliis Consultoribus; — 4° ad Congregationem generalem omnia deferuntur, quæ ad ultimam definitionem venit; facta tamen, priusquam publicetur, per Secretarium relatione ad S. Pontificem, pro ejusdem confirmatione.

Attamen duo sunt casus, in quibus utrique Congregationi licet (ex

laudata Benedictina Constitutione) brevius procedere: nempe 1^o cum denunciatur liber hominis hæretici, in quo auctor consulto et aperte tradat atque tueatur doctrinas catholico dogmati adversantes; 2^o cum agitur de Opere, quo rectæ morum regulæ aperte labefactantur et vitii fomenta præbentur. Imo aliquando, maxime si de hæresi peragatur, ipse R. Pontifex per se Brevi speciali ac dogmatica Constitutione librum immediate proscribit. Sic Pius Papa IX die 10 junii 1851, speciali Brevi proscripsit librum Lima editum a quodam Francisco de Paula: *Difesta dell'autorità del Governo e de' Vescovi contro le pretese della Curia Romana*. Lima, 1848. Et die 22 aug. *Juris Ecclesiastici Institutiones* Joann. Nepom. Nuytz in R. Taurinensi Athæneo Professoris, necnon in *Jus Ecclesiastici universum* Translationes Auctoris ejusdem.

411. *Quid (quæres) dicendum de illa censura, quæ aliquando in prohibitione librorum occurrit his verbis expressa: donec corrigatur? — R.* Quando agitur de libro auctoris catholici, qui sit clari nominis, et ejus liber talis sit, ut emendari possit, receptum est ut proscriptioni adjiciatur clausula: *donec corrigatur*, vel: *donec expurgetur*. In hoc casu (ex § 9 Constit. *Sollicita*) suspenditur publicatio Decreti, et res cum auctore vel quovis alio pro ipso agente et rogante communicatur, eidem indicando quid delendum mutandumve sit. Si correctionem injunctam auctor seu ejus delegatus dociliter accipit et novam sui libri editionem instituit cum datis castigationibus et mutationibus, tunc decretum supprimitur. Attamen si prioris editionis exemplaria magno jam numero distracta sint, tunc Decretum adhuc publicatur cum dicta clausula, indicando proscripam editionem, ut ab ipsa caveatur. De Gola Congregationis Indicis Secretarius ad Editionem Indicis librorum prohibitorum anno 1856. notat: *Aliquibus quidem libris locum et tempus editionis addidimus tum lectorum commodo, ne scilicet illos cum aliis ejusdem tituli atque argumenti confunderent; tum ad commonstrandum editiones illas, non reliquas, quæ diversæ sunt aut emendatæ, esse proscripitas.* — Ceterum si ponitur *donec corrigatur*, correctio postea facta approbari debet a S. Congregatione Indicis.

An sacra Congregatio debeat ante prohibitionem audire auctorem libri, si dignoscatur? Per se loquendo, ubi non agatur de notanda aut condemnanda ipsa auctoris persona, sed solummodo de consulendo fidelium indemnitate in fide et bonis moribus, et de aver-tendo e grege Christi periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur, nullum est opus auctorem in judicium vocare et audire. Quod si ignominia labes aliqua ejus nomini ex prohibitione proveniat, id non directe, sed oblique consequitur et auctor poterit copiose famæ

sue consulere se statim subjicendo opusque etiam reprobandum foris et ex animo, ut decet verum catholice nostræ Ecclesiæ filium.

Diximus: *per se loquendo*; nam optat de cetero S. Sedes, ut auctor, si causam suam tueri velit, audiatur, vel pro rerum adjunctis unus e Consultoribus designetur, qui ex officio operis patrocinium suscipiat; dummodo tamen: 1. agatur de auctore catholico, qui aliqua nominis et meritorum fama habeatur insignis; 2. ut ejus opus tale sit quod, demptis demendis, adhuc publico prodesse possit, sacre Congregationis judicio. Quapropter si contingat aliquando librum prohiberi, quin prius auctor fuerit auditus, nemo potest rationabiliter conquiri; in hoc enim casu vel credendum est quidquid pro suæ doctrinæ defensione potuisset auctor proferre, id minime a Censoribus neglectum fuisse; vel dicendum certo est, alterutram, aut utramque e duabus præscriptis conditionibus defuisse.

An sacra Congregatio debeat præmonere auctoritatem civilem ante libri prohibitionem alicujus ejusdem subditi?

R. Fuit olim Marsilii Patavini sententia Ecclesiam nihil posse in his rebus peragere sine dependentia et prævio consensu auctoritatis civilis. Sed ejus doctrinæ et jus et ratio et consuetudo expresse adversantur: 1. *ius*, quo statutum est ut hæc negotia tota sint in Ecclesiæ docentis, et ejus præsertim capitis visibilis, nempe summi Pontificis munere, arbitrio et conscientia (Tridentinum, sess. xxv, c. iii de regul.); et iccirco omnes contra sentientes habiti semper sunt doctrinæ catholice inimici; 2. *ratio*; Ecclesiæ nempe potestas independens omnino est a potestate civili in jurium suorum exercitio; et repugnat asserere Ecclesiam, quæ non a mundi Principibus, sed a Christo Domino suam immediate accepit auctoritatem absolute independentem, hac uti non posse sine Principum præmonitione et consensu; 3. *consuetudo*; nullum enim exemplum in historia ecclesiastica apparet prædictæ dependentiæ et præmonitionis.

412. *An saltem requiratur regium exequatur pro obligandis fidelium conscientis circa librorum prohibitionem?* Negative; cum potestas prohibendi malos libros ad Ecclesiam pertineat jure proprio, nempe divino, repugnat dicere ejusdem leges hac super re non posse vim suam exercere sine prævio civilis auctoritatis consensu. Si ita esset, quam facile posset Principis cujuscumque vel Ministri malitia et argutia leges ecclesiasticas deludere? Hinc communis et recepta sententia est, prohibitiones librorum, ubi semel de earum constet existentia, statim fidelium conscientias ligare; male iccirco sibi consulere eos, qui libros a S. Sede prohibitos (verba sunt clarissimi Alasia, *De Legibus, dissert. iv, c. v*), et adversos fidei vel bonis moribus nedum ipsi sine scrupulo legunt, sed et ab aliis docent libere legi posse aientes leges

Pontificias tales libros prohibentes non subiisse Senatus visionem, ideoque non habere regium exequatur; etenim certum est leges Pontificias materiam fidei et morum concernentes non indigere Senatus visione ut obligent. Hinc hoc obtinet etiam in Gallia, in Germania et ubique, cum agatur de tali negotio, quæ respicit res fidei et morum, dato etiam quod ibi Index officialem publicationem non habuerit. Adde hic neque ipsam contrariam praxim et consuetudinem suffragari posse; nam Constitutione *Quæ ad catholicæ Benedicti XIV quæ semper inseritur in ipso libro Indicis statuitur regulas et decreta hac de re servandas esse, non obstantibus usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.*

Dices: *Sine prævio civilis auctoritatis assensu seu regio placito Constitutiones Pontificiæ nequeunt in Statu publicari; atqui leges nondum in Statu publicatæ non obligant in conscientia fideles ejusdem Status.* — R. Distinguendo: *Constitutiones Pontificiæ nequeunt in Statu publicari, si respiciant disciplinam tantummodo, atque eo in casu ac simul in eo objecto, de quo per Concordatum cum sancta Sede sic fuerit conventum, concedo; secus nego.* Itaque si agatur de Constitutionibus Pontificiis dogmaticis, vel quæ fidem et mores fidelium respiciunt, tumentur omnes et Theologi et Canonistæ catholici nullum ad earum in Statu publicationem requiri prævium auctoritatis civilis assensum vel placitum: hæc sunt negotia illa, de quibus sic scribebat Osius Cordubensis Episcopus ad Constantium imperatorem: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis de his rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas; tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concedidit: motus, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* At si de Constitutionibus agatur mere disciplinariis, tunc utique videndum an in Statu aliquis adsit Concordatus cum Sede apostolica initus, et in casu affirmativo eidem inhaerendum; quia pacta conventa servari debent. Verum librorum prohibitiones quis dixerit esse leges pure disciplinares? quis imo neget eas directe fidei et morum conservationem et integritatem penitus intueri? — V. Pallavicini, *Storia del Concilio*, ecc., c. xix, § 14. — Margotti, *Processo di Nepomuceno Nuytz*. Torino, 1852. — *Civiltà Cattolica*, ser. 1^a, vol. VIII; L'exequatur. In Concordato Pedemontano, sive Instructione Benedictina a regio placito expresse eximuntur Brevia et Bullæ Dogmaticæ, nec non Constitutiones pro morum integritate. Deinde Index librorum prohibitorum fit ex ipsis regulis Tridentini.

(P) Page 289.

413. Quod dicitur de libris, idem valet de foliis quotidianis (vulgo *journalæ*) quæ sub eisdem Indicis regulis ac pœnis prohiberi censentur. Hic enim quæstio non est de forma, sed de substantia: et ubicumque invenitur error, profligandus est. Hinc Pius IX Encyclica *Nostis* (8 dec., 1849) Episcopos hortatur, ut omni sollicitudine adlaborent ad fideles avertendos ab omni pestifera lectione, et signanter nominat *impios libellos et ephemerides ac pagellas mendacii, calumniarum et seductionis plenas.* Nec tanto muneri defuerunt Episcopi sive intra sive extra Italiam. Ad nos quod attinet, vide Litteras ab excell. Episcopo Novariensi datas 14 junii 1852, ubi ab hac contagione omni studio oves suas avertere curat: quod ut assequatur magis, nonnullas pagellas et ephemerides expresse damnat, adeo ut nullus ex suis Diocesanis, quicumque sit, illas sive jam editas sive edendas amplius legere valeat sine peccato gravi vel levi pro levitate vel gravitate materiæ; nisi a legitima auctoritate licentia munitus sit. — Hodie quot adhuc pestilentissima diaria essent damnanda! impossibile tamen est, ut omnia noventur; cum fere quotidie et nascantur et cadant. Quisque moratus ea de facili noscere potest suorum pastorum consilium exquirendo; præterquam quod istæ pagellæ a longe purulentum foetorem spirant.

Celebris Braschius Sarsinensis Episcopus in libro *De Libertate Ecclesiæ*, t. III, c. xxvi, habet: « Episcopus damnare non potest librum propter propositiones in eo contentas, non damnatas ab Ecclesia; quia sic videretur velle condere articulum fidei, quod non potest ab uno Præsule fieri, sed debet a summo Pontifice definiri. Si tamen propositiones essent periculosæ, quas Episcopus cerneret non coherere cum definitionibus Ecclesiæ vel accedere ad errores ab illa damnatos, potest lectionem libri eos continentes Episcopus inhibere, saltem donec a Sede apostolica res ultimate definiretur. Quod vero ad libros morum honestatem vel disciplinam ecclesiasticam inficientes aut aliter prohibitionem dignos, latiore habet Episcopus eosdem interdicens potestatem, etiamsi in aliena diocesi fuissent cum solitis approbationibus publicati. » Citat autem præ ceteris in eandem sententiam Raynaudum, *De bonis et malis libris*, p. 5; et card. Albitium, *De inconstantia in fide*, c. xxx.

414. *Sed (quæres) an possint etiam sæculares Principes, et omnes Ecclesiastici libros decretorie damnare?* Negative: iudices enim fidei et morum a Christo positi in Ecclesia sua, non sunt Principes, neque inferiores Ecclesiastici; sed Episcopi, sed R. Pontifex. « Personne n'a jamais douté que les princes ne puissent et ne doivent éloigner de leurs

États les livres séditieux qui attaquent le gouvernement politique; personne n'a voulu enlever aux souverains un droit trop essentiel au bien général, qui est la fin principale de tout pouvoir. Mais en même temps il est certain qu'il appartient, non pas aux ecclésiastiques quels qu'ils soient, mais aux seuls évêques et au Pape, non-seulement de censurer, mais encore de condamner les livres sacrés ou profanes qui contiennent des erreurs contre la doctrine et la morale chrétiennes; cela est aussi certain qu'il est certain que le pouvoir de paître les agneaux et les brebis du Christ a été donné à saint Pierre. J'ai dit les livres sacrés ou profanes, parce qu'on ne saurait imaginer rien de plus ridicule que la distinction inventée entre les livres qui, traitant de la religion, seraient seulement soumis à la censure ecclésiastique, et les livres profanes dont la censure n'appartiendrait qu'au pouvoir civil, comme si dans les livres les plus profanes il ne pouvait se mêler des erreurs contre la foi et la pureté des mœurs. » Ita in libro, *Laissons aller les choses comme elles sont*, n. 10, etc. Verum est Theodosium I damnasse libros Theodoretii; sed Concilium Chalcedonense damnationem cassavit; alii autem catholici Principes libros damnarunt, sed ad tuendam Ecclesie proscriptionem jam datam. V. Labbæus, *Collectio Concilior.*, t. IV.

(Q) Page 292.

415. Cum ex Bulla *Cœnæ* excommunicentur non tantum legentes libros hæreticorum, sed et retentores, et imprimentes, et defendentes, hinc explicandum quinam isti sint. *Retentores* sunt qui libros vetitos habent, quocumque modo habeant, sive nomine proprio, sive alieno; sive retineant ad confutandum, sive retineant ad ornatum in bibliotheca. Item est si quis antequam liber prohiberetur, redegit in compendium; item si partem libri retinet; item si eos libros retinet ad involvendas merces aut similia, vel ad eos ligandos et consuendos, nisi id fiat pro iis, qui licentiam habent: quo sensu excusatur famulus, auriga, qui eos gestant jussu domini habentis licentiam. *Legentes* sunt qui non solum verbis, sed etiam oculis librum percurrunt, modo intelligatur sufficienter idioma; secus non legerent, nisi materialiter. Excusatur tamen ordinarius qui gravi metu ad legendum esset coactus; non autem excusatur corrector libri prohibiti qui imprimitur; nam ipse revera eum legit. *Imprimentes* sunt non tantum typographi aut patroni officinæ, sed qui humectant seu præparant chartam, imponunt atramentum, typos ordinant, torcular premunt; item transcriptores. Non tamen qui remote tantum concurrunt, ut vendentes chartam,

typos, atramentum, etc. *Defendentes* sunt omnes, qui quocumque prætextu vel causa librum quatenus hæretici opus est, laudant, exaltant, probant quæ in eo sunt, abscondunt, vel impediunt, ne tradatur superiori. Aliter esset, si quis laudaret tantum ingenium auctoris, stylum vel eruditionem. — V. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v° Libri prohibiti. — Sperone, *Theol. Moralis*, etc.

416. Olim libri in propria classe prohibiti distinguebantur; sed cum id confusionem induceret, cum semper essent sub unaquaque classe singulæ repetendæ, sub Alexandro VII novus Index confectus fuit, in quo ommissa illa distinctione, ordine alphabetico, omnes libri prohibiti reponuntur tantummodo signando qui sunt primæ classis per verba 1 Cl. Ad primam autem classem revocantur libri prohibiti per speciale aliquod Breve R. Pontificis, cum id fiat sub excommunicatione ipso facto et reservata. Item libri qui tractant de astrologia judiciaria; item *Thalmud* et alii similes hebræorum libri, ut in textu dictum fuit. Quod autem pertinet ad alias classes, distinguendæ sunt vel ex modo prohibitionis, vel ex materia quam pertractant, vel ex Doctorum consensu ac peritia. Porro præstat: 1. ut omnes Ecclesiastici hunc Indicem habeant, in quo adnotent quæ de novo in dies prohibentur, ut et sibi et fidelibus hac de re occurrere salutariter possint ac providere; 2. ut Indicis regulæ bene attendantur ita ut dignoscatur, ad quam classem libri perversi, qui passim eduntur (vel jam vel nondum damnati) reduci possint. V. Appendix 2^a in fine hujusce voluminis.

417. Hic pergrave monitum sit omnibus licentiam habentibus, ut caute libros prohibitos custodiant prout ipsa facta concessio præcipit. Provideant etiam, ne post eorum mortem in omnium hæredum manibus veniant, cum id esse non possit sine animarum pernicie, ut nimium probavit eventus.

418. Index obtinet etiam in Gallia: « La sacrée Congrégation des Cardinaux, interprète du Concile de Trente, n'a point hésité à supprimer, dans les décrets du Concile de la Province de Reims de l'an. 1857, une clause favorable à certaines coutumes des Églises de France, et à insérer à l'article de la bulle *In Cœna Domini*, touchant la lecture des livres des hérétiques, ces paroles bien expressives dans leur brièveté: *Ceterum serventur regulæ Indicis.* » Gousset, *Exposition des principes du Droit canonique*, n. 150.

V. *Analecta juris Pontificii*. Romæ 1854 et 1859: *Études sur l'Index romain*. — Et Cabassutius, *Jur. Canon. Theol. et Praxis*, l. I, c. iv, n. 6. — Bouix, *De Romana Curia*, ubi multis probat Indicem obligare in Gallia, in Germania et in Belgio, imo ubique; etiam quoad poenas latas, circa libros prohibitos in Bulla *Cœnæ*, par. 5^a.

(H) Page 394.

419. *Quid (dices) si error in libro fuerit abrasus?* Alii censent cum Croix librum legi posse; quia non amplius hæresim continet: sed multi alii cum Suarez negant, quia illa particularis abrasio non tollit communem prohibitionem libri. Verum mihi non displicet distinctio Sporer: si liber ex professo de Religione tractet, non obstante abrasione, remanet prohibitus juxta Bullam, quæ prohibet omnes libros hæreticorum de Religione tractantes. Secus vero, si liber ageret de indifferentibus, ut de philosophia, historia; sed excipe illam Centuriam aut hujusmodi, quæ in substantia agit etiam de Religione (Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 285).

420. *Quid (addes) si legatur tantummodo hæretici concio, vel epistola seorsim edita, vel folia libri errantia?* — Negant plerique censuram incurri; quia concio vel epistola non potest dici liber, et hæc in re interpretatio stricta facienda est. Sed nos cum Salmanticensibus observamus in expurgatorio Romæ edito jussu Tridentini expresse prohiberi sub excommunicatione (non tamen reservata) omnes scripturas ab hæreticis compositas, etiamsi breves et hæresim non continentes, donec examinentur et approbentur. Et S. Concilii Congregatio apud Ferraris in causa simili interrogata, quid comprehenderetur nomine libri, respondit comprehendere conciones, lectiones, disputationes et similes parvæ scripturæ licet transcriptæ.

421. *Quid de hæreticorum manuscriptis?* — Sunt qui tenent censuram non incurri ob talem lectionem; quia nomine librorum manuscripta non intelliguntur, nisi improprie. Probabilis fortasse erit sententia ista; sed magis adhæremus sententiæ contrariæ, quæ est etiam communior cum Croix, Holzman, Sanchez, Suarez, etc. Ratio, quia usu vulgari manuscripta sæpe *librorum* nomine insigniri solent; sic appellabantur omnia scripta, antequam typographia esset inventa: sic etiam in Rituali R. appellantur manuscripta, ubi adnotantur baptismata, matrimonia et funera fidelium. Hinc Benedictus XIV quotquot prohibuit libros, etiam manuscripta comprehendit.

(S) Page 397.

422. Quoad libros prohibitos plura adhuc notanda perutilia, atque ad hodiernam praxim maxime spectantia.

1. Si quando quæstio aliqua ab bonum minime conducens nimia animorum contentione inter catholicos scriptores exagitur, solet Ec-

clesia hinc inde silentium imponere: quod si violetur, librum ideo editum prohibet sub clausula *ob transgressionem impositi silentii*, ut fecit condemnando 17 martii 1754 *Apologie pour les Religieux Bénédictins*, etc. Hoc porro adhuc est et fidem et mores et pietatem tueri, cum inutiles quæstiones et scandala excitent et animos dividant et schisma foveant.

Item evenit etiam aliquando, ut liber qui primum in Indicem erat relatus, postea ab ipso expungatur, etsi nulla facta correctione (ut evenit de Operibus Galilei). Id contingit, si liber ille, etsi adhuc reprobanda contineat, attamen vel cessante animorum exagitatione, vel mutatis rerum et personarum adjunctis, non ita amplius publico nocere possit. Absit tamen, ut ideo enervemus vim prohibitionis Ecclesiasticæ quoad alios vetitos libros; casus enim expunctionis rarissimus est; neque privatæ est auctoritatis librum de Indice subtrahere; sed quousque in illo libri notati sunt, ut prohibiti, proscripti et damnati sunt habendi. V. Perrone, *De Locis Theol.*, parte 3^a, sect. 1, cap. 2, art. 2, propositione 2^a; et alii passim.

2. Observandum quod libri semel damnati, *in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ubique gentium, sub tisdem penis interdicti et damnati*. Ita Clemens VIII, *Instr. de libris prohibitis*. Si tamen libri perversi antequam damnentur jam in aliam linguam versi sunt, vel de facili verti suspicantur, tunc ad majorem fidelium cautelam in prohibitionis Decreto addi quandoque solet: *Quocumque idiomate*.

Si Liber exclusive contineat sententias et judicia auctoris prohibiti, si non sit ad confutandum, sed ferme simpliciter ad referendum, liber ille (etsi proprio nomine non sit relatus in Indicem) habendus est uti proscriptus; nam est forma diversa, sed eadem res et substantia.

3. Hic maxime sunt improbandi qui pravos libros vel diaria (vulgo *journalaux*) irreligiositate plena ex solatio legunt: impossibile est, ut sensim sine sensu illorum non induant spiritum in male judicando, in auctoritate parvipendenda, etc. Adde scandalum, quod dant ceteris tali lectioni vacando. Adde ansam, quam sic præbent malis scriptoribus. Idque fortius de Ecclesiasticis valet: vae illis, qui tales ephemerides detractionibus, impietatibus et turpitudinibus redundantes vel coram ipsis secularibus legunt; imò vel in ipsis publicis officinis; et quod lacrymis dignum est, risu excipiunt! Deus, Religio, ejusque pastores a nemine frustra irridentur. Aliter tamen dicendum est de viris doctis, ideo deputatis, qui eas caute ac prudenter legunt, ut confutent, aut suas oves ab illis avertant; Dei enim gratia iis occurrit quidem, qui officii necessitate compulsi perniciosam suscipiunt, non vero iis qui inani curiositate ducti periculis se exponunt. V. Ségur, *La révolution*, c. XXIII.

4. Quando S. Congregatio aliquem vetat librum, non se habet uti paterfamilias qui librum optimum in se, at filio suo, n̄pote ejus ætati nondum accommodatum, prohibet simpliciter; sed vere iudex est, qui librum pravum in se prohibet, *damnat, proscribitque, et in Indicem librorum prohibitorum referri mandat*, prout habent omnia hac de re prohibitionis Decreta.

5. Iudex jus dicens vel accusatum damnat, vel accusatum absolvit, vel de ejus delicto non satis constare pronuntiat. Hoc ipsum dici potest quod eveniat in iudicio, quod profert S. Congregatio in librorum examine. Ceterum quando librum non damnat, pronuntiat verbum *dimittatur*, nempe *dimittatur causa*, quod iudicat (uti notant harum rerum periti) in libro vel nihil esse reprobandum, aut saltem graviter reprobandum adeo ut liber proscribatur; vel rem post examen dubiam remanere, nec ideo ad prohibitionem esse deveniendum sine novo examine. Absit ergo toto cœlo, ut verbum *dimittatur* eandem habeat vim ac verba quæ aliæ Congregationes pronuntiare solent, *nihil censura dignum*, ut nonnullis, perperam omnino, placuit asserere. « La sacrée Congrégation par cette parole : *dimittatur*, n'a pas entendu émettre un jugement ni pour ni contre; elle a renvoyé la cause en la laissant dans le statu quo à la libre discussion des savants. » (Ad rem Civ. Cattolica, ser. III^a, vol. III, pag. 522.)

6. Ecclesia generatim libros prohibet, quin errores indicet, ac speciales notas assignet, et merito; est enim hic modus, ut de re simili ait ipse Bossuet, *Second écrit du livre de Fénelon*, promptior et expeditior, ac multo minus præbet locum cavillationibus Auctorum, qui amore sui decepti, ac superbi iterum atque iterum opponerent: sicque vim prohibitionis ex maxima parte eluderent, luctuosa experientia teste. Nobis satis esse debet, quod Ecclesia sit magistra veritatis et caute in omnibus agat. Et qui convinci prætendit postquam Ecclesiæ sanctæ tribunal locutum est, videat quo tandem sua superbia eum sit ductura. Convincere, non convinci iste vult, exemplo Joannis Huss, qui paratus erat suos abjurare errores si convinceretur; at quis poterat eum convincere, cum a priori se nullimode errasse contenderet? Qui porro Huss imitatur in pertinacia, videat ne ipsum sequatur in perditione, primum naufragium faciens in obedientia, postea in fide, quicumque est ille.

7. Statim ac per fide dignos vel per publicas ac probatas ephemerides ad nos pervenit certa notitia prohibitionis librorum, obligat; et satis est, quod Decretum Romæ publicetur, ut dictum est Tract. *De legibus*. Et sane nova decreta librorum prohibitoria novum jus non faciunt, sed jam recepti juris, scilicet Regularum Indicis, applicationem continent tantummodo. Præstaret tamen, ut Episcopi, vel in Calen-

dario, vel alia arrepta occasione, tum Decreta prohibitionis librorum, tum aliarum Congregationum decisiones ad praxim spectantes publicarent.

8. Nostrum non est rationem prohibitionis proprio Marte divinando ejus vim enervare, sed eam venerari atque ex corde nos illi submittere. Et qui reperit suum librum in *Indicem* relatum, ne studeat emendicare prætextus, sed palam opus reprobare ne pigeat, ut quo modo ruina posita est, eo modo removeatur, et sciant fideles eum qui noxia scripsit, eadem retractasse. Qua in re commendandus Jacobus Lecoffre, librarius Parisiensis, qui cum accepisset opera omnia Vincentii Gioberti Decreto S. Officii 14 Januarii 1852 vetita fuisse, omnia exemplaria illico suppressit, malens damnum temporale sustinere, quam S. Matris Ecclesiæ renuere mandatis. Item celebris Muratorius laudandus, qui cum intellexisset nonnulla esse reprehensione digna in suis *Italiae Annalibus*, prout notaverat Benedictus XIV, Sanctitatem Suam enixe rogabat, ut sibi forma præscriberetur, qua perperam dicta corrigeret, libenter facturus. Sed cum morte præventus id perficere non potuisset, Josephus Catalani, qui diu fuerat cum Auctore familiaritate conjunctus, extitit fidelis defuncti voluntatis executor, ejusque opus notis munivit, in quibus jura Apostolicæ Sedis lædi novit; ut patet ex Editione romana 1752. *Primum est* (ait Cassianus, *De Incarn.*, l. I, c. iv) *errore penitus non incurrere; secundum bene repudiare*: nota illud bene. — V. *Lettera parenetica scritta da un Diacone Romano a mons. Scipione De Ricci*. Vercelli 1795.

9. Turpiter errat qui negat se submittere, vel libros vetitos respuere, quia illa Congregationis prohibitio non est certa de fide. Absit enim, ut Ecclesiæ tunc tantum sit parendum, quando aliquid uti fide tenendum præcipit: tunc cui superiori parendum esset? Ceterum hac de re quam sit rationabile obsequium nostrum, patet ex rigoroso examine adhibito antequam liber prohibeatur. Unde si non fidem, obedientiam certe lædunt, et quidem sub gravi qui renuunt se prohibitioni submittere. Imo et fidem lædunt si prohibitio per S. Pontificem *ex cathedra*, seu decretorie lata sit: recte enim docent Doctores (V. Tournely, *De eccles.*) quod Ecclesiæ circa libros censura est infallibilis; Ecclesiæ enim (addit Natalis Alexander, *Hist. sæc. 6* diæt. 5) sanam doctrinam ab hæretica discernere pro suo iudicio datum est a Christo. — V. Liguri, *Op. Mor.*, l. I, c. II. — *Civiltà Catt.*, ser. 2^a, vol. VI: l'autorità sociale.

10. Si omnes perniciosi libri jure tum divino tum ecclesiastico tum naturali sunt prorsus amandandi, id multo magis dicendum est de illis qui sunt contra fidem aut aliquod fidei dogma; qui neque a firmis in fide neque a licentiam habentibus ad curiositatem, ad solatium, ad

nudam instructionem vel alia ratione non omnino necessaria legendi forent. Fides enim est fundamentum totius religionis; ideo præstat, ut neque materialiter labefactetur, aut oculos nostros conspurcemus tot malorum blasphemis, ac mente repetamus tot in fidem nostram contumelias. Qui indignatur de aliquo, illud prorsus abjicit.

11. Rem laudabilem agerent Ecclesiastici, si libros suos propria Ecclesiæ in commodum Cleri relinquerent exemplo S. Prosperi episcopi; en particula ejus testamenti conditi anno 1475: *Ecclesiæ meæ do, lego omnes libros meos, præter Evangeliorum librum, quem scripsit Hilarius, quondam pictaviensis sacerdos, quem tibi Eufromio fratri et consacerdoti dilectissimo... do, lego, volo, statuo; memor esto mei. Amen.* In quæ verba ait *Amico Cattol.*, vol. V, p. 89: « Les livres et les manuscrits ecclésiastiques sont une espèce d'héritage sacré: ils devraient toujours être donnés aux prêtres, par exemple aux curés successeurs, aux séminaires, aux chapitres. Les héritiers séculiers, pour l'ordinaire, n'en retirent aucun profit ni pour l'âme ni pour la bourse. Que de belles bibliothèques se formeraient en peu de temps! Elles ne laisseraient plus à regretter la perte des précieuses bibliothèques de nos religieux. »

12. Patresfamilias, magistri scholarum, heri et omnes qui curam aliorum habent, inferiores a lectione librorum romanensium quantum possunt avertant, eosque piis, sanctis ac gravibus studiis assuefaciant; hac enim sola via formantur viri eruditi, sensati, virtutibus præditi, Religionis ac societatis defensores, ad regendam propriam familiam idonei et nulli negotio impares. Sane non desunt ætate nostra optimi libri, qui oblectant animum, quin vitium insinuent: imo in eo toti sunt, ut virtutem extollant, ad eamque alliciant: quos porro præstat præ manibus adolescentium ponere. *V. can. Smith, Racconti.* — *Wiseman, Fabiola; Newman, Calliste.* — It. opera omnia clariss. *Bresciani.* — *Letture Cattolice, Torino;* etc.

Ad rem orator David in quadam Conferentia: « Prenez un roman moderne, analysez-le; qu'y trouverez-vous? Ce que je vous ai dit: le mépris des bonnes mœurs, la consécration de l'adultère, la vertu tournée en ridicule. Voilà les idées dont se nourrissent parmi nous le jeune homme, l'épouse, la mère, l'enfant. La logique, cette force inflexible, le dit, la corruption ira du livre au cœur. Une plaie affreuse se formera, s'étendra au sein de la société, le mal gagnera toujours plus, et la première fois qu'une main courageuse lèvera ce voile, vous serez épouvanté à la vue de cette plaie gangréneuse. » Talis inter plures alios est liber hodie expresse damnatus inscriptus *Pastor fidus*: talis est, imo et perniciosior liber *Novellarum* Joannis Boccacci (etiam qui dicitur expurgatus); hic enim, nostra quidem sententia, plus juvenibus

nocere potest, quam opera Lutheri et Calvini: quem quidem ipsemet Auctor reprobavit in quadam sua Epistola ad Mainardum, ut refert cl. De Luca, *Annali religiosi*, t. XI. — *V. Tassoni, Pensieri*, l. VII. — *Roberti, Del leggere libri di divertimento.* — Opus, *La loro bocca è un sepolcro aperto.* Parigi, 1841. — *Turchi, Omelia sulla lettura dei libri*: ubi contra illos insurgit qui ideo legunt, quia opus prohibitum est. — *Stapf, § 310.*

423. *Quid (quæres) si dum editur liber, in Indicem librorum sit relatus? fasne erit tum ab editoribus tum a subscriptoribus a contractu resilire?* — Affirmative; tunc enim manifestum fit mercem substantialiter vitiosam esse et prohibitam; ideo quilibet Catholicus poterit et coram Deo et coram hominibus contractum rescindere. Hac de re habemus sententiam a Tribunali civili nuper latam in Gallia. Alicubi forsitan aliter a civili tribunali controversia solvi poterit, cum habeant diversa sidera lites, neque omnes suam mutuent auctoritatem a sanctissimis Ecclesiæ legibus vel ipsarum rationem habere velint.

(T) Page 304.

Nonnulla pro coronide adnotabimus de generalibus fidei impedimentis, ut in rebus adeo momentosis nil desideretur. Sed quoad *Biblicismum* vid. App. III in fine, omnino legenda.

424. a. *Rationalismus.* Hac in re caveamus, ne fidem extollendo in eorum errorem impingamus, qui omnem vim ad veritatem probandam rationi naturali denegant, ita ut vel ipsa prima principia solummodo per auctoritatem nobis certa fiant: qui error *traditionalismus* dicitur, contra quem faciunt hæc verba recentissimi Concilii Provincialis Ambianensis (Amiens): « En attaquant le rationalisme, il faut éviter de réduire à l'impuissance la faiblesse de la raison. Il est sûr, d'après la doctrine constante des écoles catholiques, que l'homme, ayant le plein usage de sa raison, peut, par l'application de cette faculté, percevoir et même démontrer plusieurs vérités métaphysiques et morales, telles que l'existence de Dieu, la spiritualité de l'âme, sa liberté et son immortalité, la distinction du bien et du mal, etc. Il est faux que la raison soit incapable de décider ces questions, que ses arguments soient sans force ou soient renversés par des arguments contraires. Il est faux que l'homme ne puisse admettre naturellement ces vérités sans croire auparavant à la révélation divine par un acte de foi surnaturelle. » *V. Civiltà Catt.*, ser. 2, vol. I et III: *Due filosofie*; et vol. XII, ser. 3, pag. 601; t. I, ser. 1: *Valore del razionalismo in ordine alla civiltà; razionalismo politico; replica*, ecc. — *Perrone, Prælect.*

Theolog. in compendium redactæ, par. 3 : *De analogia rationis et fidei*, ubi alios recentiores contra fidem errores refellit, ut est *determinismus* qui liberum hominem subjicit duræ et ineluctabili interiori necessitati; *sensismus* seu *sentimentalismus mysticus* qui sensum dicit unicam esse cognitionis normam; *materialismus* qui hominem ad puram organisationem redigit; *empirismus*, qui in meris factis sperimentalibus sensus sive interni sive externi sistit, in iisque totam collocat scientiam; *hermesianismus* qui in scepticismum et indifferentismum inducit; ab Hermesio Bonnensi professore, quem Gregorius XVI decreto 26 sept. 1855 damnavit. — V. Liberatore, *Della conoscenza intellettuale*. Roma, 1857; par. 1 : *Del lamennismo, del tradizionalismo*. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., passim. — Chastel, *De la valeur de la raison humaine*.

Qua de re decretorium proferamus iudicium S. Indicis Congregationis (V. *Civ. Catt.* ser. 3, vol. I, pag. 252). « Sacra Indicis Congregatio in generali conventu habito in Palatio Apostolico Vaticano, 11 junii 1855, proposito dubio :

« An quæ sequuntur philosophiæ theses probandæ sint eademque subscriptioni exhibendæ D. Bonnetty, Ephemeridum auctoris queis titulus *Annales de philosophie chrétienne*, auditis pridem ac mature perpensis Theologorum suffragiis censuit decrevitque : has propositiones esse approbandas et præfati operis auctoris subscriptioni exhibendas, salvo semper Apostolicæ Sedis ulteriori iudicio, quoad integrum ejus opus.

« Quod quidem Emm. PP. Decretum Sanctissimo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum die 15 junii currentis anno 1855 relatum, eadem Sanctitas Sua firmavit atque executioni mandari præcepit.

Theses hujusmodi sunt.

« 1. Etsi Fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissentio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo Opt. M. oriuntur, atque ita sibi mutuam opem ferant (*Encycl.* PP. Pii IX, 9 novemb. 1846); — 2. ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est Revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi et fatalismi sectatores allegari convenienter nequit (*Prop. subscripta a Bautain* 8 sept. 1840); — 3. rationis usus Fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit (*Prop. subscr. a Bautain* 8 sept. 1840); — 4. methodus, qua usi sunt D. Thomas, Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas, philosophia in naturalismum et pan-

theismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint (*Prop. contradict. propositionibus passim ex D. Bonnetty desumptis*). »

HIERONYMUS Card. DE ANDREA Præfectus.

F. Aug. V. Modena, O. P. S. J. I. a Secret.

Prædictis Propositionibus libenter, corde et animo assentior, AUGUSTINUS BONNETTY Ephemeridum queis titulus : *Annales de philosophie chrétienne* auctor et editor, D. Gregorii M. ordinis Eques.

Parisiis, die 12 julii 1855.

425. b. *Progressismus*. Est sane alius progressismus, quem nos commendamus : est progressus in fervore devotionis; progressus in solido amore proximi; progressus in scientiis optimis, in artibus, in virtutibus : quo sensu accipitur illud Apostoli I Tim. 4 : *Profectus tuus manifestus sit*; atque ad Ephes. 4 : *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. « Cave tamen (monet ad rem *Stapf*, § 326), ne ea quæ hucusque usitata fuerunt, ex malesano nova moliendi pruritu, indiscrete rejicias. Decet equidem ut in negotiis, quæ nobis incumbunt, expediendis, semper perfectiora meditemur; ast plurimi nostra ætate hoc principio pessime abusi sunt, dum nempe studio novitatis ducti omnia miscere, et quidquid antiquum vel usitatum fuit, jam ex hoc solo titulo eliminare tentarunt : qui quidem antiquitatis contemptus nobis nimium quantum funestus accidit! » Vel ipsas vias ferreis axibus munitas Religio nostra non probat tantum, sed jam videtur indicasse illis Ezechielis verbis : *Spiritus enim vitæ erat in rotis*; et Eccles. 31 : *In omnibus operibus tuis esto velocis*. Celebris autem religiosus Rogerius Baco jam a sæculo XIII scribebat ad rem : *Currus etiam possent fieri, ut sine animali moveantur cum impetu inæstimabili; ut naves maximæ fluviales et maritimæ ferantur, unico homine regente, majori velocitate, quam si essent plenæ hominibus navigantibus; possunt etiam fieri instrumenta ambulandi in mari et in fluviis ad fundum sine periculo corporali; pontes ultra flumina sine columna vel aliquo sustentaculo (apud Cantù, *Storia universale*, Schiar. I. XI). Item tradunt eruditi Salomonis templum pluribus virgis metallicis auratis desuper fuisse munitum, et quidem ad parandum fulmen; non esset ergo hæc nova inventio Francklinii.*

Quoad progressum vid. Bellissima, *Theol. Dog. Instit.*, t. I. — Bergier, *Dictionaire*, Append. v° Progrès. — Riccardi, *I conti fatti al progresso del secolo XIX*. Vercelli. — Liberatore, *Il progresso, dialogo filosofico*. Genova, 1847. — Ferreri, *La cattedra di*

Fono 3.º pag. 476. edic. mexic.

S. Pietro, giorno ultimo. — Giuria, *Il Cristianesimo, Religione di progresso*. Torino. — Salzano, *Elementi di storia antica*, I. II. — Charvaz, *Guida del Catecumeno valdese, ossia Difesa del Cristianesimo*. Torino, 1857, vol. I, lib. III, ragionam. 6 : del Cristianesimo progressivo (Opus pereruditum et tanti Archiepiscopi dignum). — Marchetti, *Dissertatio* : egli una è proposizione empia ed inetta l'asserire che la Religione cattolica avvilisca lo spirito umano, e renda gli uomini inutili alla società (V. *Annali Religiosi*. Roma, vol. XI). — *Civiltà Cattolica*, ser. 1, t. IV : *I codini e i sanfedisti in Italia*; ser. 3, vol. VII : dell'influenza religiosa nella società; vol. XI : Il progresso; ser. IV, t. III e IV, *il vero e il falso nel progresso*. — Martinet, *Philosophie du Catéchisme catholique*, I. IV. It. *Solution des grands problèmes*, prob. I, c. xx. It. *La veille du peuple*, leq. 12. — P. Félix, *Le progrès par le christianisme*, Conférence, etc.

Hic tamen præstat audire clariss. Ozanam, in opere *La Civilisation au v^e siècle* : « Le dogme ne change point, mais la foi est une puissance active qui cherche la lumière, *fides quærens intellectum*. Elle conserve la vérité révélée, mais elle la médite, elle la commente, et du symbole que retient la mémoire d'un enfant elle tire la *Somme* de saint Thomas d'Aquin. La morale ne change point, mais l'amour qui la met en pratique ne connaît pas de repos. Les préceptes restent, mais les œuvres se multiplient. Toutes les inspirations de la charité chrétienne sont déjà dans le Sermon sur la montagne; cependant il fallait des siècles pour en faire sortir les monastères civilisateurs, les écoles, les hôpitaux qui couvrirent toute l'Europe. Enfin le culte ne change pas, du moins dans son fond, qui est le sacrifice : un peu de pain et de vin au fond d'un cachot suffisait à la liturgie des martyrs. Mais une espérance infatigable pousse l'homme à se rapprocher de la beauté divine qui ne se laisse pas contempler ici-bas face à face. Il s'aide de tout ce qui semble monter vers le ciel, comme les fleurs, le feu, l'encens. Il donne l'essor à la pierre et porte à des hauteurs inouïes les flèches de ses cathédrales. Il ajoute à la prière les deux ailes de la poésie et du chant, qui la mènent plus haut que les cathédrales et les flèches. » Imo perdoctus ac religiosus auctor observat : « La pensée du progrès n'est pas une pensée païenne. Au contraire, l'antiquité païenne se croyait sous une loi de décadence irréparable, le genre humain se souvenait des hauteurs d'où il était descendu, et il ne savait pas encore comment en remonter les pentes. Le livre sacré des Indiens déclare qu'au premier âge « la justice se maintient ferme sur ses quatre pieds; la vérité règne, et les mortels ne doivent à l'iniquité « aucun des biens dont ils jouissent. Mais dans les âges suivants la justice perd successivement un pied, et les biens légitimes diminuent

« en même temps d'un quart. » Hésiode berçait les Grecs au récit des quatre âges, dont le dernier avait vu fuir la pudeur et la justice, « ne laissant aux mortels que les chagrins dévorants et les maux irremédiables. » Les Romains, les plus sensés des hommes, mettaient l'idéal de toute sagesse dans les ancêtres; et les sénateurs du siècle de Tibère, assis au pied des images de leurs aïeux, se résignaient à leur déchéance en répétant avec Horace :

*Etas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiore.....*

« Si quelque part, chez Sénèque par exemple, éclate un merveilleux pressentiment de l'avenir, s'il annonce en termes magnifiques les révélations que la science réserve aux siècles futurs, ces lueurs ne sont que le reflet du christianisme, qui venait de se lever sur le monde, et qui effleurait déjà de ses clartés les intelligences les plus éloignées de lui.

« C'est avec l'Évangile qu'on voit commencer la doctrine du progrès. L'Évangile n'enseigne pas seulement la perfectibilité humaine, elle en fait une loi : « Soyez parfaits, *estote perfecti* : » et cette parole condamne l'homme à un progrès sans fin, puisqu'elle en met le terme dans l'infini : « Soyez parfaits comme le Père céleste est parfait. »

426. 5. *Massonismus*. Ad rem faciunt quoad sectas occultas, quæ scribit Torricelli, *Dissertationi*, ecc., vol. II, art. 102 : « Barruel parvint, à l'aide d'une philosophie véritable et de patientes recherches, à pénétrer dans les secrets les plus cachés de ces mystères de la malice humaine, et il les révéla, avec des documents et des preuves irréfragables, dans ses *Mémoires pour servir à l'histoire du Jacobinisme*, qui commencent à paraître à Londres en 1796. Il s'appliqua dans cette œuvre à prouver l'existence d'une triple conjuration qui avait préparé la Révolution française : la première, des incrédules qui, depuis la moitié du xviii^e siècle, tendaient à renverser le christianisme; la seconde, des francs-maçons et de tant d'autres qui, à l'aide des principes d'indépendance, de liberté et de républicanisme, tendaient à renverser les trônes, la troisième, des illuminés et des adeptes des sectes les plus obscures qui, forts de l'appui des incrédules et des francs-maçons, visaient à détruire la religion et l'autorité.

« Il était naturel qu'une œuvre de cette nature soulevât contre Barruel une foule d'ennemis et de contradicteurs. Tous les sectaires, quels qu'ils fussent, les ennemis de l'autorité, les philosophes, se déclarèrent contre Barruel. Il combattait sur la brèche, au milieu des ruines de l'autel et du trône, avec un courage que peut seul inspirer l'amour de

la vérité et de la patrie; il dénonçait à ses contemporains et à la postérité plus impartiale l'atroce conjuration et l'impiété infernale de ces temps malheureux. Ses Mémoires sont le procès-verbal des auteurs de ces maux; leurs correspondances, leurs aveux, les documents authentiques, les notes officielles, sont des preuves et des témoignages de fait qui ne peuvent pas être démentis par une épigramme ou une injure. Ces Mémoires sont un livre précieux qui a ouvert les yeux à un grand nombre, et on ne peut les lire avec bonne foi sans être convaincu. — V. Bresciani, *Ebreo di Verona*. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., *Append.*, v° *Francs-maçons*. — Audisio, *Lezioni di eloq.*, p. II, l. II. — *Saggio sul Socialismo*, c. v. — De Luca, *Annali*, ecc., t. XII. — *Civiltà Catt.*, v. I, V, etc. — D'Arincourt, *Le Masque d'or*. — Monseigneur Rendu, *A quel point nous sommes de la révolution*, Annecy, 1857.

427. 4. *Bibliismus*. Quoad prohibitionem legendi S. Scripturam in vulgari lingua, audiatur *Civiltà Cattolica*, ser. I°, vol. VI, p. 569: « Il ne faut pas croire que l'Église interdit généralement aux laïques la lecture de la Bible, en en réservant le monopole au clergé. Elle n'a jamais défendu à personne de lire la Bible dans le texte original, ou dans sa version latine appelée la *Vulgate*. La raison en est que le texte original et la version latine ne peuvent tomber qu'entre les mains d'hommes instruits, dont l'Église ne redoute pas la critique. Mais, quant aux versions en langue vulgaire, au moyen desquelles la Bible peut se trouver entre les mains des ignorants, la prudence veut qu'on emploie plus de précaution, et qu'on allonge ou qu'on raccourcisse le frein dans la proportion des périls auxquels est exposée la simplicité des fidèles. Tant que la croyance catholique n'a pas couru de grave danger du côté des artifices frauduleux des novateurs, l'Église n'a établi aucune prohibition en cette matière. Il y eut plus tard des prohibitions locales et partielles contre les efforts des Vaudois et des Albigeois, lorsque leur manie effrénée d'altérer les livres saints faisait parmi les simples d'affreux ravages. Mais au xvi^e siècle, lorsque l'impudence des hérétiques ne mit plus aucune borne à la propagation des Bibles falsifiées ou tronquées, et que la prétention d'interpréter les saintes Écritures par le sens individuel eut gagné les têtes des boutiquiers, des savetiers et même des femmes, l'Église s'est vue dans la nécessité, pour obvier à un si grand mal, de retirer la Bible des mains des ignorants, et de statuer que désormais personne ne pourrait, sans permission, en garder une traduction en langue vulgaire. C'était obvier aux dangers que couraient les ignorants, sans imposer aucune défense à ceux qui avaient quelque instruction, puisqu'ils conservaient la faculté de lire la Bible dans son texte original ou dans la langue

latine, qui, à cette époque, était d'un usage très-commun. Le danger étant devenu moins menaçant et la connaissance de la langue latine plus rare, l'Église a peu à peu tempéré cette sévérité: et maintenant depuis les décrets de Benoît XIV, confirmés par Pie VIII et Grégoire XVI, il est permis à tout fidèle de lire la Bible en langue vulgaire, pourvu que la traduction en soit approuvée par l'autorité ecclésiastique, et accompagnée de notes tirées des saints Pères et des autres auteurs catholiques; ce qui est nécessaire, comme chacun le comprend, pour préserver de l'erreur dans les passages qui sont d'une interprétation difficile. »

Celebris profecto est et omnibus commendata versio S. Scripturæ cum notis facta studio archiepiscopi Antonii Martini: quam quidem cum gratiarum actione excepit Pius VI Brevi 16 ap. 1788, quæque summo omnium plausu ac fructu novis in dies editionibus donatur. It. *La sainte Bible* de Vence, la cinquième édition corrigée et augmentée de notes herméneutiques et scientifiques, par le chev. Drach, avec un Atlas et des tableaux iconographiques. Milan, Stella Fr.: doctissimis enim ad rem Dissertationibus præstat. Ad pleniorum autem Scripturæ intelligentiam inservient: *Nouveau Dictionnaire de la Bible avec des observations critiques*. Novi, 1845. — *Aquila*, *Dictionnaire de la Bible*. — Calmet, *Dictionarium Bibl.* — Et maxime Veit, *Sacra Scriptura vindicata*, quæ de facili ab omnibus acquiri potest. — Opus autem in hac re absolutissimum, quod pluribus tomis distribuitur, est *Commentarium* Cornelii a Lapide omnium interpretum principis.

A protestantibus hodie maxime prædicatur versio Diodati calvinistæ, at mendaciter sane, cum septem libros S. Scripturæ omiserit, et plures textus adulteraverit. Hac de re vid. *Dialogue sur la traduction de la Bible de Déodat*. Pogliani. Milan, 1851. — *Amico Cattolico*, Mil., ser. I°, v. III: *Lettre à un clerc sur la Bible répandue par Déodat*. — *Annali religiosi*, ser. II°, vol. IX, pag. 465. — Rossi, *De la Bibliomanie des hérétiques, aperçu historique suivi d'un dialogue sur la traduction de la Bible de Jean Déodat*. Valence, 1857. Porro quod Biblicæ protestantium societates vera pestis sint, prout eas RR. Pontifices appellarunt, confitentibus habemus vel ipsos adversarios: sic enim professor Leo de protestantium secta scribebat hac de re cuidam amico: « Le Pape, me dites-vous, a appelé la société biblique une peste. C'est vrai, elle l'est. Ayez donc la bonne foi d'examiner ce que font tous ces émissaires de la société biblique anglaise dans les pays catholiques avec une impudence qui n'a pas de bornes; comment ils distribuent par tous les moyens, bons ou mauvais, leurs livres, sans discernement de personnes, et comme ils se montrent naïfs!

Mais ils jettent la confusion dans les esprits, ils ruinent l'autorité de l'Église, et n'ont en dernière analyse qu'une influence révolutionnaire. En voyant leur résultat dans le nord de l'Italie durant ces dernières années, je ne puis m'empêcher de donner raison au Pape, qui la traite de peste.... La Bible est la peau de brebis sous laquelle se présentent les loups, et le succès qu'ils atteindront sera le renversement de l'autorité et de la vérité... Oui, mon ami, si j'étais pape et Italien, je ferais comme le Saint-Père, j'élèverais la voix contre ces horreurs. » (*Wohlsblatt de Halle, n. 5.*)

(U) Page 305.

428. Præstat quoad protestantismum audire doctissimum P. Perrone in Dissertatione: *Della denominazione che la Chiesa cattolica dà alle comunioni da lei divise, di eretiche e di scismatiche* (Annali rel., serie 2^a, vol. VII, Roma, 1850). Adductis enim gravibus verbis ac minis Christi Domini, Apostolorum ac SS. Patrum in sectatores omnes, ita concludit ad rem: « Si telle est l'idée que les Pères, d'après l'enseignement de Jésus-Christ et des Apôtres, nous ont transmise d'un commun accord au sujet des sectes et des sectaires; si tel est le sort qu'ils nous représentent comme étant réservé à ceux qui en ont été les auteurs ou les coupables sectateurs, quoique beaucoup d'entre eux n'aient erré que dans quelques points de doctrine, et que leur seul crime fût de résister aux décisions de l'Église, à la foi que l'Église enseignait alors même, que devons-nous penser, que devons-nous dire du protestantisme? Du protestantisme, dis-je, qui non-seulement contredit un très-grand nombre d'articles de la foi catholique, mais qui, en outre, s'est créé, s'est posé, s'est érigé sur les ruines de l'autorité, proclamant au-dessus de toute secte le principe de l'indépendance de la raison individuelle, du libre examen, et par conséquent du libre choix des doctrines en matière de religion? Principe qui absorbe, qui détruit, qui anéantit toute croyance? Principe qui justifie toute erreur, tout schisme, toute hérésie qui ait pu, dans les siècles passés, et qui puisse à l'avenir être enfantée contre la doctrine de Jésus-Christ, par n'importe quelle tête extravagante? Principe qui s'étend de la Bible jusqu'à la dernière trace des livres symboliques? Principe qui divise et subdivise les intelligences non moins que les volontés jusqu'à isoler l'individu de l'individu, et à détruire toute idée d'unité et de société religieuse? Principe ruineux et terrible qui, depuis son apparition, quoiqu'il ne fût pas dès lors assez connu et compris, préjudicant tout d'abord aux résultats qu'il cachait dans son sein,

comme dans une racine vénéneuse, déchira bientôt le protestantisme lui-même en diverses factions, le morcela ensuite en cent et cent sectes opposées les unes aux autres, le brisa, le broya comme un fragile verre qu'on lance avec force contre la pierre et qui se résout en une poussière imperceptible.

« Que devra-t-on dire, je le répète, du protestantisme, qui, remplissant sa mission par l'application pleine et entière de son principe générateur, a nié une à une les vérités des Livres saints, rejeté la divinité de leur origine, en a méconnu la véracité, les a réduits à une série de mythes, à un produit ingénieux de l'entendement humain qu'il défie uniquement, le substituant au Christ et le confondant avec Dieu? Si je parlais à des esprits moins cultivés, on prendrait facilement mon discours pour une exagération, pour le transport d'un zèle mal entendu; mais qui de vous ignore que dans le synode tenu à Berlin, l'année dernière, il a été déclaré que nulle forme de doctrine ne serait considérée comme légale dans l'intérieur des églises, et que chacun aurait la liberté de l'entendre à sa guise? Qui ignore que le synode protestant a résisté au roi de Prusse, qui l'exhortait à adopter la confession d'Augsbourg? Que le rationalisme issu de la philosophie de Hegel, de Strauss, de Bauer, de Feuerbach, a pris une forme extérieure et s'est séparé de l'église évangélique? Et, pour particulariser un peu plus, qui ne connaît les déclarations publiques de Guillaume Marr, affirmant que les dogmes, savoir: *De l'existence de Dieu et de l'immortalité de l'âme, ne sont que des contes de vieilles, jetés depuis longtemps aux ordures?* Et celles d'un autre écrivain, formé à l'école hégélienne, qui s'exprimait ainsi: « Le malheur de l'homme a commencé le jour où il a rêvé un être souverain au-dessus de lui; de ce jour il a renoncé à son indépendance native, il s'est laissé imposer le joug d'une loi dont il n'est pas l'auteur, et il s'est laissé ravir un bien qu'il s'agit maintenant de reconquérir pour toujours. Ce bien suprême, ce droit imprescriptible, c'est la pensée, qui, n'ayant plus d'autre règle qu'elle-même, est devenue notre absolue et unique autorité. »

V. Perrone, *Il protestantesimo, ecc.* — *Civiltà Catt.*, serie 3^a, t. 5: *i protestanti nell' imbroglione del giusto mezzo.* — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. 5, leç. 45. — *Réflexions sur l'incrédulité, etc.*, Paris, 1845. — Sainte, *Omaggi resi alla Religione cristiana dai filosofi moderni*. Parma, 1841. — *Scuola di filosofia e di Religione, e modo d'insegnarla*. Roma, 1852. — Balmès, *Le protestantisme comparé avec le catholicisme, etc.* — Klée, *Histoire des Dogmes, etc.* — Gousset, *Théol. dogmatique.* — Liguori, *Verità della fede fatta evidente per i contrassegni della sua credibilità*, cap.

xii: Dialogo dove si scrive in breve il modo di convertire un infedele. — *Metodo d'istruzione per ricondurre i pretesi riformati alla Chiesa romana.* — Scheffmacher, *Catéchisme de controverse.* — Moore, *Voyage d'un Irlandais à la recherche d'une religion.* — Charvaz, *Guide du catéchumène vaudois.* — Spesi, *Conferenze di religione, utili ad ogni colla persona, specialmente alla gioventù.* — Martinet, *Les idées d'un catholique sur ce qu'il y aurait à faire.* It. et maxime *Solution des grands problèmes*, passim. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o Augustiniana confessio.

(F) Page 306.

429. Quem non movet præceptum illud, quod Christus Dominus suis dedit Apostolis, eorumque successoribus, prædicandi *Evangelium omni creaturæ*? (Mare. 16): Qui Christum amat, procul dubio ejus verba curare debet. Hinc laudanda consuetudo in Romana Ecclesia existens Missionarios ad infideles mittendi. (V. Henrion, *Histoire des Missions*; it. Witann, *Storia universale delle cattoliche Missioni*).

Laudanda Societas Lugduni pro Fidei propagatione instituta, adeo a Pontificibus commendata, ac nuperrime a Pio IX (V. *Amico Catt.*, vol. XIII, p. 80). Item *L'orbe santificato*, ecc. Torino, per Giacinto Marietti.

Item laudandæ societates tum ad optimos libros evulgandos (V. *Civ. Catt.*, v. XI); tum ad Angliæ conversionem a Deo efflagitandam nostris temporibus erectæ, et aliæ similes. V. Della Motta, *Saggio intorno al Socialismo*, vol. I. cap. 16. — *Civilla Catt.*, ser. 3^a, vol. VI: l'obolo per la fede; ser. 5^a, t. III, *le missioni cristiane.* — *Annali della Propagazione della fede.* — Roselly, *Christophe Colomb, histoire de sa vie et de ses voyages.* — Mislin, *Les Saints Lieux*, l. I, c. x.

Verum hodie eo devenimus, ut nobis non tam adlaborandum sit ad religionem propagandam apud externos, quam ad eam collabentem apud nostros strenue sustinendam. Væ illis qui in tanta serpentium malorum colluvie vel forsitan etiam sub fucato patriæ amore, falsa ac mundana prudentia impulsus, tacuerint! Separamus pretiosum a vili; et ipsi nos, imo magis et optime istorum terrenam patriam amamus: at primo et ante omnia diligamus patriam cœli; patriam amamus, sed super omnia religionem patriæ ejusque dictamina a quibus est omne bonum in ipsa societate.

430. Quid de comitatibus, circulis, associationibus, quas ecclesiastici inter se inire solent? Si istæ mutue societates episcopi au-

etoritate, directione vel consensu institutæ sunt, nihil melius; per eas enim mutua fovetur charitas, disciplina sustinetur, ac studia roborantur. Ubi enim est superior, ibi etiam Deus; at ubi Deus est, omnia bona pariter cum illo. Verum si contradicente vel non annuente superiore, erectæ sint, quacumque tandem de causa sustineantur, nil pejus; etenim id et schisma provocat, et seditionem dicit, et portentosum scandalum omnibus præbet. Solemnia sunt hac de re effata S. Ignatii martyris: *Hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere, episcopo præidente, Dei loco* (epist. ad Magnes.). *Testis mihi est is, in quo vinctus sum, quod a carne humana non cognoverim, sed spiritus annuntiavit dicens ista: Sine episcopo nihil facite... Filii itaque lucis et veritatis fugite divisionem et pravas doctrinas; ubi enim pastor est, eodem ut oves sequimini; quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; ne erretis, fratres mei* (Ad Philadel.) *Qui honoret episcopum, a Deo honoratus est; qui clam episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium* (Ad Smyr.). Hinc merito Calcedonense I (can. 18) de seditionibus hisce decernit: *Si qui ergo clerici vel monachi inventi fuerint vel se jactantes vel sodalitates componentes vel aliquid statuentes ac molientes adversus episcopos ac clericos, proprio gradu omnino excidant.* Et Carthaginense II hosce vult exilio mulcandos, *ne vel ignorantes vel simpliciter viventes serpentina fraude decipiant.*

Quod si quis ab episcopi sententia vel prohibitione gravatum se sentiat, habet apud quem illum arguet; at ipse inferius positus ne judicet qui in sublime est. Adde: nemo judex in causa propria; tanto minus in causa publica, cum inde scandala, schismata ac divisiones. Adeat ergo supremum tribunal, ubi Petrus sedet orbem in sapientia judicaturus. Quamquam agendo de hisce conventiculis, Pius PP. IX in Allocutione 25 mart. 1862 unum damnando omnia ejusdem furfuris decretorie jam proseripsit. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, et non sit qui eripiat* (Ps. 49). *Quis ergo inter vos generosus* (ad rem nostram S. Clemens Papa), *quis misericors, quis charitatis plenus dicat: Si propter me seditio et discordia et schismata, discedo, ab eo quocumque volueritis... solum ovile Christi in pace degat cum constitutis presbyteris. Qui hoc fecerit, sibi magnum decus in Domino comparabit, et omnis locus eum suscipiet... Vos ergo qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote... et in penitentiam corripimini; flectentes genua cordis vestri, discite subjici, deponentes arrogantem et superbam linguam vestram jactantiam; melius si quidem vobis est in ovile Christi parvos et probatos inveniri, quam altum sapientes e spe illius ejici.*

Ne quis autem nostrum animo concidat, si audiat hodie tales scissu-

ras esse inter nos; nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in nobis. At quoad nos, solliciti simus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, id ipsum semper in Domino sentientes (I Cor. 1 et 11). Quod ut prospere cedat, ne quid moliamur, aut ne in unum conveniamus obmurmurantes adversus praelatorum decreta; neque aliud altare constituamus contra altare Dei. Neque nos moveat aliorum exemplum, quicumque tandem sint qui insurgunt contra christos Domini. *Ne aetas vos eorum* (ad rem Cyprianus, *epist.* 40), *nec auctoritas fallat... Clamat et dicit Dominus: nolite audire sermones pseudo-prophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini... Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum velut cancrum et pestem fugiendo vitate, praemonente Domino et dicente: Caeci sunt et duces caecorum.* Nunc forsitan in ore ipsorum laudatio, risus et cachinnus; at risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Utinam omnes confratres nostri saperent et intelligerent, ac novissima providerent! est via quae videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem; etenim homo frustra non adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus. — V. Lanfredini, *Lettere pastorali al Clero*: dell'edificazione da darsi dal Clero nell'onore in suo Vescovo.

(I) Page 310.

431. Docet Angelicus, 2, 2, q. 17, a. 4, quod in solo Deo sperandum est, uti in primaria causa nostrae beatitudinis; addit tamen licitum esse etiam in homine vel in alia creatura sperare tanquam in causa secundaria et instrumentali: quo sensu explicatur illud *maledictus qui confidit in homine* (Jer. 17). Sic merito speramus in Sanctos; et etiam in merita nostra; hinc Tridentinum, sess. vi, can. 26, damnavit qui dicunt *justos non debere pro bonis operibus quae in Deo fuerunt facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo*. Ista tamen spectant solum ad objectum spei secundarium si objectum secundarium dici potest; proprie enim nil aliud praestant quam ut firmius speremus in Deo.

Contra spem opponunt: *Non est objectum spei quod paucis Christianis reservatur, quodque arduum est: atqui talis est beatitudo aeterna ex Scriptura: multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. xix et xx); *contendite intrare per angustam portam, arcta via est quae ducit ad vitam* (Luc. 13, et Matth. 7): omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (I Corinth. 9).

R. Testimonia objecta minime nobis adversantur. Non.

a. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ut hoc testimonium aliquid evinceret, oporteret ostendere nomine *electorum* non venire, nisi qui salutem aeternam consequuntur; atqui hoc incertum est. Praetermissis innumeris interpretationibus, unam proferimus celeberrimi Cornelii a Lapide, qui dicit multos vocatos ad gratiam ordinariam relate ad observantiam legis divinae, paucos electos ad gratiam extraordinariam relate ad observantiam consiliorum Evangelii: qua in re profert interpretes multos: et videtur textui conformior. Nec magis probant verba eadem, cum sermo esset de invitatis ad nuptias qui ire noluerunt; nam hic de solis hebraeis Evangelium loquitur, qui omnes quidem vocati fuerunt, sed pauci vocationi adhererunt. Ipsi hebraei perspexerunt ea verba ad se fuisse directa: *Et cognoverunt*, inquit sacer ille textus, *quod de ipsis diceret.* — V. *Tesori di confidenza in Dio.* — Nicolas, *La Vierge Marie et le Dessein divin*; part. I, c. v, in fine.

b. *Contendite intrare, arcta via est.* Sed unus post alium omnes et per angustam viam intrare possunt domum.

c. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Hic audiatur S. Anselmus: *Currunt ethnici, haeretici, reprobii, sed unus christianorum et electorum populus accipit bravium.* Ergo si Apostolus intelligendus est de toto Christianorum populo, ejus verba potius nobis favent, quam obsint. Et sane, si acciperetur litteraliter de una tantum persona, concludendum solam B. Virginem esse salvam: tunc irrisorie Apostolus omnes ad cursum capessendum ibidem excitasset: *Sic currite, ut comprehendatis.*

Ut autem status hujusce quaestionis plenius dignoscatur, quatuor praecipuae hypotheses hic conficiendae sunt: — 1. si quaestio est de omnibus omnino hominibus, qui sunt, fuerunt ac futuri sunt: tunc est certum, multo plures damnari; quot enim sunt ethnici, judaei, mahometani, haeretici, indifferentistae, theistae, peccatores! Quo sensu habemus illud Christi: *Arcta via est, quae ducit ad vitam et pauci sunt qui inveniunt eam* (Matth. vii); — 2. si sermo est de omnibus Christianis sive catholicis sint sive non, et tam adultis quam pueris: tunc videtur certa sententia quae docet multo plures salvari; nam exploratum est, adultos et infantes numero fere aequali e vita decedere. Unde infantibus baptizatis, qui salvantur, sunt addendi adulti illi, qui in justitia moriuntur; — 3. si quaeritur de solis adultis christianis sive catholicis sive acatholicis, dicunt probabilius plures esse, qui damnantur, nam haeticis, apostatis ac schismaticis, mali catholici adjungendi sunt; — 4. si tandem quaestio est de solis adultis catholicis, tunc duae sententiae. Prima docet ex adultis catholicis plures damnari; nam pauci

servant tota vita innocentiam, paucique post peccatum agunt dignam poenitentiam; quæ autem fit in morte admodum dubia est: pro hac sententia non immerito citantur Gregorius M., Augustinus, Chrysostomus, etc. Sed aliis magis arridet sententia eximii Suarez, qui tenet multo plures salvari: hoc quippe Dei clementiæ, Christi meritum virtuti, ac Sacramentorum efficacitati plane consentaneum est. Et congruit magis verbis Apocalypsis (c. vii): *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Et licet major pars adultorum sæpius mortaliter peccet, tamen sæpius resurgit: et in fine vitæ pauci sunt, qui per Sacramenta non præparentur ad mortem; at semel justificati facile solent illo parvo agonis tempore perseverare sine novo peccato. V. *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, pars IX, sess. 2^a, in Apoc., c. 5, quæst. 10, auct. Laur. Veith, cujus Opera multum commendabat Pius VI. — Bergier, *Traité de la vraie Religion*, tract. x; it. *Dictionnaire*, v^o Élus. — Auctor libri, *Quattro anni di esperienza*, ecc., c. III. — Ségur, *Réponses courtes et familières*, § 19, etc.

(F) Page 314.

432. « Sæpe (ad rem *Stapf*, § 191) complures ideo tantum vacillant, quia solida circa spei officium instructione destituuntur; et præsertim in magnis rerum angustiis homines per raro sui sat compotes esse solent. Sæpe vel tetrica corporis dispositione vel repentinis casibus status moralis plene intercipitur, vel etiamsi id non fiat, ea tamen quæ in tanta sensuum tempestate fiunt, frequenter in culpam gravem haud imputanda videntur: quis, e. g., Petrum dum ad conspectum tumultuantis maris trepidare cœpit (Matth. 14), de reatu lethali accusabit? equidem reprehensibilis fuit, ita tamen ut infirmus potius, quam improbus dici mereretur. Verum etiamsi hæc animi abjectio ex perturbato statu morali sæpe culpam mortalem haud involvat, conditio tamen talis hominis est multum deploranda. Quid enim de illo timendum non est qui identidem diffidentiae fluctibus jactatur vel omnino vortice desperationis submergitur? Quare ad præcipua pastoris officia pertinet, ut gregem sibi commissum de hac nobilissima virtute solide instruere, atque inter quæcumque rerum discrimina animos suorum in spem erectos servare studeat. »

An autem sit peior desperatio, an præsumptio, quæstionem jam videatur dissolvit S. Bonaventura cum ait: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem; prima sæpe salvat damnandum, secunda*

damnat salvandum (Compendium *Theol. verit.*, I. II, n. 25). Quibus verbis patet opinionem Doctoris Seraphici fuisse, quod sit longe pejus præsumptione desperatio; cum aperte dicat in illa sæpe salvari damnandum, in ista e contrario damnari salvandum. Suffragatur ratio; nam *præsumptio* adhuc in homine relinquit animi robor ad operandum, adhuc in eo conservat rerum spiritualium æstimationem, et usum aliquem mediorum ad salutem æternam, uti est, v. g., Confessio sacramentalis. *Desperatio* ex adverso hæc omnia uno quasi ictu extinguit, Sacramenta contemnit, Religionis præcepta non amplius curat, animam pro nihilo habet, Deum ipsum uno verbo odit, et sic magis ab ejus amore removetur. Adde: desperatio magis Dei benignitati adversatur; quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, prout ait Angelicus (2, 2, q. 1, a. 2. — V. *Sacerdote santificato*, Lett. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. II, n. 21.

Quid (dices) de eo, qui vult in peccato perseverare usque ad mortem sperans fore, ut se illo temporis puncto poeniteat? Licet hic difficulter excusari possit a peccato gravi contra charitatem erga seipsum, cum se exponat evidenti periculo damnationis, imo et contra Deum, cujus amicitiam floccifacit; non peccat tamen contra spem ex D. Thoma: *Peccare autem sub spe veniæ*, ait, *quandoque percipiendæ cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum* (2, 2, q. 21, a. 2). Sed hoc intellige, si spes illa remissionis se habeat solum concomitanter ad peccatum, secus enim dicendum, si spes esset motivum influens in peccatum ipsum.

Est item grave contra spem cupere perpetuo in hoc mundo vivere; quia est sistere in vita temporali, ut in ultimo fine. Non est tamen per se contra spem ex tædio mortem exoptare; quia non est recedere ab ultimo fine: hoc generatim non excedit veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divini Providentiæ.

(Z) Page 321.

433. An (quæres) dentur signa charitatis Dei in anima immanentis? R. Affirmative, uti omnes fatentur cum S. Laurentio Justiniani, qui tria indicat: 1. *libenter de Deo cogitare*; qui enim aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur: 2. *libenter pro Deo dare*; amor enim nescit esse vacuus: 3. *libenter pro Deo pati*; fortis enim ut mors dilectio.

An (quæres) desiderium fruendi Deo sit actus charitatis? R. Af-

firmative, si desiderium tendat ad Dei fruitionem ob gloriam ipsius Dei. Imo est actus perfectissimæ charitatis; quia fruitio est charitas consummata: unde charitatem definit Augustinus: *Motum animi ad fruendum Deo propter se*. Item actus charitatis est diligere bonitatem divinam uti nobis convenientem, quatenus nos adjuvat ad illius voluntatem exequendam ac ultimum finem assequendum; semper enim Deum suspiceret. Idem est, si diligatur Deus ob beneficia, quæ contulit nobis, sed ea respiciendo uti Dei bonitatis communicationem: esset enim tunc diligere bonitatem dispensantis.

An (addes) charitas possit augeri, minui ac destrui?

R. Ad 1: Charitas in mundo potest augeri sine termino: definitum est in Concilio generali Viennensi an. 1311 contra Beguardos et Beguinas. Hinc Apostolus hortatur: *In charitate crescamus* (Eph. 4). Et D. Augustinus de charitate habet: *Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Tract. 5 in ep. 1 Joan.). Sane de ratione viatorum est, ut magis ac magis ad terminum appropinquent, sed terminus est Deus; ergo possumus magis ac magis illi appropinquare: hoc autem fecit charitas. At charitas non augetur *extensive*; nam vel minima charitas completa est in sua specie et se extendit ad omnia charitate diligenda. Sed augetur *intensive*, non quidem per additionem charitatis ad charitatem, quod esset charitatem multiplicari; sed per maiorem radicationem in subjecto, sive per maiorem actionem subjecti. *Billuart*.

R. Ad 2: Non est questio de charitate actuali: certum enim est, actus charitatis esse modo intensiores, modo remissiores. Sed de habitu charitatis, quem commune est posse indirecte minui per venialia, quatenus ejus fervor minuitur; at non directe; nam vel minima charitas attingit omnia, quæ sunt charitate diligenda (D. Thomas, 2, 2, q. 24, a. 10).

R. Ad 3: Utiq; charitas potest amitti: est contra Jovinianum; item contra Beguardos et Beguinas damnatos in Concilio Viennensi; item contra Calvinum damnatum in Tridentino his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, anathema sit* (Sess. 6, can. 25). Et sane: per mortale homo fit dignus morte æterna juxta illud: *Stipendia peccati mors* (Rom. 6). At e contrario quilibet habens charitatem, est dignus vita æterna; ergo qui mortale commisit gratiam necessario debuit amisisse.

(AA) Page 328.

434. Amor inimicorum est de lege naturali, unde nulla positiva lege tolli potest. Nec obstat illud Matth. v: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum? ego autem dico vobis, etc.* Respondet Angelicus: *Quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi*. In 3, diss. 31, q. 1, a. 1, ad 2. — Sane in Levit., c. xix, habetur: *Non quæras ultionem, nec nemor eris injuriæ civium tuorum*. Et Prov. xxv: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, etc.*

Dilectio amicorum secundum se considerata est ferventior et melior, quam dilectio inimicorum (Angelicus, 2, 2, q. 27, a. 7). Ratio: illa dilectio est absolute melior et meritoria, cujus objectum est melius; atqui amicus est melior, Deo et nobis magis conjunctus, quam inimicus: ita communius et probabilius. Nec obstat, quod inimici dilectio sit difficilior; plus facit ad rationem meriti bonum quam difficile, aliis præclusis: sane dilectio Dei melior est dilectione proximi; dilectio tamen proximi est certo difficilior.

Casum ponit Billuart: *Duo ante inimicitiam, puta duo juvenes collegialiter viventes, duo religiosi in monasterio, se salutabant et passim colloquebantur; post rixam nec se salutant, nec colloquuntur: Peccantne?* — Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, litteras mutuo scribebant, non tenentur reintegrare specialem amicitiam et amica colloquia et epistolas; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem, sicut ad ceteros confratres.

Hic etiam notant pro praxi: *a*. Non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, licet facile possint et debeant: item neque qui dicit, se libenter condonaturum, sed non posse promittere; qui revera vult, potest Dei gratia adjutus promittere ex animo. A fortiori qui asserunt se nunquam verbum illi dicturos esse; quia tales malam animi dispositionem in corde retinent. *Gury*. — *b*. si nolis cum inimico conversari, quia non aliud quam malum ab eo expectare possis; vel si prudenter timeas ex eo pejus evenire, tunc abstinendum ab amicitiae signis modo interius diligas, et apud alios scandalum repares. *Continuator Tournely*.

Novus casus. Egeria honestibus parentibus nata, ipsis invitis, contraxit matrimonium cum Jugurtha satellite; quare parentes recusant tum ejus colloquium, tum ejus aspectum, etiam jam petita venia. An graviter peccent? *Vel parentes, quos rusticos suppono, colloquium filiae et ejus aspectum ad longum tempus recusant et in perpetuum recusare parati sunt; vel ad breve tempus.* Si 1, peccant graviter nec possunt absolvi, quia permanent in odio ac vindicta excedente delictum filiae plebeiae post petitam veniam. Si 2, non peccant; quia id honeste potest fieri in emendationem filiae et in sui criminis poenam, aliarumque filiarum exemplum. Licet enim filia non tenetur abedire parentibus, quoad status electionem; tenetur tamen statum illis non indecorum eligere; et indecorum eligendo, ut in casu cum infamia propria et parentum, sane delictum committit ea punitione dignum, ut ad breve tempus ejus aspectum et colloquium parentes recusent. Giribaldus, Diana, Layman.

Plautillus pluribus occurrens, omnes salutat praeter inimicum qui est cum illis; an peccet graviter? Ita quidam existimant; sed juxta Sylvium respici debet intentio personae et magnitudo scandali: si enim vel nullum ex adjunctis vel parum omnino sit scandalum, et persona non ex odio, sed vel in significatione injuriae quam recenter recepit, ut scilicet alter in posterum magis caveat ab offensibus, vel alia justa causa sic agit, non videtur peccare saltem mortaliter. Dens.

At (inquires) quomodo diligi potest homo iniquissimus, crudelis inimicus, qui nos quovis modo perdere nititur; cum voluntas nostra amore ferri non possit, nisi in bonum?

Diligi potest, quomodo diligimus membrum vitiatum, quod acutis doloribus diu noctuque nos cruciat; nempe distinguimus substantiam inter et vitium doloris causam: substantia est nobis cara ac pretiosa utpote pars nostri, quam sanam peroptamus; ideoque contra vitium eum infestans pugnamus, illudque qua arte, qua industria propellere nitimur! Sic Christus caput omnium hominum, cum adhuc peccatores essemus, propter nimiam suam charitatem dilexit nos tanquam propria sua membra, sed aegra et pessime affecta: pretiosissimo Sanguinis sui balsamo morbum, hoc est peccatum extinxit, sanitati ac justitiae nos restituit, et ex inimicis amicos recepit, quod longe gloriosius est; nam ex Augustino multo est optabilis inimicum non habere, quam ulciscendo vincere. Ita et nos (si charitas et spiritus Christi habitat in nobis) diligimus fratres, bonos quidem, quia boni sunt; malos autem, ut a vitiis sanentur atque ut boni evadant. Habert.

Quomodo se gerere debet Confessarius cum poenitente, quem detegit, odiis et inimicitii implicatum et anxium? Vel agitur de odio quod tale creditur, nec est; vel de vero odio.

Si 1, Confessarius poenitentem instruat, ne ex conscientia erronea peccet: doceat verum odium non esse nisi in eo, qui inimico deliberate vellet inferre malum, et de malis ipsi illatis ex animo gaudet, de bonis autem tristatur. Sed ubi hoc desit, motus illi erunt defectus naturae, non peccata contra charitatem: unde ipsum confortet, ut personae illi communia charitatis officia et signa praestet, nihil sollicitus de contrariis motibus; pro illa oret; defectus excuset; bene loquatur; ejus consortium quaerat, data opportunitate; et tuto speret, Deo dante, fore ut aversio illa sic pressa pedetentim evanescat. Haec si agat, amovet periculum, ne odium indolis ad personam paulatim sese extendat. Etenim sunt aliqui, rudes praesertim, qui de odio se accusant, quin tamen illud malum odium sit: esset, v. g., si quando de aliqua persona occurrit sermo, ipsi experiuntur quamdam displicentiam atque aversionem licet involuntariam et sanguinem sibi sentiunt contra illam quasi moveri et ebullire: isti igitur instruendi sunt, ne erronee peccent. Sed maxima nostra cura esse debet in vero odio extirpando; nihil enim difficilius est in praxi quam perfectam inimicorum obtinere reconciliationem: quot sunt qui grave hoc praecipuum ignorant, deturpant, postponunt se ipsos turpiter decipientes! — V. Pinamonti, *Il Direttore*, ecc., c. xvi. — Salvatori, *Istruzione pratica*, § 41. — Item *De poenitentia* ubi de correctionibus.

Si 2, Confessarius poenitenti ostendat quanta sit vis et meritum praecipui charitatis, eumque perducatur ad vindictae spiritum deponendum, ad dignoscendum ex corde exemplo Christi et Sanctorum, atque ad communia charitatis signa praestanda. Saepè etiam est remedium efficax pro poenitentia injungere pro inimicis orare.

(BB) Page 332.

435. Negant Salmanticenses licere sibi mortem optare ad vitandam vitam nimis duram causa infirmitatis, sevitiae viri, mendicitatis et similibus; quia non licet velle mortem ob effugienda aliqua mala minoris momenti. Sed non improbabilius affirmit Viva, Potestas, Sotus, Sancius, etc., casu quo vita tam molesta aestimetur durior ipsa morte: hinc Eccli., c. xx: *Melior est mors, quam vita amara*; sic Elias (III Reg. xix): *Petivit animae suae, ut moreretur*, ad vitandas Jezabelis insidias. Unde Trullenchus excusat foeminam, quae sibi vel alicui mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, etc., vel alia similia mala, v. g., a marito infligenda. Non ideo tamen liceret super his votum emitte, ut esset si quae mater voveret aliquid, si filius ejus continuo aegrotus moriatur; non enim res est de

bono meliori, et forsitan neque de re bona. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes Diana mortalis damnat; nisi ut plerumque fit, excuset defectus advertentiæ et deliberationis: et non est improbable cum Potestate. — *V. Liguori, Op. Mor., l. II, n. 50; et l. V, n. 22.*

« Quæri potest (hic audiendus Stapf, § 280), num desiderium moriendi improbari debeat? et quidem Paulus ipse professus est: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo* (Philipp. 1). Idem votum hominibus graviter afflictis haud infrequens est. Ast tota presentis questionis solutio ex eo pendet, ex quo motivo desiderium istud descendat et quâ ratione foveatur. Unde idem desiderium aliquando peccaminosum, aliquando licitum, aliquando etiam generosum esse potest.

« *Peccaminosum* erit si vel ex indigno motivo nascatur, dum, e. g., avarus aut ambitiosus, etc., ob spes suas frustratas tedium vitæ concipit; vel si quis ex hoc ipso vivendi tædio iusta sui conservationis media omittat. — E contrario hoc moriendi desiderium *licitum* censeri debet, si quis dolores ac angores suos equidem morte propinqua finire optat, ita tamen ut mens se totam divinæ voluntati resignet, nec quidquam eorum detrectet, quæ ad sua officia spectant. — Denique tale moriendi desiderium *generosum* dico, si non tantum cum plena erga Deum resignatione et perdurante officiorum studio jungatur, sed etiam ex motivo vere generoso descendat, e. g., ut Deo plene perfrui possimus, vel ut ex tantis eruamur peccandi periculis, etc. Hinc quis non miratur Apostolum dum secum quasi deliberans ait: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem a duobus; desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos* (Philipp. 1). »

436. Quid de desiderio non quidem mortis, sed desiderio damnationem incurrendi ob salutem proximi juxta illud Moysis: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (Exod. 32); et illud Apostoli Pauli: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. 9)?

R. Quantum ad Moysis verba 1. intelligi possunt hyperbolice, ad significandum perardens suum desiderium de salute populi; 2. accipi possunt dicta de libro viventium hic in terra, ut sensus sit: *Si non parcis populo, me una cum ipso interfice*; 3. si intelligantur de libro prædestinatorum, erit sensus: *Aut dele me de libro tuo aut dimitte eis hanc noxam*; certus enim erat quod Deus non esset illum deleturus; ergo restabat ut Deus populi peccatum dimitteret. Unde verba

illa ex summa fiducia de Dei erga ipsum amore procedebant. Quo fere sensu explicantur verba S. Ignatii, qui si optio daretur (aliquando dicebat), mallet se beatitudinis incertum vivere et interim Deo servire et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori.

Quod attinet ad verba Apostoli, in primis etiam accipi possunt hyperbolice. Vel juxta alios hic Apostolus optat pro fratrum salute anathematizari, id est adinstar victimæ expiatoris gravissima quæque ac mortem acerbissimam pati: sic enim in Scriptura quandoque accipitur vox *anathema*. Vel sensus esse potest, ut Paulus non jam optaverit, sed optasset in æternum separatum esse a Christo, si id sine peccato fieri posset potiusquam videre quod Deus a judæis infidelibus blasphemetur: sicque amorem et gloriam Domini prætulit sibi ipsi. *Dens.*

(CC) Page 333.

Quoad officia generalia charitatis tria maxime pro praxi.

437. a. *De redemptione captivorum.* Hac de re satis erit referre quod scripserat S. C. episcoporum 21 mart. 1855 ad Generalem Ordinis SS. Trinitatis, qui dein, habita facultate, hanc dedit epistolam ad omnes Episcopos: « *Illustrissime et reverendissime Domine, P. F. Antonius a Matre Dei, major ac generalis minister Ordinis Excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis captivorum humiliter exponit, quomodo a sæculis ex quo ortum habuit ordo prædictus, peculiari affectu a SS. Pontificibus semper persecutus fuerit; quare nunquam destiterunt gratias et privilegia elargiri ejusdem ordinis professoribus, qui semetipsos dedicabant redemptioni christianorum captivorum et fidelibus qui pro suis viribus eandem redemptionem coadjuvabant.*

« Verumtamen cum ope misericordiæ Dei Christianorum captivitas fere sit extincta, Pater Excalceati dicti ordinis desiderium Summi Pontificis feliciter regnantis, tametsi ignorarent, mirabiliter complerunt, cum unanimi deliberatione in proximo celebrato generali Capitulo redemptionem maurorum puerorum a D. Nicolao Oliviero genuensi presbytero adprobatione universali inchoatam, ab ejusdem Ordinis religiosiis prosequi decreverunt. Hinc ab eodem S. Pontifice Pio IX per S. Congregationem Episcoporum et Regularium litteras obtinuit supradictus P. Generalis minister sub die 21 mart. vertentis anni (1855), quibus omnia privilegia et gratiæ olim a SS. Pontificibus ordini suo concessæ, denuo confirmantur et insuper ad redemptionem puerorum maurorum extenduntur. Quare dominationem tuam humi-

liter exorat, ut hoc opus Deo omnipotenti admodum acceptum et humanitati proficuum apud fideles diœcesis tuæ promovere digneris, tum hæc litteras executioni demandando; aut si ibi reperiuntur pia sodalitia redemptionis captivorum, illa admonendo, ut juxta uniuscujusque vires, huic operi auxilium ferant. » (V. *Analecta juris pontificii*, anno 1861.)

438. b. « Etiam *hospitalitatis* meminisse juvat, qua erga peregrinos et itinerantes caritas exercetur. Officium istud antiquitus ubique gentium tanta cum religione observatum fuit, ut ejusdem neglectus passim notam insignis dedecoris et quasi infamiæ inureret. Etiam sacræ utriusque testamenti tabulæ illud enixe urgent. Hodiedum tamen, cum in regionibus saltem cultioribus ubique publicæ tabernæ extant, hospitalitas prout de necessitate, ita de vigore quoque suo multum amisit. Attamen officium adeo commendatum etiam nunc suas sibi partes vindicat, dum nempe vel peregrinantis inopia vel angustia loci, vel quæcumque aliæ circumstantiæ illud expetunt. Divinus Redemptor hæc quoque obsequia sibi met ipsi præstari asserit: *Hospes eram, et collegistis me* (Matth. 25). Et quamvis nulla forte necessitas adsit peregrinos hospitio excipiendi; charitas tamen fraterna sæpe expetit, ut eos nostro vel consilio vel favore adjuvemus.

« Eo pejus agunt qui itinerantes divexare, lacessere, dolo vel fraude circumvenire, vel omnino ad turpia et nefanda pertrahere haud reformidant. E contrario simplices rusticolæ non raro per excessum impingunt, dum nempe homines periculosos, circumforaneos, vel publice proscriptos fovent et occultant, iisque opportunitatem præbent leges publicas eludendi. » Hactenus Stapf, § 554.

439. c. *La non-intervention*. Novum hoc ac perexitiosum revolutionis inventum pugnat evidentissime cum genuinæ charitatis regulis, quibuscumque tandem speciosis verbis honestari velit; si enim teneatur privatorum necessitatibus intervenire, et subvenire quanto magis necessitatibus publicis totiusque societatis? V. Della Margharita, *Avvedimenti politici*, c. xvii: Relazioni d'uno Stato cogli altri.

Et modernorum diariorum princeps: Une société, comme un individu, est un être fini, borné par des imperfections, empêché par cent faiblesses qui peuvent rendre nécessaire l'aide des autres peuples: *Adjutorium simile sibi*. Aussi la Providence, qui a créé de tels besoins pour les peuples, a établi par là même cet échange de services, surtout quand ils se trouvent en contact l'un avec l'autre. — Mais (répond la non-intervention moderne) tout peuple doit être libre de faire ses propres affaires par lui-même. — Comme si ce n'était pas une de ses affaires propres de chercher un secours en cas de besoin là où il peut honnêtement le trouver. Étrange opinion en vérité, et cruauté sauvage,

qui ont pour conséquence la destruction de la société entre les nations, de même que l'interdiction de l'assistance entre les citoyens détruirait la société civile; puisque d'après ce que nous avons dit plus haut la société civile n'est pas autre chose qu'une assistance mutuelle. Défendre au pauvre de recevoir l'aide du riche, c'est une barbarie, que le pauvre soit une personne, une famille, une communauté, un peuple, une nation. Ceux qui interdisent à l'indigent de recourir à la main bienfaisante qui peut le secourir, oui, ceux-là sont rigoureusement logiques, lorsqu'ils interdisent à un peuple faible d'obtenir d'un peuple fort un secours qui lui assure l'ordre et la tranquillité. Mais tout homme qui comprend la loi fondamentale de la société (*Adjutorium simile sibi*) doit accorder à un peuple le droit de recevoir d'un peuple voisin le secours nécessaire, et à un souverain d'être aidé par un souverain ami. S'interposer afin d'arrêter la main généreuse qui est tendue pour secourir un ami, c'est mettre à la fois le comble à la cruauté et à l'injustice. *A l'injustice*, parce que c'est empêcher le bienfaiteur d'user librement de ses forces, quand il voudrait les employer pour le bien des malheureux; *à la cruauté*, non-seulement parce que c'est enlever à l'infortuné le bien que la Providence lui envoyait, mais encore parce que ce bien qu'on ravit est le bien de la justice et de l'ordre, le premier des biens naturels. Ici, la violence l'enlève, non pas à un particulier, à une famille, à quelques centaines d'individus, mais à une nation entière, à plusieurs millions d'hommes, condamnés ainsi à souffrir perpétuellement entre toutes les incertitudes d'une société agitée et la honteuse léthargie d'une société enchaînée, et esclave d'un parti qui domine peut-être plutôt par l'appui des trahisons étrangères que par la puissance des oppresseurs nationaux. » *Civiltà Cattolica*, serie 4^a, t. 5: *il non-intervento*. — Franco, *Riposte popolari*, ecc. Ediz. 5^a, c. 59: tit. Non intervento.

Sed infandum, quem tenebræ conventiculæ ediderunt partum ad societatis perniciem solemniter proscripsit Pius PP. IX, allocutione 28 sept. 1860, *Novos et ante hunc diem inauditos ausus*, ubi teterima inde consecraria et ingentia societatis mala aperiens, omnibus potestabilibus gravia verba facit, ne contingat ut qui hodie aliorum incendium placide intuetur, cras proprium lugere debeat, nemine succurrente: rebellio nulli parcat; sed omnibus blanditur suaviter, ut omnes alios post alios perdat securus. « Abstinere non possumus (habet Pontifex Summus), quin præter alia deploremus funestum ac perniciosum principium quod vocant de *non interventu*, a quibusdam guberniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum et adhibitum etiam cum de injusta alicujus gubernii contra aliud aggressionem agatur; ita ut quædam veluti impunitas ac licentia impetendi et diri-

piendi aliena jura, proprietates, et ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur; quemadmodum luctuosa hac tempestate ceruimus evenire. Et mirandum profecto quod uni subalpino gubernio impune liceat ejusmodi principium despicerere, ac violare, cum videamus ipsum hostilibus suis copiis, universa Europa inspectante, in alienas ditiones irrumpere, legitimosque ex illis Principes exturbare: ex quo perniciosam consequitur absurditas, alienum nempe intervntum dumtaxat admitti ad rebellionem suscitandam atque fovendam.

« Hinc autem opportuna Nobis oritur occasio excitandi omnes Europæ Principes, ut pro spectata ipsorum consilii gravitate et sapientia serio perpendant quæ quantaque mala in detestabili, quem lamentamur, eventu cumulentur. Agitur enim de immani violatione, quæ contra universale gentium jus nequiter est patrata, quæque nisi omnino coercetur, nulla deinceps legitimi cujusque juris firmitas ac securitas poterit consistere. Agitur de rebellionis principio, cui subalpinum gubernium turpiter inservit, et ex quo pronum est intelligere, quantum cuique gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicietas, cum ita fatali communismo aditus aperiatur. Agitur de violatis solemnibus Conventionibus, quæ uti aliorum in Europa principatuum, ita etiam civilis Pontificiæ Ditionis integritatem sertam tectamque servari omnino postulant. Agitur de violenta direptione illius principatus, qui singulari divini providentiæ consilio Romano Pontifici datus est ad Apostolicum suum Ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum... Itaque omnibus Supremis Principibus persuasum esse debet Nostram cum Ipsorum causa plane esse conjunctam, eosque suum Nobis auxilium afferentes Nostrorum æque ac Suorum jurium incolumitati esse prospecturos. » (Et nunc, reges, intelligite.)

(DD) Page 338.

440. Sunt qui de facili ab eleemosyna tribuenda se liberant ideo, quia ultro fingunt pauperes ex mera desidia vel socordia mendicare. Errant tamen; nisi enim hujus rei certa indicia habeamus, nostrum est egenti dare, non curiosius inquirere.

Neque audiendi qui se ab hoc gravi præcepto exonerant, quia qui sunt indigentes, publicis Hospitiis ad id recipiuntur; hoc enim non obstante, pauperes semper habebimus nobiscum, illos maxime qui ratione sui status mendicare erubescunt, qui quidem pauci non sunt, et in omni fere loco inveniuntur. Saltem illis Hospitiis eleemosyna fiat:

quæ quidem mire laudantur ubi rite instituta sint; sic enim pauperes ab otio arcantur, in aliquo occupantur utiliter, atque ad Religionis officia instituuntur. Ea approbata habentur in Regno Pedemontano RR. Patent. 29 nov., 1856. Imo Innocentius XII inter ceteros Pontifices ea Hospitia laudat ac Indulgentias concedit tum pauperibus qui illis recipiuntur, tum administratoribus, ministris et officialibus. Quæ omnia laudabili sane consilio Immortalis gloriæ Pontifex Pius IX instauravit. — V. *La mendicita provveduta nella città di Roma coll' Ospizio publico fondato dalla pietà e beneficenza di N. S. Innocenzo XII, colle risposte alle obbiezioni contra simili fondazioni.* Roma 1695. — Guevarre, *La mendicita sbandita.* — Morichini, *Degli istituti di pubblica carità ed istituzione primaria in Roma.* — Petiti, *Saggio del buon governo della mendicita.* — De Gerando, *Le visiteur des pauvres, etc.* — *Civiltà Cattolica*, ser. 5^a, vol. IV: la mendicita ed i mendichi; ser. 1^a, t. 8: la ricchezza secondo l'idea cattolica: aristocrazia e pauperismo. — Arcivescovo Baluffi, *La Chiesa romana riconosciuta alla sua carità verso il prossimo*, Imola, 1854. — Balmès, *Le protestantisme, etc.*, c. xxxiii. — Martinet, *Solution des grands problèmes*, c. 5.

441. Quæres: An teneamur de bonis statui nostro superfluis sub gravi eleemosynam erogare etiam in indigentia communi? — Plerique negant tam antiqui quam recentiores, quibus favere videtur S. Antoninus. Nos tamen cum D. Thoma penitus tenemus sententiam contrariam utpote communiorem; in Evangelio enim legitur: *Quod superest, date eleemosynam.* Et Apostolus ait: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere* (Luc. 1; et I Tim. vi): quæ verba date, præcipe facile tribuere non obscure indicant eleemosynæ præceptum etiam extra gravem necessitatem, quæ non ita ordinarie contingit. Dein Christus, cum pro ratione damnandi iniquos adducat duritiam cordis eorum in pauperes, supponit hoc vitium valde commune; atqui tale non esset, si nulla foret obligatio eleemosynas ex superfluis erogandi pauperibus in eorum indigentia communi. Adde indigentiam communem facillime fieri gravem. Hinc D. Basilus ait: *Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; disculcati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum; quocirca tot pauperibus injuriam facis, quod dare valeres.* (Oratione in illud, *Destruam horrea.*) Et Hieronymus: *Si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitorem te esse noveris* (Epist. ad Hedibiam). Et Augustinus: *Superflua divitum necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur, cum superflua possidentur* (In Ps. 147). — V. Bellarminus, *De bonis Operib.*, l. III. Hisce tamen testi-

monii caute utatur Concionator, ne videatur pauperes invitare ad res alienas surripiendas, quasi suæ sint. *Goussel.*

Ergone (addes) *tenebimur superflua omnia erogare* ? R. Negative; sed id morali et humano modo accipiendum est, ita ut dives teneatur pauperibus subvenire quantum satis sit pro consulendo ordinariis eorum indigentis, posito quod alii divites idem faciant; hoc enim præceptum non obligat in solidum singulos, sed in communi omnes divites pro sua parte. Hinc communi putant, divites muneri suo satisfacere erogando in pauperes communes partem quinquagesimam suorum reddituum, qui supersunt: seu duo in centum, ut multi dicunt cum *Mazzotta*, *Roncaglia*, *Viva*, etc.: et si redditus sint pinguiores, admittant minus quinquagesima parte. Notamus autem cum *card. Goussel*: « Le précepte de l'aumône oblige principalement dans les malheurs publics, lorsque, par exemple, la famine se fait sentir, ou que le pays est ravagé par les inondations, la guerre, ou d'autres fléaux. Il peut arriver alors qu'on soit obligé de consacrer au soulagement des malheureux non-seulement les biens superflus de son état, mais aussi une partie de ceux qui sont nécessaires pour le conserver tel qu'il était. »

442. *Quæritur an qui præceptum dandi eleemosynas per longum tempus omisit, summam eleemosynis quas omisit, æquivalentem dare teneatur, si possit?* Certum est hanc compensationem esse salutare remedium contra culpabilem omissionem. Sape hæc reparatio videtur necessaria ad tollendum scandalum per talem duritiam erga pauperes illatum. At non videmus quomodo diceretur etiam existere obligationem dandi summam æquivalentem, cum eleemosyna non debeatur ex justitia. Item notandum, non prohiberi, quod quis debito modo ex superfluis possit ad altiorum statum ascendere; id enim exigit ordo providentiæ, ne negligentur artes, industria præfocetur ac commercii prosperitas deficiat. Ne inde tamen luxus promoveatur damnosus.

443. Ceterum ad charitatem pietatemque fovendam præstat, ut non tantum juris, sed etiam rationem æquitatis ac comitatis habeamus. Præclare *Cicero* (*de Officiis*, l. II, c. 18): *Convenit tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omnique re contrahenda, vendenda, emenda, conducenda locanda æquum et facilem, multa multis de jure suo concedentem; a litibus vero, et nescio an non paulo plus etiam quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paulum nonnumquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.*

444. Item ad rem ait *Stapf*, § 340: « Quo angustiores sunt facultates nostræ, et quo plura nobis officia altioris ordinis incumbunt, eo magis ab expensis superfluis, seu ad solum splendorem, vel voluptate-

tem factis nobis temperare debemus. Consequenter officium istud non tantum pro diversitate facultatum, sed etiam temporis, aliarumque circumstantiarum diversimode coarctari solet. Generatim tamen in servandis et expendendis bonis temporalibus non nequam anxios, vel scrupulosos esse oportet, præsertim in rebus minutioribus. Talis anxietas spirituales profectum retardat, et facile in sordidam tenacitatem abit. Hominis christiani est, ut justa quidem cum circumspectione, attamen sine anxietate, redditus inter expensas legitimum ordinem statuatur, ita ut necessaria utilibus, utilia commodis, atque commoda iis præferantur, quæ ad solum splendorem faciunt. Omnium minime talis anxietas tum locum obtineat, ubi de sublevandis aliorum miseris agitur. In ejusmodi casibus etiam aliquid augere, et illius nos meminisse oportet, quod *Redemptor* ait: *Date et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, quam mensi fueritis, remetietur vobis.* Luc. vi, 38. Confer. II Cor. ix, 10, etc. *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Prov. xviii, 17. Et certe nemo ditior, quam cui Deus est debitor. »

445. *Charitas* autem nostra universalis sit oportet; neque enim apud Deum propter quem diligere debemus, distinctio est inter barbaros et civiles. Attamen quando dicimus charitatem universalem esse debere, id de vera charitate intelligimus, quæ sit talis non verbo tantum, sed etiam opere. Absit enim fictitius ille cosmopolitismus, qui sub obtutu salutis omnium ac prosperitati providendi, cives ipsos inopes et miseros relinquit. Verba, verba, prætereaque nihil. Differentiam inter humanitatem, quam tantopere decantant, et divinam charitatem egregie describit *La Luzerne*, *Instruction pastorale sur l'excellence de la religion*. V. *Stapf*, § 350.

Ceterum qui bona sua distribuit, non tenetur ex præcepto charitatis ordinem servare, si non sint indigentes; sed tunc poterit, ut patet, cui voluerit, benefacere, modo in recto line faciat; cum enim non adest necessitas, cessat obligatio eleemosynæ, et exurgit liberalitas virtus, quæ libera est.

446. Quanta sit utilitatis correctio iis maxime, qui ad Ecclesiasticum ministerium proludunt, quove utili modo mutuam hanc ipsi operam insumere debeant, eleganter exponit *Opus, Il Seminarista di-*

retto nell'adempimento de' suoi doveri dalla Congregazione dell' Arcangelo S. Raffaele, Operetta di Nicolo Barabino. Genova.

Qui correctionem omittit, graviter laedit charitatem; non tamen illam virtutem, contra quam peccat frater a nobis non correctus; quia omissio correctionis non est neque causa neque occasio illam laedendi; ideo sufficit conlitteri correctionis omissionem, quin peccatum explicetur, in quo frater correctus non fuit.

Quoad venialia in praxi, excepto casu quo ob eorum repetitionem inferant grave scandalum vel periculum gravis peccati, satius est, ut corrigantur a superioribus; nam venialia peccata nimis sunt frequentia, et ideo nullus foret correctioni finis, si essent corrigenda, reddereturque correctio nimis molesta, cum periculo pacem et concordiam turbandi. « Le péché véniel n'est pas matière nécessaire de la correction fraternelle; à moins qu'il ne soit une disposition prochaine au péché mortel, ou qu'il ne tende à introduire le relâchement dans la discipline d'une communauté religieuse, d'un monastère, d'un séminaire. » Gousset.

447. Ceterum pro praxi haec in praesenti notamus cum Gury et aliis. — 1. Correctio fraterna cum vera charitate etiam quoad modum facienda est: debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter aequales et reverentialis erga superiores. — 2. privati inter se raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti, quia raro omnes requisitae conditiones reperiantur; quia adhuc erga superiores propter ineptitudinem. — 3. plerumque suadet prudentia ut omittatur correctio erga eos, quorum ingenium est penitus ignotum; ne peiores fiant. — 4. scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda: quia aut nimium defatigantur aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati necessaria discretionem ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent. — 5. tenentur ex officio superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non tamen multum de aliquo in particulari, absque dubio positivo, aut ratione speciali; sed non facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis praebere, quia saepe isti specie boni communis seipsum quaerunt. — 6. in communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., caute, atque industrie procedendum in hac re, ad evitandas divisiones, aversiones, discordias. Et si agatur de maxima re (prius a Confessario habito consilio, et juxta quod supra dictum est agendo de *detractione*, ubi de occulto crimine revelando) plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem; nec possunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali denun-

tiandi sunt superioribus ecclesiasticis Sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi sunt. Ita communitur.

(FF) Page 351.

448. Advertendum quod non omnis recessus seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus et separatio ab ipso tanquam a Vicario Christi in terris et capite totius Ecclesiae. Sic schisma fit et est cum aliquis principatus seu regnum negans obedientiam romano Pontifici uti capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium patriarcham aut episcopum eique in spiritualibus obedit, non attentis papae mandatis; licet de cetero omnes fidei articulos credat et ipsius etiam papatus necessitatem. At schismaticus non est qui romanum Pontificem tanquam Vicarium Christi in terris recognoscit eique qua Pontifici obedientiam praestat; sed non vult illum recognoscere uti temporalem dominum alicujus provinciae, eique obedientiam denegat, dum jubet ut arma deponat, ut suis politicis legibus obtemperet, etc. Est iste etiam coram Deo rebellis, contumax, sacrilegus, gravi poena mulcandus, et schismati forte proximus; at nondum praecise ob id de schismate culpandus.

Duobus ad summum Pontificatum electis, si ignoretur quis ex eis legitime electus sit, et aliquis adhaereat ei quem putat legitimum Pontificem, sed cujus postmodum electio nulla judicata est ab habente potestatem, non est vere schismaticus; schismaticus esset, si cognita veritate adhuc persisteret in sua obedientia et adhesionem. Et ideo quamdiu res incerta est, possunt esse sancti ex utraque parte; quod non semel evenit. V. Benedictus XIV, *De Canonizatione*, l. III, c. xx.

449. Communicatio cum schismaticis in divinis eisdem regulis vetatur ac communicatio cum haeticis; V. Benedictus XIV, Const. *Eo quamvis*. Hinc Pius VI, postquam Brevi *Charitas*, 3 apr. 1791, condemnasset schismaticam *Constitutionem civilem cleri gallicani* et qui ei adhaerebant praescriptum civicum juramentum ideo emittendo (ex ea nimirum Constitutione politicus hominum caetus proprio jure sumperat immutare universalem Ecclesiae disciplinam, et ordinem hierarchicum eyertere nova ratione inducta pro electione et institutione Ecclesiae ministrorum); instructione data 28 maii 1795 pro recto fidelium regimine haec statuit: 1. licitum non esse adire presbyterum juratum pro sacramento baptismatis, nisi in casu extremae necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare; 2. non posse fideles adire parochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non suppetat medium habendi presbyterum catholicum facultatibus opportunis ad hoc instructum, fideles debent contrahere sine praesentia proprii pasto-

ris; 3. fideles posse in articulo vel periculo mortis, Sacramentum penitentiae recipere a sacerdotibus juratis et etiam a parochis intrusis, deficiente quovis alio sacerdote catholico; 4. fidelibus vetitum esse assistere, diebus etiam dominicis et festivis, sacrificio Missae aliisque officiis celebratis a presbytero seu paroco jurato; neque aliis ejus functionibus interesse, vel ab eo officia ministerii petere; neque officio patrini fungi, si casu intrusus baptismum ministret; 5. licet sacerdoti catholico non jejuno hostias consecratas a sacerdotibus catholicis consummare, ne in manus veniant intrusi, si aliter reverenter conservari nequeant. Item haec alia quaestio proposita fuit: num liceret fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis? responsum fuit affirmative, his vero additis: *Ne hujusmodi culto praestandi immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt idem catholici occasiones declinare occursum schismaticorum, cum Sacramentum deferunt.*

450. Schismatici resipiscentes non excipiuntur nisi publice, id est coram pastore legitimo et debitis testibus, schisma ejurent, quando publice adhaeserunt sectae schmaticae ab Ecclesia anathematizatae. Si vero non fuerint publici sectatores schismatis proscripti (nec ideo principales), sufficit ut confessarium adeant (pro reconciliatione), veram contritionem profiteantur vitae antea, ac se obsecuturos auctoritati summi Pontificis et sui episcopi spondeant. V. *Praelectiones juris canonici habitae in Seminario S. Sulpitii annis 1857-58-59*; par. IV, a. 2. § 1. — Cappelletti, *Storia del Cristianesimo dal 1720 al 1846*; lib. XCV.

Ad quaesitum: « Quelle conduite doit tenir l'ordinaire à l'égard d'un prêtre qui, étant tombé sous le coup des censures, ne se mettrait point en peine d'être réconcilié avec l'Eglise et que l'on ne pourrait pas déclarer suspens a divinis sans redouter de grands scandales et de graves inconvenients? » S. Penitentiaria 10 dec. 1860 respondit: *Curandum pro virtutibus ejusdem sacerdotis resipiscentiam, prout boni et prudentis Pastoris officium exposcit; et si vocem Ordinarii non audierit, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem.*

451. Ait Billuart: Non esset utique schismaticus qui renueret subesse Pontifici, ut est homo privatus, ex odio, v. g., vel propter aliquam ipsius personae qualitatem, aut nollet illi obedire in aliquo praeccepto, puta jejunii vel restitutionis ob ejus difficultatem. His enim non obstantibus, potest illum agnoscere ut Christi Vicarium, et illi subesse quantum ad definitionem fidei et morum: Sic quot sunt inobedientes suis superioribus, sed vere adhuc eos agnoscunt pro superioribus. Verum periculosus est hic abstrahendi modus; experientia enim edocti sumus eos, qui in summi Pontificis veneratione atque obedientia ni-

mium amant distinctionibus uti, eo tandem devenire, ut omnem submissionem ei proterve denegent.

452. Hic autem ut cetera mittamus, eos probare haud possumus aetate nostra sciolos, superbos et irreligiosos homines, qui nedum parum curent, imo passim irrident et de superstitione incusant usum *deosculandi pedes R. Pontificis*, hac in re blateramentis haereticorum se subscribentes. Qui sane vivam habent fidem, talem usum laudabilem profitentur, utpote filialis obsequii signum. Pontificem veneramur, quia visibile Ecclesiae caput, quia supremi sacerdotii ministerium sortitus est: quod sane per intellectum non fingitur, cum veraciter Papa sit Christi Vicarius. Quod antiquitate commendatur; primi namque fideles episcoporum pedes venerabundi deosculabantur, teste Hieronymo (*Epist. ad Pammac.*); et Sulpitio (*Dial. 2 apud Dipomanum*). Et populus et clerus, scribit Anastasius (*In vitis Pontificum*), Leone IV electo, pedes deosculabantur: *Qui morem conservantes antiquum, omnes ejus osculati sunt pedes.*

Qui mos videtur a Deo ipse praordinatus illis verbis Is. 60: *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Imo hunc ritum laudavit Christus, dum ait Luc. 7: *Osculum mihi non dedisti; haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Cum itaque S. Pontifex sit Christi Vicarius optimo jure hoc obsequii genere honorandus est. Adde: ex quo Crux in calceis efformetur, pedis deosculazione non tam honor Papae defertur quam cruci; et adeo ut Pontifex non gloriatur cum Apostolo, nisi in cruce Domini N. J. (*Gal. 6*). Neque foedat hoc triumphale signum ad pedes dejiciendo; in omni enim Papae vestium ornatu Crux refulget. — V. Liberius a Jesu, *Controversiarum scholastico-polemico-historico-criticarum*, t. V, de Ordine. — Margotti, *Roma e Londra*; Documenti, in fine. — Stevano, *De adoratione et osculatione pedum S. Pontificis*. Romae, 1588.

(66) Page 358.

453. Corporis tegumenta (ut notat Stapf, § 296, 297) ideo fuerunt adhibita: a. ut illae corporis partes oculis subducerentur in quibus prava concupiscentia praecipue ferocire, et ex quarum intuitu libido etiam in aliis excitari solet; b. tum vero ut perniciosus influxus aeris aliarumque casuum magis arceretur et mitigaretur; c. item ad distinctionem utriusque sexus, id quod honestas ipsa et natura urgere videtur, et in veteri Testamento Deuter. 22. Quanquam D. Thomas, 2, 2,

q. 169, a. 2, ait id in Deuteronomio ideo fuisse specialiter graviterque prohibendum, quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idolatriam superstitionem: et tale præceptum utpote cæremoniale cessasse, tanto magis quia et periculum idolatriam cessavit. Ideo hoc diducandum est ex circumstantiis quæ talem usum comitantur. Sub quo respectu, etsi per se non videatur graviter increpandus mos, quo nempe mulieres (idem de viris) larvatae incedunt cum veste etiam virili ad choreas ducendas (vulgo *bal masqué*); non ita tamen res innocens est in praxi: nam præterquam quod de facili tactus habeantur impudici (ad invicem) ad sexus diversitatem dignoscendam, si prudens Confessarius interroget, prudenter dignoscet, eas mortaliter deliquisse non tantum ob malas cogitationes quibus consensum dedere, et inhonesta verba prolata; sed etiam ob id, quod sine scrupulo festa violarint, laborando nempe, ut vestes pro dictis choreis pararent: et debita contraxerint supra vires, quæ solvere est impossibile. Quare hæc omnia removenda sunt, ut valeant tolerari. — V. Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne*. Modena, 1862.

d. Accedit distinctio status et conditionis externæ, quam unusquisque in humana societate tenet. Hinc Angelicus 2, 2, q. 169, a. 1: *Illi qui in dignitate constituuntur vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus quam ceteri induuntur; non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii vel cultus divini; et ideo in eis non est vitiosum*. Quod valet, data proportione, de ceteris.

e. Demum etiam decor et pulchritudo corporis intendi potest, in quantum tale placendi studium rectæ rationi haud adversatur.

454. Quoad luxum autem ad rem faciunt hæc verba laudati Stapf (§ 298): « *Etas nostra de insano vestimentorum luxu et splendore justissime reprehenditur. Vesana æmulatio, qua homines tum ejusdem, tum diversæ conditionis vestimentorum ornatu semet mutuo assequi aut antecellere conantur, adeo omnium animos corripuit, ut tota fere Europa motu celerrimo et cum communi omnium vertigine circa eundem semper vanitatis axem rotetur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis jam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus hujus inordinati luxus sub omni consideratione per quam dolendi sunt; nam, ut paucos tantum commemorem, animus taliter fascinat officia altiora, et ipsum denique vitæ præsentis finem negligit; cumque media honesta ad tot expensas haud sufficiant, tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides conjugalitatis venales fiunt omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur. Denuo ad experientiam pastorum provoco, an non una cum ingravescente luxu vestium etiam luxuria et luctuosa morum corruptio ingravescere soleant!* » — V. *Pensieri di una dama sopra il moderno vestire*. — Cesari, *Orazioni sul vestire disonesto*. — Ro-

berti, *Sul lusso*. — Muzzarelli, *Della vanità e del lusso del vestire moderno*. — P. Félix, *Conférences*, Conf. vi, an. 1857.

455. Taparelli, *Saggio di diritto Teoretico*, n. 754, luxum definit: « *Une dépense excessive faite par ostentation, quand on n'a que les moyens d'une tenue décente.* » — « Say (dans le troisième volume de son *Économie politique*, aux ch. iv et v) fait de belles observations à l'égard des dépenses utiles et celles qui sont inutiles, et il établit quatre règles économiques qui pourraient bien faire partie d'un traité de morale: Les dépenses bien entendues, dit-il, sont: 1° *celles qui satisfont des besoins réels*, qu'il réduit à la subsistance, à la santé, à la bienfaisance. Il veut donc plus de commodité et moins de splendeur, plus de propreté et moins de luxe, plus de nourriture et moins de douceurs, plus d'habits et moins de broderies, des maisons plus vastes et moins de pompe, des routes bonnes... etc; 2° *les dépenses durables et en marchandises de bonne qualité*. Les fêtes, les jeux, enlèvent en un moment des capitaux dont on pourrait tirer un fruit durable; les mauvaises marchandises demandent, sous plusieurs rapports, les mêmes dépenses que les bonnes, 3° *les dépenses faites en commun*; 4° enfin, *les dépenses faites selon les règles de la probité et de la morale.* » — V. Gerdil, *Du Luxe*.

(III) Page 361.

456. Non semper quod scandalum dicunt, scandalum est; plerumque non a re ipsa, sed a malis hominibus qui ipsa re malitiose abutuntur, oriuntur perturbationes. Huc faciunt nonnulla ex 19 responsis datis a Card. Bellarmino septem theologis, qui conabantur infirmare celebre interdictum Pauli V contra Venetam rempublicam ob jura Ecclesiæ violata: quod quidem ad similia applicari potest.

1° *Un ordre du pape, duquel probablement naîtraient le scandale et la perturbation dans l'Église, ne doit pas être exécuté par le clergé, quand même il serait porté sub pœna excommunicationis lata sententiæ.* — Cette proposition demande une explication. Il y a deux sortes de scandales, l'un que l'on appelle actif ou donné, l'autre passif ou reçu. Le scandale actif, d'après S. Jérôme (In xv Matth.), consiste dans des paroles ou des actions moins bonnes, c'est-à-dire mauvaises, ou paraissant telles, qui donnent au prochain l'occasion de pécher. Le scandale passif a lieu quand on prend, des paroles ou des actions d'autrui l'occasion de pécher. Ainsi le scandale actif est un péché dans celui qui le donne, et le passif un péché dans celui qui le reçoit. Il se peut que parfois les deux sortes de scandale soient réunies

et parfois séparées. Un homme, par exemple, chante des vers lascifs, et celui qui l'écoute se sent ému d'une passion mauvaise; tous deux pèchent, l'un par le scandale donné, l'autre par le scandale reçu. C'est ce que désigne Notre-Seigneur quand il dit dans l'Évangile (Matth. xix) : *Qui scandalizaverit unum de pusillis qui in me credunt, etc.*

Prenez le cas où un homme s'efforce d'en entraîner un autre au mal et où celui-ci résiste, appuyé sur une vertu solide; il y a scandale actif seulement et non passif, comme le rappelle le Psaume cxviii : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* S. Jean en parle encore épître I, c. II.

Supposez, au contraire, que quelqu'un parle et agisse avec de bonnes intentions, et qu'un autre, soit par malice, soit par faiblesse, en prenne l'occasion de faire le mal : il y a scandale passif et non actif. Notre-Seigneur en parle à saint Pierre, quand il lui dit des pharisiens qui sont choqués de ses miracles : *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.* De ces notions il ressort qu'un homme vertueux doit non seulement se garder de donner le scandale par des paroles ou des œuvres peu avouables, mais qu'il doit différer ou même supprimer des actions ou des paroles bonnes en elles-mêmes, mais non nécessaires, s'il sait que son prochain, par faiblesse, en sera scandalisé. C'est le mot de S. Paul (I Cor. viii) : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Quand le discours ou l'acte sont nécessaires, alors il ne faut pas les omettre, quel que soit le scandale que les autres en prennent, suivant l'avis de S. Grégoire (Hom. vii, in Ezech.) : *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur.*

D'après cela, si le précepte du supérieur est scandaleux en lui-même, on ne doit pas l'observer, fût-il obligatoire sous peine d'excommunication; également s'il est bon en lui-même, mais tel que les faibles et les ignorants puissent en prendre du scandale, et qu'il n'y ait pas nécessité de l'accomplir, il faut en omettre ou en différer l'exécution. Mais, s'il est à la fois bon et nécessaire, il faut l'accomplir, quelque trouble et quelque scandale qu'il puisse en résulter. Ceci s'appuie sur Silvestre, Labbé, la *Théologie de Cordoue*, le canon d'Alexandre III avec sa glose et les arguments qui suivent. Nous pensons qu'on ne saurait refuser d'admettre cette doctrine puisque c'est celle de S. Thomas (2, 2, q. 23), suivie par Silvestre, Navarre et une foule d'autres théologiens ou canonistes. Qu'on observe pourtant qu'il n'appartient pas aux inférieurs d'examiner si le précepte du pape doit amener le scandale.

2° En observant, par l'obéissance au souverain Pontife, l'interdit

qu'il a lancé sur Venise, on amènerait des scandales, des dangers, des maux innombrables. — Nul doute que l'interdit ne soit un fléau épouvantable (*idem dic de excommunicatione, etc.*), portant avec soi mille maux, comme le dit Boniface VIII (cap. *Alma mater* de sentent. excom. in 6). Mais l'Esprit-Saint qui gouverne l'Église a le droit d'en user pour détruire un plus grand mal. Ainsi parfois les princes font des exécutions horribles, renversent les habitations, causant cent autres dommages, mais ces maux sont compensés par la tranquillité publique qu'ils ont procurée. Ainsi il semble que les médecins exercent avec le fer et le feu des cruautés contre les pauvres malades, sans parler des breuvages amers et des abstinences rigoureuses qu'ils leur imposent, et cependant personne ne les accuse de cruauté; on leur reconnaît plutôt de la compassion envers les malheureux dont ils cherchent à sauver la vie.

La responsabilité des maux qui accompagne l'application de la justice aux coupables peut sans doute quelquefois retomber sur le juge qui n'a pas su ou n'a pas voulu découvrir la vérité; mais, d'ordinaire, elle revient toute aux coupables qui ont par leurs crimes provoqué les rigueurs de la loi. Les maux que souffre le malade sont quelquefois le fait de l'ignorance ou de l'inexpérience du médecin qui, par défaut de science ou de pratique, ordonne des remèdes inutiles; mais généralement ils doivent être attribués au malade qui, par quelque désordre dans sa manière de vivre, a rendu nécessaires les remèdes douloureux. Ainsi les inconvénients qui résultent d'une censure peuvent dépendre de l'imprudence d'un prélat; mais d'ordinaire ils doivent être attribués à la désobéissance et à l'obstination qui l'ont forcé à la porter. Lors donc que nos sept docteurs se donnent tant de peine pour énumérer les scandales, les dangers et les troubles qui peuvent résulter pour Venise de l'interdit, ils devraient employer leurs labeurs à prouver que ces scandales sont actifs et donnés et non simplement passifs et reçus. Ils devraient montrer que tous ces maux viennent par la faute du souverain Pontife et non par la désobéissance obstinée de ceux qui ont forcé sa mansuétude à s'armer du fouet vengeur, comme autrefois Jésus-Christ contre les vendeurs du temple, changeant la maison de prière en une caverne de voleurs. Les sept docteurs ne disent rien de ce point qui est le plus important, nous n'insisterons pas non plus : la présomption reste en faveur du juge, jusqu'à preuve du contraire. Ajoutons seulement que, si ces docteurs ou d'autres se scandalisent dans Venise de l'interdit, le monde chrétien est scandalisé de voir qu'ils ne l'observent point, qu'ils s'insurgent contre le vicaire de Jésus-Christ, qu'ils conseillent de mépriser ses ordres et qu'ils écrivent des livres pour justifier leur désobéissance.

3^e Une crainte grave et juste excuse de l'observation de tout précepte humain, quelque légitime, juste et obligatoire qu'il soit d'ailleurs. — Les docteurs se partagent sur ce point. Néanmoins tous conviennent que la crainte ne peut excuser de l'obéissance d'un précepte humain, quand, en le violant, on attaque un précepte divin : ainsi, par exemple, ne pas manger de la viande le vendredi est un précepte humain, cependant si quelqu'un était forcé par les hérétiques à transgresser cette loi par mépris de notre sainte foi, ou pour faire acte d'adhésion à la secte luthérienne, il ne devrait pas manger de la viande, même sous la menace de mort. Cette crainte ne serait pas juste et elle n'excuserait nullement, parce que le mépris de la loi et la profession d'hérésie vont contre un précepte naturel divin. C'est pour cela que l'Église place parmi les martyrs les Machabées avec leurs mères et le vénérable Éléazar, qui aimèrent mieux mourir dans d'atroces tourments que manger des viandes défendues par l'ancienne loi, quoique cette loi fût positive et non pas naturelle.

De même le précepte qui défend les mariages dans les degrés éloignés de consanguinité ou d'affinité, notamment au troisième et au quatrième, est un précepte humain ; néanmoins personne ne devrait se laisser entraîner par crainte à contracter et surtout à consommer un mariage sans dispense avec une personne qui lui serait unie à ces degrés. En effet, bien que cet empêchement soit établi par un précepte humain, néanmoins il rend la personne inhabile au mariage, et s'unir à une personne inhabile pour cause de parenté, ce n'est pas un mariage, c'est un inceste, qui est défendu par la loi divine naturelle. De la même manière l'interdit est une censure de précepte humain ; pourtant on ne saurait refuser de s'y soumettre par crainte, quand celui qui veut forcer à le violer a pour motif le mépris de la puissance ecclésiastique, attendu que c'est un précepte de droit divin naturel de ne pas mépriser la puissance ecclésiastique. Enfin, pour ne pas multiplier les exemples, il n'est pas permis, par une crainte quelconque, de désobéir à un précepte humain, si de cette désobéissance il doit résulter un scandale, parce que le scandale est prohibé par la loi divine naturelle. V. *Réponse du cardinal Bellarmin au traité des sept théologiens de Venise sur l'interdit porté par S. S. Paul V. et aux objections de Fra Paolo servite, contre le premier écrit du même cardinal.* Rome-Milan, 1607. — *Exhortations aux excommuniés*, du card. Baronius, Rome, Aureli, 1860. — *Civiltà Catt.*, ser. IV, t. XII, p. 475. — *Steccanella, Le clergé dans les révolutions politiques actuelles*, c. II, a. 7, et c. III, a. 8.

(II) Page 365.

457. Dubia quoad cooperationem quotidie sunt ad manus, sed explicatu difficillima. Ceterum ex tot disputatis, doctrina nostra satis idonee videtur posse pro praxi resolvi : ut nempe absque culpa alicui iniquiter agenti cooperamus, necesse est :

1. Ut nostra cooperatio non sit ad rem intrinsece malam, uti esset idolis sacrificare, blasphemare, veram pietatem irridere (quod neque ad vitandam mortem agere liceret) : sed ut sit ad rem in se indifferentem, adeo ut ipsa valeat etiam ad bonum finem referri ; — 2. ut rem istam indifferentem non ponamus intentione mala ; sed tantummodo, quia externa vi, ac gravi respective necessitate coacti : uti esset armarii claves dare expoliatori, qui alioquin vult portas excindere ; chartas, documenta et similia tradere ei, qui nobis fortior ea per apertam vim capere contendit ; solvere injustum tributum, et taxam, cum publicanus paratus est illam violenter exigere : tunc enim hæc cedimus, non ideo ut gravi peccato furis cooperemus, sed ut ipsi nos ab ejus injusta vexatione liberemus : ideo cooperatio nostra non esset nisi materialis ; neque enim peccat viator, qui latroni marsupium tribuit gravi metu compulsus ; — 3. ut materialis nostra cooperatio non sit aliis scandalo, quasi nempe putent nos ex animo ad actionem illam concurrere : quousque scandalum non amovetur, cooperatio est graviter prohibita ; amovetur autem, v. g., contra coactionem iniquam protestando, illam ægre exterius ferendo, ei quoad potest resistendo, et alia similia plus minus externe agendo pro circumstantiarum aut personarum varietate. Neque ideo sumus a nobis ipsis dissentientes, postea dando quod prius negavimus : negamus, ac resistimus primo, ne videamur iniquiter agentibus lubenti animo connivere, et ita scandalum a fidelibus amovetur ; damus ultimo, quia non possumus retinere, et ita majora damna evitantur.

Hinc etsi velimus ab omni culpa absolvere, v. g., qui externa lætitia signa præbent pro aliquo reprobato opere faces noctu incendendo ; vexilla pandendo ; domum ornando ; campanas aut instrumenta musica pulsando ; adhortationes hac de re ab operariis prælo subjiciendo vel vulgando vel affigendo, gestando signa peculiariora ac mali operis distinctiva, etc., etc. ; ideo quia secus mali multa eis revera graviter minantur ; non sunt certo excusandi qui talia præstant subito, non repugnantes, nulloque periculo aut damno imminente, neque remoto scandalo ; quod scandalum esset certe majoris damni, si illud tribuerent ecclesiastici viri.

Ceterum quando agitur de re gravi et publica, præstat ut nemo nudum hac de re marte suo expediat, si largitur tempus ; sed fideles

adeant sacerdotes, qui sunt magistri in Israel; sacerdotes suam a Parochis mutuent vocem; parochi ab Episcopis quid agendum sit exquirent; Episcopi autem omnes id ipsum sentientes normam tempestive præscribant, oraculum etiam Pontificium exquirentes, si opus; tunc regulam habebimus uniformem, subitam, opportunam, firmam ac tutam. Quod ideo magis præstat observare, quia nec semper nec de facili doctrinam generatim traditam ad casus particulares applicare valemus; et nonnunquam res tot circumstantiis vestita est, ut ipsa nequeat licite in praxim deduci, etsi speculative loquendo non videatur posse damnari; quia nempe vel non satis scandalum, quod timetur, reparatur, vel de publico ecclesie bono agitur, cui aliter provideri nequit. et ita porro.

458. Sporer, *Tract. V in 5 præceptum Decalogi* plura disputat ad praxim nostram. Ipsa ratio (habet) famulatus seu servitii est sufficiens, causa ut excusentur famuli et ancillæ; item filii familias et uno verbo subditi, si jussu dominorum aut prælatorum faciant opera ex se indifferentia et remote tantum ad peccatum se habentia (non item propinque et proxime ad peccatum ordinata). Ut esset 1. si famulus jussu heri usurarii pecuniam ad usuram dandam numeret, deferat, ac recipiat tantummodo, in librum referendo; absque alia mala intentione vel complacentia ad peccatum; 2. si famuli et ancillæ, seu coqui et coquæ dominis jejunium violaturis cenam et carnes coquant vel ministrent; quia hæc actio natura sua non ordinatur ad peccatum, sed solum ad substantiam actus commestionis spectantis ad nutrimentum dominorum, quod famuli et ancilla impedire non tenentur, sed funguntur suo officio sicut aliis diebus; 3. si famulus jussu domini, quem scit ire ad adulterandum, sternat equum, ipsum mere comitetur mereque expectet, more solito ante fores servitii causa (id est non ut custodiat, securum vel animosiores ad peccatum reddat; tunc enim peccaret). Item si feminam cum qua dominus peccaturus est, in domum admittat, facem præferat, lectum sternat, cibum vel potum ministret. Item si ancilla heram suam meretricem ornet, et similia modo dicto faciat...

Si quis a capitulo absens mihi mandet, ut ejus nomine suffragium feram pro Titio certe indigno, non possum mandatum acceptare et votum ad ejus mentem tribuere; esset enim illius peccato cooperare. Aliter est si indignitas non ita certa sit, sed agatur de majori vel minori dignitate in aliorum concursu; cum hæc ab omnibus non uno modo apprehendatur; et ideo tunc mandans supponitur suas habere justas rationes in judicio ferendo.

459. Casus: *Mævius, alioquin juvenis pius, vocatus ad sonos edendos in domo Livii, ubi inhonestæ instituuntur choreæ, quærit a Pancratio suo confessario, an id possit tuta conscientia?* Si Mævius

sine gravi damno potest a sono in tali domo abstinere, responsum erit, ipsum non posse; quia etsi (ex quo sit vir pius) ejus sonus supponatur non esse per se directivus chorearum inhonestarum, et ipsum in earum aspectu haud turpiter delectari; adhuc tamen (cum quilibet ex lege charitatis teneatur, quantum in se est, malum proximi avertere) vi ejusdem legis tenetur se a prædicta domo retrahere, ne per sonos a se editos aliorum impudicitias cooperetur. Si vero Mævius prudenter timeat grave aliquod damnum sibi imminere, v. g., si gravem inde injuriam aut vite suæ læsionem timeret (quod tamen raro contingit), in hoc singulari prorsus casu, ille potest tuta conscientia sonos in dicta Livii domo edere; cum ex una parte choreæ ex aliorum tantum Malitia turpes evadant, ex altera nemo teneatur in magno proprii damni periculo aliorum peccata ex charitate impedire. *Suarez, Palaus, Giribaldus*. Sunt tamen qui id nullimode permittunt, quia sonus nimium influit, et vires addit, et incitamenta ponit, et intimius incendit ipsas choreas inhonestas.

460. Christiani vel catholici apud turcas vel hæreticos bellantes contra christianos vel catholicos, licite remigant, fodiunt, sarcinam et arma devehunt, propugnacula ædificant, etc.; quia ex una parte magna necessitas et gravissimus metus verberum et mortis eos cogit: ex altera parte cooperatio non adeo propinqua est, sine qua nihilominus damnum inferendum est: ita probabiliter Sanchez, Suarez, Layman contra aliquos, qui negant, quia non licet opem ferre iis qui alios injuste occidere nituntur. Quod si captivi talia auxilia negantes, illos magno periculo eripere possent vel victoriam ipsis causare, omnino ex charitate videntur obligari ad bonum commune reipublicæ christianæ vel Ecclesie anteponendum propriæ vitæ. Item excusantur, si inferrant damna christianis in rebus externis auferendo, destruendo, comburendo simili metu mortis coacti; quia tunc sunt in extrema necessitate ad tuendum vitam, et domini non debent esse inviti rationabiliter, sed potius ex charitate consentire... At vero minime excusantur mortis etiam metu actu pugnantes contra insontes christianos vel catholicos, eos occidentes, mutilantes, tormenta explodentes, applicantes ignem navibus, etc.; quia hæc sunt intrinsece mala, nec illis patrocinari potest consensus ipsorum innocentium...

461. Item neque licet pecunia, adhortationibus, etc., concurrere ad publica monumenta erigenda talibus qui eorum auctoritate et ingenio abusi sunt ad aliorum jura pessumdanda et usurpanda, vel ob sacrilega tentamina et impia opera sunt tantum famosi. Quid hoc est aliud, nisi factio nostro publice et palam eorum principibus subscribere, eorumque iniqua molimina probare? Neque dicant se id tantum probare quod boni egerunt; si enim patratum ab illis malum superabundat, et pa-

lam ob eorum usurpationes vel impietates maxime extollantur, intentio nostra neque aufert publicum scandalum, neque mutat opus jam publice determinatum. Neque addant, se id etiam intendere, hominis ingenium admirari, non vero facta personalia dijudicare. Si hoc esset admittendum, vel ipsi Lucifero peringens monumentum erigi posset, qui omnes homines doctrina et scientia antecellit. Sed potius magis vituperandi sunt, cum peregrinis fuerint dotibus male usi. « Nous repoussons avec horreur ce stupide fétichisme païen qui adore aveuglément les avantages que l'homme reçoit de la nature, sans se préoccuper, au point de vue moral, de l'usage qu'il en a su faire : seul point par lequel l'homme mérite une vraie louange. Celui qui ne s'est point formé le cœur ou l'intelligence ne doit pas plus être loué de ses hautes qualités, que la rose des couleurs qu'elle ne s'est point données, ou le lis des parfums dont il n'a point embaumé lui-même son calice. L'auteur seul et le dispensateur de ces dons a droit à la louange, à l'admiration. L'homme qui en a abusé et s'en est servi pour le mal (ce que le lis ni la rose ne peuvent faire) ne mérite que le blâme; et ce blâme doit être d'autant plus grand que les qualités étaient plus singulières, et que plus énormes ont été dans leurs actes et dans leurs conséquences les fautes dont elles furent l'instrument. » (*Civiltà Catt.*, ser. IV, t. II.)

462. Si princeps ob bellum injustum præcipiat fieri publicas preces, tenet Lessius, metu gravis damni, id licitum esse intendendo orare non pro victoria causæ injustæ, sed pro successu felici justæ causæ. Attamen non ita facile scandalum auferri potest; videtur enim publica deceptio, et abusus apertus Sacrorum. Ceterum cum publicas preces indicere sit supremæ ac publicæ auctoritatis ecclesiasticæ (non secularis), privatus nemo neque clericus neque parochus, eas proprio Marte indicere debet, fines mutando, aut inaniter tergiversando.

463. Præterea cum agitur de præjudicio proximi, tenenda est hæc regula : quod non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum quod timemus bonis nostris, sit ordinis superioris, v. g., cum quis tibi minatur mortem nisi tu coopereris morti sui inimici præbendo, v. g., ense, vel scalam deferendo ad ascendendam domum pro occisione, vel amica voce vocando occidendum ut ad fenestram deceptus sine ulla suspitione veniat et aperiatur; quamvis hæc omnia sint de se indifferentia, tamen in illis circumstantiis proxime se habent ad occisionem quod est intrinsece malum (quanquam sunt quia hæc omnia permittunt metu mortis, cum non sint res intrinsece perversæ). Ita etiam cum fur minatur tibi auferre bona tua, nisi coopereris ut ille surripiat bona alterius, nec potes quidem cooperari. Secus esset nisi coopereris ut illa surripiat bona, tu subiturus esses vitæ aut famæ dispendium, quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus

ad permittendam tibi illam cooperationem in suorum bonorum jacturam, ne tu vita aut fama pericliteris. Liguori, *Hom. Apost.*, tract. IV, n. 52.


Item vide supra *de participante*. Et alia in toto Opere; quoad *publicas preces et clamorosas solemnitates* (ut est etiam illa quæ fit societatem operariorum inaugurando, vexilla in ecclesia gestando ac benedicendo, et appositos ac perstreptentes in templo ipso sermones habendo), quoad *usurpatores censuratos* circa suffragia, matrimonia, etc., vide, t. I. Quoad *militiam*, tom. II; et plura de celebratione matrimonii, ac spirituali cognitione; de indignis in susceptione sacramentorum vide tom. IV.

(JJ) Page 366.

464. Aliquando propositiones damnantur *in globo*, et est quando singulis propositionibus sua singularis nota non adsignatur, sed notantur omnes generatim veluti respective *erroneæ, hæreticæ*, etc. Hoc non facit ad substantiam, si et unus et alius modus a legitima auctoritate procedat. « Les condamnations générales sont utilement pratiquées dans l'Église, pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent même le dernier, suivant l'exigence de cas et le degré d'obstination, qu'on trouve dans les esprits. » Ita Episcopus Bossuet in Opere, *Second Écrit sur le livre de Fénelon*, n. 2.

465. Hic duo notanda cum S. Alphonso : — a. nonnulli inducuntur ad reprobandas cunctas opiniones, quæ aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem, vel justam interpretationem. Quod revera est contra naturam propositionum damnatarum; juxta enim omnium Doctorum consensum non sunt clausis oculis rejiciendæ omnes opiniones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis contineantur. Ceterum regulariter loquendo, propositiones damnatæ intelligendæ sunt, ut jacent, et in sensu riguroso, atque ab auctoribus illarum intento : præterquamquod quædam opiniones damnatæ sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendæ ad omnes casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam ab illis distinguuntur (Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 760); — b. Omnes propositiones a Pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ, etc.; tamen accedente Pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illæ propositiones vere sint temerariæ, vel alia inficiantur nota, quam ipsas pati Pontifex declaravit; et ideo esset quidem hæreticus, qui easdem tanquam veras et licitas

sequeretur, aut propugnaret, ut bene ait Viva in *Quæst. prop. damn.* n. 1. Non tamen hæreticus esset, si propositiones damnatas in globo sejungeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari; cum ideo non vere censuraret Ecclesiæ hac de re iudicium; nam fidei catholicae stricte sumptæ non adversaretur, cum singulæ propositiones non ut hæreticæ sint damnatæ. Attamen illius conditio non ideo melior esset; rebellis enim erga Ecclesiam, et reus peccati mortalis semper fieret (Liguori, *Opus Mor.*, I, I, n. 104).



TRACTATUS NONUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE DE BAPTISMO CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA

« Cum omnis christianæ doctrinæ pars scientiam diligentiamque desiderat, tum Sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, Parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint, et Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant : *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matth. vii). » Ita Catechismus Romanus, *De Sacram.*, in proœmio.

DISPUTATIO PRIMA DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT PRIMUM


DE NOMINE, NATURA, NECESSITATE, EXISTENTIA ET AUCTORE

466. Q. 1. Unde Sacramenti nomen, et quæ ejus definitio?

R. Nomen Sacramenti multipliciter accipitur ab Auctoribus ecclesiasticis et sacris. Modo ad sacrum Mysterium indicandum juxta illud : *Nescierunt Sacramenta Dei*¹. Modo ad signi-

¹ *Sep.* ii. Nomen Sacramenti derivatur vel a *sacrando*, quia ad sacramentis; vel a *secreto*, quia arcano includit : hinc quod Latini *Sacramentum*, Græci *mysterium* appellant. Diximus tamen ab *Auctoribus ecclesiasticis et sacris*; nam a profanis *Sacramenti* nomen sumitur tum pro juramento

sequeretur, aut propugnaret, ut bene ait Viva in *Quæst. prop. damn.* n. 1. Non tamen hæreticus esset, si propositiones damnatas in globo sejungeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari; cum ideo non vere censuraret Ecclesiæ hac de re iudicium; nam fidei catholicae stricte sumptæ non adversaretur, cum singulæ propositiones non ut hæreticæ sint damnatæ. Attamen illius conditio non ideo melior esset; rebellis enim erga Ecclesiam, et reus peccati mortalis semper fieret (Liguori, *Opus Mor.*, I, I, n. 104).



TRACTATUS NONUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE DE BAPTISMO CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA

« Cum omnis christianæ doctrinæ pars scientiam diligentiamque desiderat, tum Sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, Parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint, et Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant : *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matth. vii). » Ita Catechismus Romanus, *De Sacram.*, in proœmio.

DISPUTATIO PRIMA DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE, NATURA, NECESSITATE, EXISTENTIA ET AUCTORE

466. Q. 1. Unde Sacramenti nomen, et quæ ejus definitio?

R. Nomen Sacramenti multipliciter accipitur ab Auctoribus ecclesiasticis et sacris. Modo ad sacrum Mysterium indicandum juxta illud : *Nescierunt Sacramenta Dei*¹. Modo ad signi-

¹ *Sep.* ii. Nomen Sacramenti derivatur vel a *sacrando*, quia ad sacramentis; vel a *secreto*, quia arcano includit : hinc quod Latini *Sacramentum*, Græci *mysterium* appellant. Diximus tamen ab *Auctoribus ecclesiasticis et sacris*; nam a profanis *Sacramenti* nomen sumitur tum pro juramento

ficandum rem arcanam, licet non sacram, sive illa sit bona juxta illud: *Sacramentum Regis abscondere bonum est*¹; sive sit mala juxta illud: *Dicam tibi Sacramentum mulieris et bestię*². Modo ad significandum ritum sacrum gratiam significantem et producentem, nempe ad exhibendum signum rei sacrę, quę gratię divinę conferendę efficax sit instrumentum: quo ultimo sensu hic adhibetur, et communius definitur: *Signum sensibile, sacrum et permanens interioris gratię, a Christo Domino institutum, ad nostram sanctificationem*³.

Dicitur 1. *signum*: signum ex D. Augustino est res, quę præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire⁴. Et hoc Sacramentis convenit: sic exterior corporis ablutio in Baptismo facit nos venire in cognitionem interioris ablutionis animę.

2. *Sensibile*, id est sensibus patens; nam cum Sacramenta sint propter homines, ad hoc ut in Dei cultu invicem conveniant, ita debent esse accommodata hominibus, ut in illorum usu possint cultum exhibere Deo corpore et anima: ideo Sacramenta debent esse signa sensibilia rerum spiritualium.

3. *Sacrum et permanens*. *Sacrum*, est enim cæremonia sacra ad cultum Dei ordinata, hominemque consacrans. *Permanens*, id est stabile; tamdiu enim Sacramenta erunt perduratura, quamdiu ipsa perdurabit Religio, cum ex eodem Augustino præcipue per Sacramenta populus Dei in unam Religionem coalescat, et ab aliis distinguatur⁵.

4. *Interioris gratię*, id est gratię sanctificantis, per quam anima interius renovatur: sicque Sacramentum novę Legis discriminatur a veteris Legis Sacramentis, quę gratiam tantummodo exteriorem, seu pure legalem in quadam munditie exteriori consistentem, conferebant.

(Auth. Puber. cõd. si adv.); tum pro pecunia, quę a litigantibus in sacro deponeretur, quę cedebat in bonum commune, si litigantes causa caderent.

V. Tullius, *Oratio pro Milone*.

¹ Tob. xii. — V. Ferraris, vº *Sacramentum*. — ² Ap. xvii.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 2. Et *Opera Dogmatica contra gli Eretici*, sess. vii.

⁴ L. II, *De Doctr. Christiana*. — ⁵ L. XII, *Contra Faust*, c. xi.

5. *Institutum*; quia cum Sacramentum sit signum arbitrium, non posset ex se sanctificationem efficere nec significare, nisi ex speciali institutione. A *Christo Domino*, ut Sacramentorum auctor innuatur, et illa a Sacramentalibus distinguantur, quę sunt instituta ab Ecclesia.

6. *Ad nostram sanctificationem*; si quidem ad naturam Sacramentorum nostrorum pertinet non tantum significare, ut volunt novatores; sed etiam, et maxime, producere gratiam interiorem, qua efficiamur justi et Deo grati.

Hęc definitio ceteris, quę tradi solent, est conformior Tridentino, in quo dicitur Sacramentum novę Legis non aliud esse, quam *symbolum rei sacrę, et invisibilis gratię visibilis forma*¹. Pressius potest etiam definiri Sacramentum: *Signum practicum gratię (A)*.

467. Q. 2. *An Sacramenta sint de necessitate?*

R. Si agatur de necessitate ea instituendi, nulla fuit certe necessitas; si quidem Deus poterat alio modo gratiam suam nobis donare. Id tamen congruenter factum est, tum quia est homini connaturale ut ipse per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilem (hinc merito probat Martinet Sacramentorum rationem radicari in ipsa hominis natura²); tum quia sicut homo peccando se subdidit corporalibus, ita conveniens fuit, ut ibi haberet remedium, unde morbum contraxit; tum ne esset homini durum, si totaliter a corporalibus abstraeretur, cum circa ista actio humana maxime versetur³.

Si vero agitur de necessitate ea sumendi jam instituta, utique necessaria sunt vel pro singulis, ut, v. g., Baptismus; vel pro communitate, ut Ordo et Matrimonium; si secus esset, Christus illa inaniter condidisset. Hinc Tridentinum⁴: *Si quis dixerit Sacramenta novę Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit*.

¹ Sess. xii, c. iii. V. Billuart, Liebermann, etc.

² *Institutiones Theologicę*. Paris, 1859, vol. IV, l. II, a. 1.

³ S. Thomas, 3º p., q. 61, a. 1; et l. IV, *Contra Gent.*, c. lvi. — V. Gotti, *De Sacramentis*.

⁴ Sess. vii, can. iv, de Sacr.

Dices : *Christus interroganti quid factu opus esse, ut haberet vitam æternam, respondit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*¹; *et hæc enumerat, nulla facta Sacramentorum mentione.* — R. Ad servanda mandata auxilium supernæ gratiæ requiritur; unde etiam media adhibere necesse est, a Deo ad gratiam acquirendam instituta et præscripta: porro inter hæc media præcipuum locum tenent Sacramenta, quorum quidem usus in Scripturis clare præcipitur.

Sed (addes) Sacramenta nonne consistunt in quibusdam elementis? at Apostolus non vult nos in statu gratiæ amplius esse sub elementis? — Respondet Angelicus: *Sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena et infirma elementa, quia gratiam nec continebant nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus sub elementis mundi Deo servisse; quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi. Nostra autem Sacramenta gratiam continent et causant; et ideo non est de eis similis ratio*²: uno verbo Apostolus loquitur non de quibuscumque elementis, sed de infirmis, nempe mundi. Respondent alii, Apostolum per elementa non signa sensibilia intelligere, sed prima religionis rudimenta quæ in veteri Lege concessa fuerunt mundo infirmo, donec Christus plenum revelationis lumen afferret.

468. Q. 3. *An aliqui Sacramenta semper extiterint?*

R. Si Sacramenti nomen late sumatur pro quocumque signo, utique Sacramenta semper fuerunt. Hinc Augustinus ait: *Sacramenta veteris Legis ablata sunt; quia impleta, et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*³. Id supponit Tridentinum, dum tradit novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis differre: tale fuit lignum vitæ in statu innocentiae; sacrificium Melchisedech in statu legis naturæ; agnus paschalis, circumcisio, et variæ purgationes in lege Mosaica⁴. Si vero quæstio sit de veris ac proprie dictis Sacramentis ex se justificativis, tunc dicimus:

1. *In statu innocentiae* (nempe tempore, quo innocentes manserunt protoparentes nostri), quod vera Sacramenta fuerint aut futura fuissent, si status ille durasset, docent alii cum Suarez. Sed alii negant cum D. Thoma; quia nulla fuit

¹ Matth. xix. — ² Gal. iv.

³ 5 p., q. 61, art. 1. — ⁴ L. XIX, *Contra Faustum*, c. xiii.

⁵ Sess. vii, can. ii.

eorumdem necessitas neque ad homines sanctificandos, utpote sanctificatos; neque ad sensuum illecebras pellendas, quæ tunc nullæ erant¹: porro Deus nil frustra molitur.

2. *In statu legis naturæ* (illo nempe tempore, quo post Adæ peccatum homines ad Moysen usque lege divina positiva caruere²), nulla item fuisse Sacramenta proprie dicta apud veræ Religionis cultores, neque pro parvulis neque pro adultis, docent probabilius ac communius; nam quamvis dubitandum non sit, quin misericors Deus aliquod sensibile medium suppeditaverit hominibus in eo statu, ut facilius mundarentur a peccato, prout docent Augustinus³, et Innocentius III⁴, illud tamen non ex opere operato (quod maxime pertinet ad naturam veri Sacramenti) sed ex operantis dispositionibus, præsertim fide, gratiam conferebat⁵. In parvulis vero ad tollendum peccatum originale tunc sufficiebat professio fidei ad salutem eorum directa a parentibus, vel ab aliis; ut enim docet Angelicus: *Peccatum quod ex altero contrahitur, ex altero potest habere medicinam.* Est autem probabile cum eodem Angelico, quod fides illa exprimi debuerit aliquo signo externo, ut sic applicaretur, ac veluti transferretur ad parvulos⁶.

3. Neque *in statu legis Mosaicæ* seu scriptæ (id est a Moysen

¹ 5 p., q. 61, a. 2.

² Dicitur *legis naturæ*, non quia excluderet legem supernaturalem (in ea siquidem erant observanda supernaturalia præcepta fidei, spei et charitatis), sed quod in ea nulla esset lex mandato Dei scripta. Et ideo tunc lex naturalis solo naturæ instinctu; lex vero supernaturalis sola Dei inspiratione, quasi per modum naturæ, erant cognitæ. Billuart, Drouven. — V. Ventura, *La raison philosophique et la raison catholique*, append. I. Les sacrements avant Jésus-Christ.

³ L. V, *Cont. Julian.*, c. xi. — ⁴ C. *Majores* iii, de Bapt.

⁵ Tanto magis, quia Apostolus, cum loqueretur de patriarchis et jusii, qui in statu isto Deo placuerant, uti Abel, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob et alii, et cum modum exponeret, quo justitiam adepti sunt; non allegat Sacramenta sed, solam ipsorum fidem, uti patet ex toto contextu Epistolæ ad Hebræos, c. xi. Est contra Victorinum, Bonaventuram et alios, qui docent etiam veteris Legis Sacramenta gratiam conferre ex opere operato: et in eo tantum discriminari a Sacramentis novæ Legis, quod hæc primario et per se; illa vero secundarie ac per accidens, quatenus signa sunt protestativa fidei, gratiam conferant.

⁶ In 4, d. 7, q. 2, a. 6.

usque ad Christum Redemptorem) in nostra sententia, fuere Sacramenta stricte sumpta¹; nam in ea lege nullus erat ritus, qui gratiæ conferendæ vim haberet ex se et natura sua. Apostolus enim Judæorum superbiam de propria lege gloriantium sic reprimebat²: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo; in lege nemo justificatur apud Deum.* Quæ sententia adoptata est ab Eugenio IV in Decreto ad Armenos, ubi legitur: *Illa enim (Sacramenta veteris Legis) non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant.* Idque insinuavit Tridentinum hisce verbis: *Si quis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremonia sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit*³.

469. *Quid ergo (dices) statuendum erit de Circumcisione?* Circumcisio a pluribus uti strictum Sacramentum habetur, eo quod sanctitatem quamdam produceret, fideles distingueret, eosque ad verum Dei cultum consecraret. Verum quia illa sanctitas tota externa erat, quatenus nempe circumcisio sordes quidem carnis, non vero animæ abluebat; iccirco nos dicimus cum Habert, quod ea inter Sacramenta proprie dicta non potest enumerari. Adulti enim in statu legis Mosaicæ a nullo poterant peccato mundari, nisi per charitatem formatam: parvuli autem mundantur ab originali per actum fidei in circumcisionem ministrante, seu puerum offerente, quatenus hæc fides respiciebat Christum venturum: ita D. Thomas⁴. Et nullum invenies Patrem ante Augustinum, qui doceat circumcisionem remittere originale peccatum, ac justificationis gratiam conferre⁵. Adde hoc remedium nimis circumscribi, ut habeatur tanquam deletivum culpæ originalis; cum enim circumcisio non nisi masculis ab octavo nativitatis die administra-

¹ 3 p., q. 70, a. 4.

² Rom. III; et Gal. III. — Sacrificia autem a Moysse inducta Sacramenta stricte appellari non possunt; cum inducta sint non ad gratiam conferendam, sed ad cultum Deo præstandum.

³ Sess. VII, De Sacr., can. II.

⁴ 3 p., q. 70, a. 4. Quoad circumcisionem vid. Guéneé, *Refutation des erreurs de M. de Voltaire en fait de religion*, t. III. — Bergier, *Dictionnaire*, vº Circumcision. — Contenson, *De Baptismo*, append. — Bible de Vence, vol. IV et VI, dissert. sur la Circumcision. — Calmet, *Dictionarium Bibl.*, vº Circumcisio. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 4.

⁵ V. S. Justinus martyr, *Dial. cum Tryph.*; S. Irenæus, l. IV, c. III; Chrysostomus, *In hom. Gen.* xxxix; Epiphanius, *Hær.* xxx; Tertullianus, *Contra Judæos*.

retur, quomodo salvabantur hebræorum tum fœminæ ante rationis usum, tum etiam masculi inter octavum diem, si morerentur?

470. Q. 4. *Quid de Sacramentorum Novæ Legis existentia, numero atque auctore?*

R. Novatores qui nullam gratiæ vim Sacramentis tribuunt, in Sacramentorum numero fingendo ab initio ancipites hæserunt; dein duo tantum admiserunt, Baptismum et Eucharistiam, quam *Cœnam* vocant: cui errori subscripsit Cyrillus Lucar patriarcha Constantinopolitanus, auro Hollandico corruptus et ideo in Concilio Hierosolymitano 1672 damnatus. Recentiores tandem protestantes sustulerunt omnia Sacramenta, ut scite observat Moehler in celebri sua *Symbolica*; cum enim hæc uti signa inefficacia reputent, omnemque gratiam producendi vim soli fidei tribuant, Sacramenta omnia per consequens redegerunt ad meros ritus.

Verum de fide est, in nova Lege septem esse Sacramenta proprie dicta, a Christo instituta: nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unionem, Ordinem et Matrimonium. Id definitum est in Concilio Londiniensi (1257), Constantiensi (1415), Florentino (1459) et tandem Tridentino (1564), quod habet¹: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a D. N. J. C. instituta, aut esse plura aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, etc.; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Adde universæ Ecclesiæ consensum, imo consensum cœ-

¹ Sess. VII, can. I, *De Sacr.* Christus etiam qua homo instituit Sacramenta, nempe potestate excellentiæ ipsi collatæ, ratione unionis cum Verbo; æquum est enim ut Christus qui infinitum gratiæ thesaurum sua passione promeruit, possit rebus vim illam conferre. S. Thomas, 3 p., q. 72; et fusius, q. 64, a. 3. — Etsi autem septenarius Sacramentorum numerus in Scriptura non invenitur expresse notis arithmetiis indicatus, sparsim tamen huc illuc omnium mentio habetur (et non tantummodo Baptismi et Eucharistiæ, ut dicunt novatores); atque Ecclesia ex institutione Christi juxta Scripturarum sensum traditionalem septem semper agnovit et administravit Sacramenta. Mentio quippe fit de Confirmatione in *Act. Apost.*, VIII, 17; de Pœnitentia in *Evang. Joannis*, XX, 22; de Extrema Unctione in *Ep. Jacobi*, V, 14; de Ordine ad *Timoth.*, IV, 14; de Matrimonio licet paulo obscurius apud *Matth.* XIX, 16; et ad *Ephæs.*, c. V, 5. At dicendum fusius suis locis.

tuum Christianorum, qui a remotissimis temporibus a romana Ecclesia divisi sunt; vetustissima enim Latinorum sacramentalia apud Martenium, Græcorum euchologia apud Allatium, Armenorum ritualia apud Serpos, aliarumque orientalium Ecclesiarum apud Assemanum constanter septem signa recensent ad gratiam conferendam divinitus instituta; at dicente Tertulliano: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*¹. Adde SS. Patrum consensum, qui data occasione de septem Sacramentis loquuntur; de *Confirmatione* idem Tertullianus, Cornelius papa et Cyprianus; de *Pœnitentia* Origenes, Tertullianus, et quotquot impugnarunt montanistas et novatianos; de *Ordine* Chrysostomus, Epiphanius, Augustinus, Optatus; de *Extrema Unctione* Origenes, Victor Antiochenus, Chrysostomus, Innocentius I; de *Matrimonio* Justinus et Athenagoras; de *Baptismo* autem et *Eucharistia* omnes et passim, ut ipsi concedunt protestantes.

471. Nonne (inquier) *etiam lotio pedum peracta a Christo in ultima Cœna est verum Sacramentum?* Aliqui id docuerunt; cum lotio etiam sit divinitus instituta, a Christo præcepta, ac signum sensibile adnexam habens gratiæ promissionem, juxta illud Christi: *Si non laveris te, non habebis partem mecum*². Verum cum hanc nunquam inter vera Sacramenta Ecclesia numeraverit, ea ut talis haberi nequit. Petrus quidem non fuisset habiturus cum Domino partem absque ea; at non ex ejus in se spectatæ defectu, sed ob suam inobedientiam. Ceteris pariter, ea lotio non uti necessaria fuit præcepta; sed tantum tanquam utilis proposita fuit, ad excitandam videlicet et exercendam humilitatem, prout ex ipso orationis contextu patet³.

Sed cur nam Christus nec plura nec pauciora, quam septem instituit Sacramenta? Si absolute loqui velimus, erit responsio: *Ita fecit, quia ita voluit*; in rebus enim liberis tota ratio facti est facientis voluntas. Ceterum S. Thomas congruam rationem desumit ex analogia vitæ spiritualis cum vita corporea⁴. Nempe sicut in ordine naturali et

¹ De præscript., c. xxviii. — ² Joann. xiii.

³ Quo sensu, habita ratione utilitatis, D. Bernardus omnia passionis mysteria Sacramenta vocat; D. Augustinus nonnullos ritus erga catechumenos; Tertullianus et D. Hieronymus martyrium; aquam lustralem et cineres benedictos Hugo Victorinus; professionem monasticam Græci passim. — V. Renaudotius, *De perpetuit. fidei*.

⁴ 3 p., q. 65, a. 1 et 2. « Gabriel, métropolitain de Philadelphie au dix-

corporis requiritur: 1. ut homo nascatur; 2. ut crescat; 3. ut nutriatur; 4. ut medicinam accipiat ægrotans; 5. ut muniatur contra hostes in periculis; 6. ut regatur; 7. ut species humana per generationem conservetur. Ita in ordine supernaturali et animæ datur: 1. *Baptismus* ad nativitatem; 2. *Confirmatio* ad accretionem; 3. *Eucharistia* ad nutrimentum; 4. *Pœnitentia* ad medicinam; 5. *Extrema Unctio* ad munimen; 6. *Ordo* ad regimen; 7. *Matrimonium* ad fidelium propagationem.

472. Q. 5. *An omnia Sacramenta sint paria dignitate?*

R. De fide est omnia Sacramenta non esse paria dignitate; ait enim Tridentinum: *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit*¹. Est autem Eucharistia omnium excellentissima, eo quod non gratiam solum contineat, sed ipsum gratiæ auctorem. Ratione necessitatis Baptisma est potissimum Sacramentorum. Ratione perfectionis et ministri Confirmatio et Ordo. Extrema Unctio vero et Pœnitentia sunt inferioris gradus; quia ordinantur ad vitam christianam non per se, sed in casu supervenientis defectus. Inter hæc autem Extrema Unctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum: ita ut Pœnitentia sit majoris necessitatis et usus; Extrema Unctio majoris perfectionis.

473. Q. 6. *Quo sensu Christus est auctor septem Sacramentorum?*

R. Duobus modis Sacramenta a Christo potuerunt institui: immediate, sive per se nominatim determinando omnia et singula septem Sacramenta: et mediate, id est Apostolis vel Ecclesiæ eam largiendo potestatem, ut, pro re nata, aliqua ipsi ejus nomine determinarent. Fatentur omnes (vel ipsi Protestantes) Baptismum et Eucharistiam fuisse instituta a Christo immediate; hoc enim clare exhibet S. Pagina: et definitum habemus in Tridentino².

septième siècle, compare les sept sacrements aux sept vertus, aux sept dons du S. E., aux sept trombes et aux sept étoiles dont parle l'Apocalypse, au chandelier à sept branches du sanctuaire, et aux sept ablutions de Naaman. » Klée, *Histoire des dogmes*, vol. II. Paris. — Koll, *Instit. Theol.*, pars IV, sec. II, tract. I, a. 8.

¹ Sess. iv, can. iii. V. D. Thomas, 3 p., q. 65, a. 3.

² Sess. vii, can. 1.

Sed utrum omnia et singula Sacramenta Christus instituerit immediate, non satis convenit: neque id definitum est¹. Nobis tamen videtur probabilior et Tridentino ipsi conformior sententia, quæ affirmat: Sacramenta enim sunt veluti fundamenta, quibus Ecclesia tota innititur: at verisimile non est Christum ea, quæ pro Ecclesia tanti momenti sunt, noluisse per se instituire; sed aliis curam hanc demandasse. Hinc Apostolos se et ceteros in apostolatu socios haberi volebat non uti auctores, sed tantum *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*².

CAPUT SECUNDUM

DE PARTIBUS SACRAMENTORUM, SEU DE MATERIA ET FORMA

474. Q. 1. Quænam est materia et forma Sacramentorum?

R. Sacramentorum materia est res sensibilis, quæ præexistit et adhibetur ad eorum confectionem, ut aqua in Baptismo; forma vero sunt verba, quibus utitur minister ad determinandam rem illam præexistentem ad esse Sacramenti. Hinc Augustinus: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum*³. Has voces primus inuexit Guillelmus Antissiodorensis initio sæculi XIII; iisque etiam usus est Eugenius IV in Decreto ad Armenos inquitens, *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*⁴.

¹ Sic Magister Sententiarum et Hugo Victorinus censent ab Apostolis institutam Confirmationem, aut saltem Extremam Unctionem.

² I Cor. iv. — ³ Tract. LXXX in Joannem.

⁴ Attamen persona ministri potius pertinet ad causam Sacramenti efficientem, quam ad ejus essentiam: hinc Tridentinum (sess. xvi, c. ii) ait: *Materia et forma Sacramenti essentia perficitur*. Quod autem modo dicimus

475. An (quæres) Christus omnium Sacramentorum materiam et formam assignaverit?

R. 1. Tripliciter dici potest, Christum Sacramentorum sive materiam sive formam determinasse: 1. *in genere*, id est si præceperit dumtaxat, ut aliquod sensibile signum adhiberetur ad significandum et producendum effectum septem Sacramentorum; Ecclesiæ vero commiserit hoc signum eligendi, v. g., si pro Baptismo præscripserit solum, ut res et verba adhiberentur, sed quin declaraverit, an res ista debeat esse aqua vel aliquid aliud, et verba an *ego te baptizo*, vel alia; 2. *in specie*, si ipse Christus signum adhibendum determinaverit, nempe si speciatim et materiam designaverit et substantiam verborum, v. g., in baptisate aquam pro materia, et verba *ego te baptizo*, vel alia æquivalentia pro forma¹; 3. *in individuo* (alii dicunt *in specie infima*), si ulterius determinaverit, rem talibus ac talibus qualitatibus affectam esse debere, et verba his vel illis vocibus constare, puta si pro materia in Baptismo expresse designasset aquam frigidam, non calidam; pro forma vero talem phrasim et non aliam. Hoc posito:

R. 2. Certum est: — 1. imo de fide, Christum saltem in genere omnium Sacramentorum formam determinasse; nam de fide est, omnia Sacramenta fuisse a Christo instituta: quod saltem de genericis hac institutione accipiendum est; — 2. certum est Christum nullius Sacramenti materiam et formam in individuo designasse, cum hujus rei nullum sil indicium; — 3. certum est Christum designasse in specie mate-

materiam, antiquitus appellabant *rem vel elementum*. Quod vero *formam* vocamus, dicebant *verbum, invocationem, benedictionem, sanctificationem*. Vel etiam appellabant materiam et formam simul *partes Sacramentorum, sacra symbola, seu signa, mystica dona, Religionis initiationes, etc.*; effectum autem dicebant *rem*.

¹ Aliud est quæres, num Christus ipse per se immediate et in specie instituerit septem Sacramenta; aliud num ipse per se immediate et in specie materiam ac formam determinaverit ipsorum Sacramentorum. Si Christus dicit: *Volo quod septem sint Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, etc.*, habetur primum. Si dicit: *Volo quod ista septem Sacramenta conficiantur cum talibus verbis substantialibus, et cum hac tali materia*, habetur secundum.

riam et formam Baptismi et Eucharistiæ; cum evidenter eruatur ex Scripturis¹.

Tota controversia est de aliis Sacramentis, an videlicet Christus etiam illorum materias et quoad substantiam etiam formas, in specie determinavit. Negant probabiliter S. Bonaventura, Bellarminus, Morinus, Lugo, etc.; nam si eas Christus speciatim determinasset, non esset diversitas materialium in Ecclesia græca et latina. Sed Concina, Habert, Continuator Tournely et alii plures cum D. Thoma probabiliter affirmant; si enim tantæ institutionis potestatem habuisset Ecclesia, posset ipsam materiam et formam immutare: nam qui majus concessit, etiam minus concessisse dicendus est². At multo probabilius id Ecclesia non potest; tum quia potestatis adeo mirandæ nullum extat neque in Scriptura, neque in traditione vestigium; tum quia Tridentinum expresse definivit, posse quidem Ecclesiam mutare ritus, qui adhibentur in administratione Sacramentorum; *salva tamen illorum substantia*³. Nihil autem ad substantiam magis pertinet, quam eorum materia et forma, quippe quæ sunt partes, ex quibus coalescunt. Ita etiam Benedictus XIV⁴.

476. Q. 2. *Quotuplex est materia et forma Sacramentorum?*

R. Ad 1: Sacramentorum materia multiplex dividitur: 1. alia est *remota*, et est ipsa res externa et sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur. Talis est, v. g., aqua respectu Baptismatis; 2. alia est *proxima*, et est illa ipsa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto Sacramentum suscipienti. Talis est in ipso Baptismo ablutio, quia per hanc materia remota, nempe aqua, applicatur baptizando; 3. alia est *certa*, quam certo constat esse reapse illam ipsam rem sensibilem quam Christus determinavit: puta aquam naturalem in Baptismo; 4. alia est *dubia*, ut si dubitetur, utrum

¹ Joann. iii; Mar. xiv; Matth. ult. — ² 5 p., q. 60, a. 5.

³ Sess. xxi, can. ii.

⁴ *De Syn. Dioc.*, l. VIII, c. x. Quod si diversitas aliqua opponatur materie et formæ inter Ecclesiam orientalem et occidentalem, præsertim in Sacramento Ordinis, hæc est dumtaxat circa accidentalia. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 12; et dicenda *De Ordinibus*.

reapse sit illa, quæ pro dato Sacramento constituta est: puta, si pro Baptismo exhibeatur liquidum quoddam, de quo incertum est, utrum sit aqua naturalis, an artificialis; 5. alia est *essentialis*, quæ ad validitatem Sacramenti. Alia *accidentalis*, quæ ad majorem tantum significationem aut reverentiam pertinet.

R. Ad 2. Multiplex etiam solet distingui Sacramentorum forma: 1. alia est *absoluta*, quæ verbis puris et absolutis enuntiatur, v. g., *ego te baptizo*. Alia *conditionalis*, cui adnectitur aliqua conditio, v. g., *ego te baptizo, si non es jam baptizatus*; 2. alia *certa*; alia vero *dubia*: prout nempe ipsa vel certum vel dubium facit Sacramentum; 3. alia *substantialis*; alia vero *accidentalis*: prout nempe necessario requiritur ad valorem, vel non; 4. alia est *deprecativa*; alia *inductiva*: prout nempe ea profertur vel deprecando efficaciter effectum, ut in Extrema Unctione; vel efficaciter ipsum indicando, ut in ceteris Sacramentis.

477. Q. 3. *An materia Sacramentorum debeat esse proxima?*

R. Cum proxima Sacramentorum materia sit illa ipsa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto, eumque sine hac applicatione Sacramentum ipsum confici nequeat, jam patet, Sacramentorum materiam proximam esse debere. Quod autem spectat ad qualitatem proximitatis, certum est in Eucharistia requiri proximitatem sive conjunctionem physicam materiæ cum forma; quia pronomen demonstrativum *hoc, hic* non potest verificari, nisi materia sit præsens. In aliis vero Sacramentis *ad eorum validitatem* proximitas talis esse debet, ut secundum moralem hominum æstimationem, *spectata natura Sacramenti cujuslibet*, materia afficiat formam, et forma vicissim afficiat materiam. Hoc est, ut verba ita censeantur moraliter cadere in talem materiam, ut inde unum totale exurgere judicetur. Ratio: in composito morali, quale est Sacramentum, sufficit moralis simultaneitas, ita ut humano modo materia et forma simul coexistere censeantur; ex quo patet parvulam moram non officere.

Diximus: 1. *ad eorum validitatem*; ex præscripto enim

Ritualis Romani verba uno et eodem tempore, quo applicatur materia, proferenda sunt. Ad scrupulos tamen repellendos communiter advertunt, non esse opus simul formam et materiam incipi, nec simul finiri; sufficit enim ad ipsam licitatem, ut forma proferatur, dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari.

2. *Spectata natura cujuslibet Sacramenti*; nam conjunctio illa moralis diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum. Sic in Baptismate, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine conjunctio materiæ cum forma debet esse talis, ut dum minister verba pronuntiat, moraliter censeatur lavare, signare, ungeri et consecrare: quod fit, sive materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, sive immediate postquam jam prolata est. Ita communiter contra Cajetanum (qui loquens de Baptismo vult, ut verba ad validitatem inchoentur, priusquam ablutio absolvatur); qui enim, inquit Sotus, *phialam ori admovens ait Ego bibo, et continuo bibit, simul censeatur id dicere et facere;... pari ergo ratione, si quis prius dicat Ego te baptizo, vel Ego te chrismo, et protinus mergat vel chrismate ungat (aut vice versa) sat est; illud enim proximum tempus censeatur humano modo præsens.* In Pœnitentia vero aliquamdiu poterit absolutio differri; cum sit instituta ad modum judicii forensis, in quo non semper subito profertur sententia, v. g., post horam a confessione, ut dicit Croix, etsi pœnitens non amplius peractæ confessionis suæ memoriam habeat, vel excitati doloris; actu tamen præsens esse debet pœnitens, ut verificetur pronomen *te*. In Matrimonio tandem poterit consensus unius tandiu sequi consensum alterius, quandiu hic moraliter censeatur permanere, uti fit in contractibus, quorum naturam Matrimonium imitatur¹.

478. Q. 4. *An liceat in Sacramentis adhibere materiam dubiam; vel ea ministrare cum opinione tantum probabili de eorum valore?*

¹ Hæc quoad Pœnitentiam et Matrimonium videntur accepta esse apud omnes; quoad alia Sacramenta, hæc, iterum spectata ratione, videntur moraliter certa; sed in praxi sententia Cajetani ut tutior consulenda. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 9.

R. Cum valor Sacramentorum pendeat a sola Christi institutione, non vero ab opinione hominum, etsi probabilior (quæ quidem nequit immutare vel supplere quod Salvator voluit esse actu necessarium ad illorum valorem); patet generatim loquendo et extra casum necessitatis, nos sequi debere quod securius est: id deducitur etiam ex propositione 1^a ab Innocentio XI damnata. Hinc qui secus agit graviter peccat: a. contra Religionem, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis; b. contra charitatem, quia sine causa discrimini se committit proximum fructu defraudandi; c. contra justitiam; quia eo ipso quod vult Sacramentum ministrare, se tacite ad valide ministrandum obligat.

Diximus 1. *generatim loquendo*; nam dum adest vera probabilitas, ea Sacramenta bene possunt ministrari, in quibus potest Ecclesia defectum supplere, causa interveniente: ut evenit, v. g., in Pœnitentia, si forte Sacerdos jurisdictione careat; justa enim causa adveniente ac titulo, censeatur Ecclesia jurisdictionem supplere in bonum fidelium. Hoc Viva vocat *communissimum*, Sporer *moraliter certum*, Lugo ait hanc esse *totius Ecclesiæ praxim*¹; — 2. *extra casum necessitatis*; si enim homo sit in extrema necessitate suscipiendi hic et nunc Sacramentum, si præsto non sit materia certa, dubia est adhibenda: sub conditione tamen ob reverentiam Sacramenti ipsius. Christus enim pro summa erga nos bonitate statuit, ut spirituali hominum saluti etiam cum periculo Sacramenti frustrandi consuleretur².

479. Q. 5. *An validum sit Sacramentum sub conditione collatum?*

¹ Imo neque quoad alia Sacramenta est omnimoda certitudo inquirenda, ne scrupulis sit locus. Alioquin esset saltem sub conditione iterandus Baptismus pueri, quem esse baptizatum una tantum mulier affirmat; cum hoc testimonium non sit omni exceptione majus; atqui hoc in jure prohibetur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 49.

² Ex quo ortum est illud adagium: *Sacramenta propter homines, non homines propter Sacramenta*. Sic puero jamjam morituro, si aqua naturalis et sincera haberi non possit, fas erit Baptisma ei administrare cum aqua etiam liquore permixta. Si tamen postea habeatur materia certa et locus sit, repetendum erit Sacramentum sub conditione; alioquin semper incertum esset, an de facto sit receptum Sacramentum, necne.

R. Si conditio Sacramento apposita est de præterito, v. g., *baptizo te, si non es baptizatus*; aut de præsentis, v. g., *absolvo te, si capax es*, valet, vel non valet Sacramentum, prout existit, aut non existit illa conditio; illi enim Sacramentum est alligatum. — Si vero conditio est de futuro contingenti, v. g., *absolvo te, si futurus es sacerdos*, Sacramentum non valet; nam ad valorem forma applicari debet materiæ præsentis: porro cum verificatur conditio, jam forma transiit. Adde valorem Sacramenti non posse suspendi, si matrimonium excipias, quod imitatur naturam contractus. — Si autem conditio est de futuro necessario, ut si dicatur: *Absolvo te, si cras sol oriatur*, valet Sacramentum; quia revera crastinum sol oritur: excipe nisi id proferas animo Sacramentum suspendendi in crastinum. Item valet si conditio est de impossibili, et nugatorie censeatur posita, uti *absolvo te si coelum digito tetigeris*; censeatur enim tanquam non apposita¹.

Sed (quæres) an aliquando liceat Sacramentum sub conditione conferre? Sine gravi causa id agere lethale est, cum sit nugari in re gravi. Si vero adsit gravis ratio, tunc nullum est peccatum; imo res laudabilis et præcepta. Unde certum est licitum esse, imo et debere sub conditione Baptismum conferri, ut cum certo non potest, probabiliter saltem hominis saluti consulatur. Idem dicendum de Confirmatione et Ordine, si dubium sit, an quis hæc Sacramenta vere receperit; cum enim ea iterari non valeant, qui ea dubie recepit, semper dubie viveret, an sit vere confirmatus et ordinatus. Sacramentis characteristicis adde Matrimonium, quod pariter non potest iterari, vivente comparte. Imo communiter censent cum Habert, Bonacina, Palao, Roncaglia, Salmantien-

¹ Quid vero si conditio humanitus cognosci non possit, ut si dicas: *Absolvo te, si es prædestinatus*; si Deus cognoscit quod restituas, etc.? Viva censet Sacramentum valere vel non valere, prout illa conditio vera est vel non; quia ponitur conditio præsens, quæ Deo nota est. At Concina rectius negat; nam cum Deus commiserit illius administrationem cognitioni ac voluntati hominum, nequit apponi conditio, quæ cadere non possit sub cognitionem humanam. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 25, 27 et 431; et *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 6.

sibus, Suarez aliisque contra pauciores, id quoque licere quoad alia Sacramenta, in casu necessitatis vel magnæ utilitatis. Ratio cardinalis: Sacramenta in hominis utilitatem instituta sunt.

Hinc loquendo: 1. de Eucharistia, qui prudenter dubitat, an verba consecrationis profulerit, illa repetat sub conditione, v. g., *si nondum consecravi*: ita Rubrica; — 2. loquendo de Confirmatione, in necessitate ea erit etiam solo oleo confecta (si balsamum præscriptum haberi non possit) sub conditione, v. g., *si materia sufficit*, conferenda: ita Benedictus XIV; — 3. loquendo de Ordinatione, si dubitetur omissum aliquid necessari, ea erit sub conditione repetenda, *si non es ordinatus*: ita S. C. C.; — 4. loquendo de Matrimonio, si agatur de legitimanda prole et jamjam mater sit moritura, nec satis possit verificari, si prior conjux adhuc vivat, illud sub conditione contrahitur, *si es soluta*; — 5. loquendo de Extrema Unctione, si Sacerdos eam confrens dubitet, an infirmus adhuc vivat, eam prosequatur conditionate, *si adhuc vivis*: ita Rituale; — 6. tandem loquendo de Pœnitentia, licitum est prudenter dubitanti, an absolverit, sub conditione, *si nondum es absolutus*, absolvere, ne forsitan mutilum sit Sacramentum; ac ne pœnitens privetur gratia, vel ad aliam confessionem obligetur, quod quidem est onus grave, imo plerumque impossibile (B)¹.

480. Q. 6. Quid de mutatione materiæ et formæ in Sacramentis?

R. Dupliciter contingere potest materiæ mutatio: *substantialiter* et *accidentaliter*. Mutationem substantialem patitur materia, quando ex communi judicio eadem amplius non censetur ac illa, quæ a Christo fuit instituta, v. g., si in Baptismo vinum pro aqua adhibeatur. Accidentalem verò, quando licet ex aliqua parte differat ab illa, quam solet Ecclesia adhibere; adhuc tamen idem nomen, et eandem naturam sibi retinere existimatur. Esset si quis aquæ Baptismi cineres, sed in parva quantitate immisceret. — Idem de formæ mutatione dicendum est. Substantialiter mutatur forma, si verba ita mutantur, ut eorum sensus non amplius habeatur, v. g., si quis in Baptismo diceret: *Ego te ungo in nomine*, etc. Accidentaliter verò, si etiam mutatis verbis, sensus idem

¹ V. Goussset, *Justification de la doctrine de S. Alphonse*, ubi testimonio ipsorum rigidissimorum, probat, urgente causa, omnia sacramenta sub conditione dari posse.

permaneant, saltem qualis ex communi hominum usu intelligitur: ut si quis in Baptismo diceret: *Ego te abluo*, loco: *Ego te baptizo*.

Jam vero mutatio substantialis invalidat Sacramentum: cum amplius non remaneat ritus ille externus et sensibilis, quem Christus instituit. Mutatio accidentalis non sic ob rationem contrariam.

Sex autem modis præcipue mutari potest forma: additione, detractio, variatione, transpositione, corruptione et interpolatione¹.

1. *Additione*: ubi videndum, an sensus habeatur corruptus an non. D. Thomas censet invalidum Sacramentum, si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris, etc.*; sic enim sublata est veritas Sacramenti². Concina autem censet esse validum, si dicatur: *Baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem, etc.*; nam error ministri per se junctam propositionem additus non præjudicat sensui a Christo intento³.

2. *Detractione*: hic videndum est, an quod auferitur, pertineat ad formæ substantiam an non, ut sic judicium feratur de validitate.

3. *Variatione*: si verba substituta synonyma sint, adhuc fit Sacramentum; quia adhuc remanet sensus formæ: esset si loco *absolve* dicatur *remitto*. Secus, si substituta verba non sint synonyma.

4. *Transpositione*: hæc ex Angelico facit, per se, ac generatim loquendo, mutationem dumtaxat accidentalem, ut si dicatur: *Te ego baptizo*⁴.

5. *Corruptione*: notat Angelicus, facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio, ut si loco *patris* dicatur *matris*; quam si fiat in fine, ut si loco *calix* dicatur *calis*: tales enim finales inflexiones sensum non variant in communi hominum judicio⁵.

6. *Interpolatione* vel *interruptione*: hæc erit substantialis, si tollatur orationis unitas: ut si quis, dicto *hoc est*, Psalmum recitet, vel multum immoretur, et postea addat *Corpus meum*. Aliter esset si quis, v. g., dicto *ego te*, spueret, silentium imponeret (*silence, taisexvous*), ac illico concluderet formam: *Baptizo, etc.*; adhuc enim esset unitas moralis.

¹ V. Liguori. *Op. Mor.*, l. VI, nn. 11 et 109. — ² 5 p., q. 60, a. 8.

³ Item valet Baptismus a Calvinista sic collatus: *Auctoritate mihi per Calvinum collata ego te baptizo, etc.*; nam error hic non corrumpit formam. Quando porro error ministri non tollit substantialem Sacramenti ritum, Sacramentum subsistit; quia non a sententia ministri, sed a Christi virtute suam efficaciam sortitur.

⁴ 5 p., q. 60, a. 7. — ⁵ 5 p., q. 60, a. 8.

Hinc versus:

*Nil formæ ponas, nil demas, nil variabis,
Transportare cave, corrumpere verba, morari.*

481. Qui scienter materiam et formam Sacramentorum *substantialiter* mutat, peccat profecto mortaliter: imo et sacrilegii se reum constituit. Nam violat rem sacram divinitus institutam, atque frustraneam reddit, et ideo gravem injuriam irrogat tum Christo et Ecclesie, tum ipsis Sacramentis et fidelibus eadem suscipientibus. Imo peccaret mortaliter etiam mutando *accidentaliter*, si ageret ex formali contemptu; cum hic ex natura sua sit semper gravis: hic enim, dicente D. Bernardo: *Convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis*¹. Imo et sine contemptu, si res sit multum importabilis ac sub gravi præcepta, ut esset aqua consecrata in Baptismate solemniter, et azymus in Eucharistia pro latina Ecclesia.

CAPUT TERTIUM

DE SACRAMENTORUM MINISTRO

482. Q. *Quisnam est minister Sacramentorum, et quotuplex?*

R. Ad 1: Minister Sacramentorum est solus homo viator: cum ipsi tantum de ordinaria Dei providentia id tributum sit: est contra Lutherum, qui etiam diabolo (quocum familiariter utebatur) hanc tribuit facultatem. Veritas porro patet ex Scripturis, ubi legitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*². Et Chrysostomus: *His qui terram incolunt atque in ea versantur, commissum est ut ea, quæ in caelis sunt, dispensent*³. Et D. Thomas theologicam rationem adsignat: *Tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli...; et ideo ad homines pertinet dispensare Sacramenta, et in eis ministrare, non ad angelos*⁴.

¹ L. I, *De præc. et disc.*

² Hebr. III. — ³ L. III, *De Sacerd.* — ⁴ 5 p., q. 63, a. 7.

Diximus *De ordinaria Dei providentia*: nihil enim impedit, quominus Deo dispensante, et angeli et animæ corpore proprio solutæ ea possint extraordinarie ministrare, videlicet in assumpto corpore¹. Ita S. Stanislaus Angelorum pane bis angelico ministerio fuit refectus.

483. R. Ad 2: Duplex distinguitur minister: — 1. *ordinarius*: et est qui per legitimam ordinationem², ideoque munere proprio ac vi dignitatis suæ Sacramenta conficit. Est iterum contra Lutherum, qui ordinaria Sacramenta conficiendi et administrandi facultatem tribuit Christiano cuilibet, non exclusis pueris et mulieribus. Sed de fide est a Tridentino definitum: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit*³. Et sane in qualibet bene constituta societate magis momentosa officia, non cuilibet de societate ipsa deputari debent, sed electis personis; — 2. *extraordinarius*, qui nempe conficit aliqua Sacramenta, sed solum ob peculiare privilegium vel specialem delegationem vel urgentem necessitatem.

Lutherani plura congerunt ex S. Scriptura, ut probent fideles omnes Sacerdotes esse, ideo potestatem habere in Sacramenta. At frustra, ut enim legenti manifestum est, in objectis locis fideles non nisi improprie

¹ Hic etiam audiendus est Angelicus (3 p., q. 64, a. 7): *Sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis*. Potro minister active concurret ad producendam gratiam Sacramenti, videlicet *per modum instrumenti, si Eucharistiam excipias*; nam gratia producit ratione illius ministerii. Diximus: — 1. *per modum instrumenti*: nam solus Christus eam producit per modum principalis agentis. Hinc D. Augustinus (tract. VI, in Joann. vii), ait: *Petrus baptizat, hic est qui baptizat*; nempe Christus: hinc Christus dicitur minister *primarius*, quia ejus nomine Sacramenta administrantur; et homo minister *secundarius*, quia agit nomine primarii; — 2. *si excipias Eucharistiam*, quia in ea, sola distributione, confertur gratia, ad quam inde minister non concurret nisi remota.

² Unum excipe matrimonium ex dicendis (disp. I, c. II, *De Matrimonio*); illius enim minister non est ordinatus, cum in nostra sententia sint ipsi contrahentes.

³ Sess. VII, can. X, *De Sacr.* — V. Ferraris, *Minister Sacramentorum, Sacramentum*.

sacerdotes vocantur, quatenus nempe vel sacrificium cordis Deo tribuunt vel reale sacrificium, non quidem officio sacerdotale, sed affectuum conjunctione cum sacerdote offerunt⁴. Duplex sane distinguitur sacerdotium, unum externum et proprie dictum, quo reale sacrificium offertur et Sacramenta administrantur; aliud improprium, internum et spirituale, quo Deo bona opera tantummodo offeruntur, nempe preces, laudes, ac potissimum cor contritum.

Nota. Cum autem aliud sit valide conficere Sacramenta, aliud conficere valide simul et licite; ideo alia in eodem ministro requiruntur ad validam tantum, alia ad validam simul et licitam eorum confectionem.

Art. I. — De conditionibus ad validam confectionem.

484. Q. 1. *Quid requiritur ad validam Sacramentorum confectionem?*

R. Ad validam Sacramenti confectionem requiritur in ministro intentio, id est *deliberata voluntas saltem faciendi quod facit Ecclesia* per illum ritum: nempe faciendi aut quod Christus instituit, aut quod vidit per Parochum fieri, aut quod Christiani faciunt vel vera Ecclesia. Est de fide contra protestantes, qui cum in Sacramentis non aliam agnoscant virtutem nisi fidei excitandæ, ea proinde valere inferunt, quamvis irrisorie conferantur. Veritatem catholicam probat non tantum perpetuus Ecclesiæ sensus ac praxis apud Dromium⁵; sed Martinus V in Concilio Constantiensi, et Eugenius IV in Florentino. Tridentinum tandem ait: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*⁶. Ratio: Sacramentorum administratio est actio humana; talis autem esse non potest, nisi sit libera: neque libera, nisi sit ex rationis iudicio, et cum voluntatis determinatione. Est nempe administrans instrumentum vivum,

⁴ In Ps. vi, xv et xix; I Petri ii; et Apoc. i, v et xx.

⁵ Hac ratione Baptismus a femina præstigiatrice collatus sub finem sæculi II illico ab omnibus irritus est declaratus, ut refert Firmilianus in epistola ad Cyprianum. Quod autem refertur de Genesio mimico in theatro baptizato, vel id verum non est, ut aliqui dicunt; vel si verum est, fuit invalidum Baptisma, et sane Genesius proprio sanguine baptizatus fuit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 15 et seqq.

⁶ Sess. VII, can. XI.

liberum, et animatum. Adde: aliter non satis determinari actionem sacramentalem ad rationem Sacramenti: sic (ait Angelicus¹) ablutio potest ordinari ad jocum; ut ergo determinetur ad effectum Sacramenti, requiritur intentio abluentis. Ita Benedictus XIV².

485. Opponunt D. Augustinum, qui ait: *Non timeo adulterum, non timeo ebrium... quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic (Christus) est qui baptizat*³; at in ebrio nulla intentio esse potest.

R. In vere ac perfecte ebrio qui actu vino obrutus est, concedo; in ebrio vero, qui pravum quidem se inebriandi usum habet, quique talis esse potest, etsi hic et nunc nihil vini gustaverit, nego⁴. Porro Augustinum non de ebrio, sed de ebrioso loqui ex contextu patet, et ita accuratiores editiones legunt.

486. Q. 2. *Qualis intentio requiritur in ministro Sacramentorum?*

R. Intentio, quæ in genere est *actus voluntatis tendentis ad finem per media*, quadrupliciter in Sacramentorum ministro esse potest; actualis, habitualis, interpretativa et virtualis. Erit *actualis*, cum minister hic et nunc actu suo intendit, seu vult Sacramentum conficere. Erit *habitualis*, cum minister habuit quidem jam prius intentionem actualem, neque illam revocavit, sed modo de illa amplius non cogitat: neque ea in aliquo suo effectu amplius permanere censetur. Seu melius est habitus aliquid agendi frequentatione actuum comparatus, qui proinde etiam in ebriis esse potest. Erit *interpretativa*, cum minister nullam quidem nec habuit nec habet intentionem actualem, sed ita dispositus est, ut si adverteret, eam haberet profecto. Erit *virtualis*, cum minister, etsi hic et nunc non intendat actualiter (quia alio mente sua distractus) Sacramentum conficere; agit tamen sola virtute intentionis actualis jam habitæ, quæ censetur perseverare et in ipsam actionem directe influere. Uti, v. g., si quis habens intentionem Eucharistiam conficiendi, adeat Ecclesiam, Missam celebret; sed actu quo verba consecrationis pronuntiat,

¹ 5 p., q. 64, a. 8. — ² *De Syn. Dioc.*, l. VII, c. iv.

³ Tract. V, in *Joann.*, n. 18. — ⁴ V. S. Thomas, in 4, d. 6, q. 1.

non amplius de ipsa consecratione agenda hic et nunc cogitet.

Porro certum est: — 1. non requiri intentionem actualem, licet ea optanda sit: *Hoc*, ait Angelicus, *non est totaliter positum in hominis potestate; quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare secundum illud Ps. xxxix: Cor meum dereliquit me*¹. — Certum est 2, habitualement intentionem non sufficere, neque interpretativam: non sufficit prima; hæc enim non influit in opus, cum etiam in dormiente esse possit, ideo non facit, ut actio sit elicitata humano modo: nec refert, quod ea sufficiat in suscipiente; nam plus certo requiritur in agente, quam in patiente. Non secunda: hæc namque non est vera intentio, sed tantum dispositio ad illam. — Restat ergo 3. dicendum, sufficere intentionem virtualement: hæc enim vere sufficit, ut homo operetur humano modo, cum talis intentio ab actuali procedat. Idque valere dicunt, quumvis sit virtualis implicita: ut si Sacerdos sacris vestibus induatur, ad altare accedat et celebret, quin id expresse intendat; nam eo ipso, quo id de solito præstat, implicite vult Missam conficere².

Et adhuc sufficit intentio coacta, v. g., vi, vel metu; quia vis et metus non auferunt voluntarium. Revera sic coactus ponit intentionem suam, quacumque de causa ponat; hoc Lugo definitum refert in Concilio Toletano IV. Excipe matrimonium, quod canones nullum faciunt ex metu gravi injusto initum, ob magnam quam requirit libertatem.

487. Q. 3. *An intentio in ministro valeat, si sit mimica et irrisoria?*

NOTA: Intentio in ministro potest esse mimica vel seria. *Mimica* seu irrisoria est, qua quis jocose agit, interius nempe exteriusque deridendo: ut si histrio per ludibrium quempiam in theatro baptizaret. *Seria* autem intentio est quæ joco ac derisione caret: hæc autem vel est externa tantum, vel etiam

¹ P. 5, q. 64, a. 8.

² Ideo docent: 1. non opus esse, ut minister ore vel corde reflexe dicat se intendere Sacramenti confectionem; 2. immerito et imprudenter de actione sua dubitare illum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, neque debitam intentionem positive excludit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 48. — Ferraris, v° *Intentio*.

interna. — Rursus intentio seria et interna vel est inadæquata seu implicita, vel adæquata seu explicita. *Adæquata et explicita* est, qua minister expresse intendit Sacramentum vel ejus effectus, puta gratiam et characterem producere. *Inadæquata et implicita* qua minister, nihil expresse per se intendit; sed tantum vult facere quod tali ritu intendit Ecclesia, se videlicet intentioni Ecclesiæ conformando, licet Sacramenti effectus ignoret. — Erit tandem intentio *seria*, sed *externa tantum*, quando solum in ritu externo minister se conformat Ecclesiæ, id est serio perficit quod facit Ecclesia, sed intus non vult quod intendit Ecclesia. His positis:

R. 1. De fide est, non sufficere intentionem mimicam. Leo enim X sequentem Lutheri articulum proseripsit: *Si Sacerdos non serio, sed joco absolvet, si tamen credat pœnitentiam se esse absolutum, verissime est absolutus*: hunc errorem etiam Tridentinum damnavit¹. Sane actio ministri sacri debet referri ad ministerium sacrum; sed actio posita per jocum refertur ad solatium et irrisionem.

R. 2. Intentio seria et interna, quæ sit adæquata et explicita est laudabilis quidem, sed non necessaria: nam Nicolaus I consultus a Bulgaris de Baptismo collato a judæo vel a pagano respondit, standum esse pro ejus valore, si dignoscatur fuisse collatum cum materia et forma: si enim aliud non constat, censetur in illo fuisse generalis intentio faciendi quod fieri audiverit a vera Ecclesia; tamen ille non intendit conficere Sacramentum et gratiam producere.

R. 3. Intentio seria et interna, licet inadæquata et implicita, utique sufficit. Sufficit nempe intentio peragendi id quod facit vera Ecclesia, seu quæ pulatur ut talis: *Quomvis ille, qui non credit Baptismum esse Sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite*: verba sunt D. Thomæ². Ne-

¹ Sess. xiv, can. ix, *De Pœn.*

² In 4, d. 6, q. 1, a. 3, q. 3.

que requiritur, ut intelligatur Ecclesia ipsa romana; cum certum sit valere Baptisma etiam collatum ab hæreticis, qui Ecclesiam romanam non putant veram Ecclesiam: prævalet enim semper generalis intentio faciendi quod facit vera Ecclesia.

R. 4. Utrum autem intentio seria quidem, sed externa tantum sufficiat, est celebris controversia inducta, ut videtur, ab Ambrosio Catharino e Prædicatorum familia, qui Concilio Tridentino adfuit. Nempe docuit ad veram intentionem sufficere, ut minister serio (non per jocum aut irrisionem) debitam formam materiæ exterius applicet ut facit Ecclesia, volens videlicet celebrare ritum illum, quem ipsa Ecclesia celebrat: interius tamen non habeat intentionem faciendi illo ritu quod vult facere Ecclesia¹. Ex Tridentino enim (inquietabat) requiritur tantum intentio *faciendi quod facit Ecclesia*; non vero intentio faciendi id, quod intendit facere ipsa Ecclesia. Si secus esset, Ecclesia hæreticos ad finem redeuntes interrogaret non tantum de materia et forma, qua susceperunt Sacramenta; sed etiam de intentione ministri: hoc tamen non facit; cur? nisi quia ritum exteriorem satis putat.

Ultro nos concedimus, hanc doctrinam a Lutheri et Calvini doctrina differre; nam istorum error in eo erat, quod valeret Sacramentum etiam per jocum ministratum. Negari tamen non potest, ut observat Benedictus XIV², grave vulnus huic opinioni inflictum fuisse ab Alexandro XIII, dum damnavit hanc sub n. 28 propositionem: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit; Non intendo facere quod facit Ecclesia*. Notentur verba *intus in corde*; ergo videtur damnasse Pontifex opinionem, quæ non

¹ Imo illius assecla contendunt adhuc validum Sacramentum, licet minister contrariam intentionem gerat, qua nempe nolit actionem suam esse talem Sacramenti actionem, qualem instituit Christus et Ecclesia intendit: « La volonté contraire (apud Goussset), n'étant qu'intérieure, n'a pas plus d'effet que celle d'un homme qui, en donnant de l'argent aux pauvres, dirait dans son cœur: « Je ne veux pas faire l'aumône. »

² *De Syn.*, l. IV, c. iv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 25. — Perrone, *De Sac. in genere*, n. 5. — Porro, *Instit. Theol.*, *De re sacramentaria*; Casali, 1856, diss. 1, c. v, a. 4.

requirit intentionem faciendi quod vult facere Ecclesia. Adde: Eugenius IV et Concilia exigunt in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia; sed Ecclesia non simulat, sed interius intendit facere rem sacram. Adde: D. Thomas habet: *Si minister non intendat Sacramentum conferre* (explicite aut implicite), *non perficitur Sacramentum*¹. Hinc Benedictus XIV expresse declerat, contrariam opinionem multum habere difficultatis: et vult, ut Sacramenta characteristicam sic administrata iterentur sub conditione, si periculum sit in mora; secus Sedis apostolicæ oraculum exquiratur² (C).

488. Q. 4. *An ad validam Sacramentorum administrationem requiratur in ministro vitæ probitas?*

R. De fide est, quod ad validam Sacramenti confectionem non requiritur in ministro probitas vitæ: est contra Donatistas, qui sæculo IV Ecclesiam diro schismate lacerarunt. Hi docuerunt Sacramenta a peccatoribus, saltem manifestis, collata irrita esse: errorem pluribus confutavit Augustinus, proscripsit autem romanum Concilium sub Melchiade papa, ac denuo Concilium Arelatense. Eumque postea per Waldenses, Albigenses, Wichlephitas et Hussitas renovatum iterum damnavit Concilium Constantiense. Et Nicolaus I ad Consulta Burgarorum ait: *Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, Sacramenta divina polluere;... mali bona ministrando se tantummodo lædunt; et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat.* Tandem contra protestantes omnes Tridentinum definit: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit*³.

Chrysostomus aiebat: *Nihil læditur gratia Baptismi per vitam Sacerdotis*⁴. Et Augustinus ministros comparat modo cum agricola, qui solo mandat semina; modo cum canali, quo devenitur aqua: at agricola licet impius semini non nocet; item canalis sive lapideus, sive alterius materiæ, fœ-

¹ Opusc. viii. — ² Instruzione, 28 febbraio 1747.

³ Sess. vii, c. xii; it. sess. xiv, can. x. — ⁴ Hom. viii in 1 ad Cor.

cundas aquas semper vehit⁴. Sane Sacramenta cum gratiam producant ex opere operato, dispositionibus ministri non subduntur; ministri enim Ecclesiæ, ut habet Angelicus⁵, instrumentaliter operantur in Sacramentis; instrumentum autem non agit secundum propriam virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur, qui est Christus. Si secus esset, fideles anxii essent continuo, internam ministri dispositionem non agnoscentes: *Quomodo, iterum Augustinus, securi erunt, si conscientia dantis attendatur, quod latet oculos accepturi*⁶?

489. Neque opponas, *quod arbor mala nequit bonos fructus facere*⁴. Id utique verum est, quando arbor mala, id est impius propria virtute agit; at Sacramentorum minister non agit propria, sed divina Christi virtute. Ideo non repugnat ut qui gratiam non habet, gratiam tribuat; dat enim virtute aliena: sic famulus licet nec obolum habeat, multis sæpe aureis sua opera a domino missis alium ditat. — Ita etiam victimæ impiorum dicuntur *abominabiles*⁵; verum id non est ex parte rei oblatae, sed ex prava offerentium dispositione. — Quod si aliquando Sacramentum ab impio collatum suo frustretur effectu, id non erit, quia impius minister, sed quia susceptor scienter de improbitate ministri participat: quo sane sensu aiebat D. Ambrosius: *Non sanat Baptisma perfidorum, non mundat; sed polluit*⁶.

490. Q. 5. *An ad validitatem Sacramenti requiratur in ministro fides?*

R. Negative, ideoque valida sunt Sacramenta rite ab hæreticis collata: imo hoc de fide est quoad Baptismum sic a Tridentino definitum: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma, anathema sit*¹. Tridentino præiverat generale Florentinum in decreto unionis: *In causa necessitatis, habet, non solum sacerdos et diaconus, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam Ecclesiæ servet, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Florentino

¹ L. III, *Contra Crescon.*, c. viii; tract. V, *In Joann.*; et *De unit. Eccles.*

² 5 p., q. 64, a. 5.

³ L. I, *Contra litteras Petiliani*, n. 4; it. V, Angelicus, *Contra gentes*, c. lxxxvii, l. IV.

⁴ Matth. vii. — ⁵ Prov. xv. — ⁶ *De mysteriis*, c. iv.

⁷ Sess. vii, can. iv.

præiverat Constantinopolitanum I, generale secundum, quod canone 7 decernit, non esse rebaptizandos arianos, macedonianos, novatianos, etc.; bene vero eunomianos, montanistas seu phryges, et sabellianos; quia nempe priores ritum essentialem sacramenti servabant, posteriores vero formam corrumpabant. Et hac ipsa de causa nonnulli Patres hæreticorum baptismum invalidum habebant, quia nempe baptismi substantialia adulterabant.

Hæc veritas (quæ firmatur perpetua Ecclesiæ consuetudine, ipsis fatentibus adversariis¹), est contra Episcopum Agrippinum, qui sæculo circiter III primus omnium mortalium (prout ait Vincentius Lirinensis) contra divinum canonem, contra universalem Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem et instituta majorum (ab hæretico baptizatum) rebaptizandum esse docuit². Acrius hoc ipsum defendit S. Cyprianus illius in Episcopatu successor contra S. Stephanum pontificem³. Quod demum renovarunt Donatistæ ab Augustino profligati.

Diximus quoad Baptismum; nam quoad alia Sacramenta (si Pœnitentiam excipias), non est quidem expresse definitum, quod fides in ministro ad valide ea conficienda non requiratur; sed est fidei proximum ob intimam analogiam. Virtus enim Sacramenti agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum uti per instrumentum illa conficit: porro effectus alicujus rei sequitur conditionem causæ principalis, non instrumentalis. Hinc Nazianzenus: *Non refert, an minister nobis per Sacramenta applicans merita Christi, sit fidelis vel infidelis*⁴. — Pœnitentiam tamen excipimus: nam hæretici

¹ V. Apud Knoll, *De Sacramentis, etc.*, vol. V.

² In *Common.*, c. IX. — V. *Il trionfo della santa Sede*, Opera di Gregorio XVI. — *Storia della Chiesa sino al pontificato di Gregorio XVI*, p. 88. Torino, 1845. — Marchetti, *Esercitazioni Cipriamiche circa il battesimo degli eretici e scismatici*. Roma, 1795. — Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Église*, l. XXIX.

³ Ad Cyprianum quoad spectat, alii censent errorem suum retractasse; alii *falce martyrii* suam inobedientiam Pontificio præcepto purgasse, quod quidem disciplinare tantummodo putavit.

⁴ *Orat.* iv in S. Baptism. — V. Klee, *Histoire des dogmes*, vol. II, c. vi.

publici et vitandi eam invalide administrant extra mortis articulum, defectu nempe jurisdictionis.

Neque est inconveniens, quod hæretici, qui sunt ab Ecclesia alieni, baptizando gignant veros Dei filios; nam non gignant quatenus ab Ecclesia alieni, sed prout veræ Ecclesiæ instrumenta adhibent, quæ quidem apud illos non minoris sunt efficaciam, quam in ipsa Ecclesia, si omnia a Christo statuta præsent. — Quod si nihil talis Baptismus eis inseruiat, ideo est quia ad salutem non sufficit *unum Baptisma*, sed insuper requiritur ex Apostolo *una fides*¹, quam quidem hæretici non habent; cum diversa credant et oppugnantia, quæ stare non possunt cum fide catholica, quæ eadem est apud omnes.

Art. II. — De valida et licita Sacramenti confectione.

491. Q. 1. *Quid requiritur ad licitam Sacramenti confectionem?*

R. Ad licitam Sacramenti confectionem præter ea, quæ necessaria sunt ad validam, requiritur: 1. ut minister ritus omnes et cæremonias præscriptas servet, etsi non substantiales; cum sint totidem actiones religiosæ in reverentiam Sacramentorum et fidelium devotionem inductæ, quæ ideo ex Tridentino sine peccato non possunt omitti². 2. ut sit in statu gratiæ, tum quia ipse debet in hoc conformare se Christo, cujus ministerio perfungitur: tum quia ad hoc peculiariter ordinatur et gratia peculiari munitur, ut rite et sancte Sacramenta conficiat. Unde Augustinus ait: *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, possunt tamen per eos digne sumentibus*³. Iterum habet: *Videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur*⁴.

Quod valeat etiam de fide; cum sine fide impossibile sit placere Deo. Hinc S. Carolus in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* graviter hortatur: *Sacerdos ad Sacramenta ministranda vocatus, primum sollicitè et intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis sibi sit conscius. Quod si reum se esse*

¹ Eph. iv. — ² Sess. vii, can. xiii. *Vide dicenda de cæremoniis.*

³ *Contra Epist. Parmeniani.*

⁴ In Ps. ciii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 51.

novit, prius sacramentali Confessione se expiare studebit : contritionem certe habere quam diligentissime curet.

Certum est autem ministrum Sacramenti, si agatur de consecrato et conficiat solemniter in peccato mortali, mortaliter peccare. Audiatur Angelicus : *Conveniens est ut Sacramentorum ministri sint justii ; quia ministri debent Domino conformari secundum illud Levitici 19 : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum ; et Ecclesiastici x : Secundum iudicem populi, sic et ministri ejus. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesie in dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta, secundum seipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale¹. Et Rituale Romanum ait : *Impure et indigne (Sacramenta) ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt.**

Diximus : *Si agatur de ministro consecrato et solemniter ministrante.* Nam collatio tum privata Baptismi ob necessitatem facta sive a laico sive a Sacerdote ; tum matrimonii in sententia tenente sponsos esse ministros, venialis tantum putatur a Suarez, aliisque cum ipso Angelico : quia sic conferens non exhiberet se ministrum Ecclesie². Hoc est quidem probabile ; attamen spectata ratione, videtur probabilius cum Collet ac Lugo, hos quoque mortaliter peccare ; semper enim ratio clamat, *sancta sancte esse tractanda.* Et licet isti tunc non sint Ecclesie ministri, sunt tamen ministri Christi, cujus personam semper repraesentant : unde gravem tum Christo, tum Sacramento injuriam irrogant. Hinc probabilius peccant graviter et laicus et Sacerdos ministrantes non solemniter Baptismum in necessitate, si ministrent in mortali ; nisi periculum sit in mora ut si infans jamjam sit decessurus et baptizans non advertat in ea confusione ad se contendum ; non enim habetur ratio accidentis. Item peccant graviter contrahentes matrimonium in mortali, non solum quia Sacramentum suscipiunt, sed etiam quia illud confi-

¹ 5 p., q. 64, a. 6. — ² L. cit. ad 5.

ciunt : quod locum habet, etsi illud contrahant per procuratorem.

492. Quod dicitur de Sacramenti confectione, idem currit de illius distributione ; cum eadem fere sit ratio irreverentiae. Hinc nos censemus, Sacerdotes et ipsos Diaconos graviter delinquere, si in mortali distribuunt Corpus Christi ; maxime cum sint ad hoc specialiter deputati primi ex officio, alii ex commissione. Hinc in ipso Veteri foedere habetur : *Mundamini qui fertis vasa Domini*¹. Et in novo Apostolus docet : *Dispensatorem Dei oportere esse sine crimine ; et Diaconos ministrare nullum crimen habentes*². — Ex quibus omnibus inferitur, omni temporis momento debere obstetrices in gratia vivere ; cum ex earum munere omni momento vocari possint ad levandas mulieres ac infantes baptizandos. Quod magis dicendum de Sacerdotibus ad ampla nosocomia, ad monasteria vel communitates deputatis. Et fortius de Parochis, quibus obligatio continuo urget Sacramenta ministrandi.

493. *An (quaeres) minister sibi conscius mortalis teneatur confiteri antequam Sacramenta conferat ; an vero sufficiat conteri ?* R. Si agatur de Eucharistia, certum est et conficientem et suscipientem teneri sub gravi ex Tridentino Confessionem praemittere et absolutionem curare³. Quoad alia vero Sacramenta idem affirmant Concina, Collet, Merbesius ex Catechismo R. ; siquidem semper eadem militat ratio irreverentiae : certitudo autem status gratiae per contritionem perfectam difficile habetur, cum ea non facile eliciatur.

Longe tamen plures (prout ait Antoine) id negant, et quidem probabilius ; tum quia tale praecipuum nulla lege statuitur, et Tridentinum illud non imposuit, nisi casu quo agatur de Eucharistia ; tum quia Rituale R. sic habet : *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat ; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Verbum convenit

¹ Is. LI. — ² I Tim. III ; et Tit. I.

³ V. De Eucharistia, ubi de dispositionibus. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 34.

satis declarat Confessionem esse tantum de majori convenientia : quo sensu explicant Catechismum romanum. Quod etiam currit de ipsius Eucharistiæ distributione : unde aiant sufficere in ministro moralem ad se justificandum diligentiam per contritionem, nec requiri summam per Confessionem et absolutionem. Ita Billuart, Cabassutius, Gousset, Croix, Elbel, Layman, Roncaglia, Patuzzi, Sporer, Suarez, Viva, etc.

494. Q. 2. *An teneatur Sacerdos Sacramenta ministrare?*

NOTA: Hæc quæstio maxime instituitur de Baptismo et Extrema Unctione, et præcipue de Pœnitentia et Eucharistia; cum hæc plus minusve necessaria esse possint. Quoad cetera erit suis locis. Hoc posito:

R. Si agitur de Pastoribus animarum, vel de iis quibus specialiter id oneris impositum est, certum est eos ratione muneris et stipendii teneri ex justitia Sacramenta ministrare subditis etiam cum periculo vitæ in gravi, ac multo magis extrema eorum necessitate. Item commune est, eos teneri ex justitia Sacramenta ministrare subditis rationabiliter postulantis, etiam extra casum necessitatis; cum pro subditis constituti sint in iis, quæ sunt ad Deum¹: unde vix possunt excusari a peccato mortali, nisi forte tantum semel aut iterum defuerint. Parochum monet S. Carolus: *Quicumque diei vel noctis hora ad Sacramenta infirmis ministranda Parochus vocabitur, nullam moram interponat. Imo populum præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis neque loci distantis ratione*².

Audiat cardinalis Archiepiscopus Gousset: « Un curé, et même un vicaire, ne doit pas oublier qu'il répondra devant Dieu des âmes qui lui sont confiées. Il mettra donc la plus grande diligence afin que ses paroissiens s'approchent des sacrements le plus fréquemment qu'il est possible; la fréquentation des sacrements est le moyen le plus efficace pour conserver la crainte de Dieu, la piété et la foi chez les chrétiens. Il veillera en particulier à ce qu'ils les reçoivent dans leur maladie. Il exhortera les peuples dont il est chargé à recourir à son

¹ Hebræor. viii. — ² In suis *Instructionibus*.

ministère en les avertissant qu'ils ne peuvent l'affliger davantage qu'en se conduisant de manière à ne pas penser à leurs intérêts spirituels. » Pastoribus vero aliisque Vicariis deficientibus, ceteri ministri generatim loquendo (etiam laicus, ubi agatur de Baptismo) tenentur ea ministrare ex charitate: etiam cum periculo vitæ in extrema alicujus vel gravi communitatis necessitate. In gravi autem alicujus necessitate tenentur tantum cum incommodo levi; sic namque ordo charitatis postulat¹.

495. Q. 3. *An aliquando liceat ministro simulare, vel dissimulare Sacramentorum confectionem?*

R. *Simulatio* est positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud quod habetur in mente; *dissimulatio* autem est omissio signi, ut inde aliquid menti contrarium significetur. Unde simulatio in Sacramentis habetur quando a ministro ita ponitur actio sacramentalis, ut exterius non appareat illius fictio seu defectus, ob quem Sacramentum redditur nullum, uti, v. g., si quis exterius serio ponat materiam, et formam proferat; sed habens intentionem non faciendi quod facit Ecclesia, seu Sacramentum. Habetur vero dissimulatio quando hæc fictio seu defectus satis apparet exterior, et ideo potest agnosci, uti, v. g., si non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a Sacramento. — Tam simulatio quam dissimulatio duplex est: *formalis*, si directe alterius deceptio intendatur, et hæc illicita semper, cum sit mendacium; *materialis*, si nempe alterius deceptio solum permittatur: de qua nunc queritur. Hoc posito:

Dicimus¹: nunquam licet simulare Sacramentorum administrationem (idem dic de susceptione); quia esset mendacium in re gravissima, et gravis Dei illusio. Et Innocentius XI damnavit hanc sub n. 29 propositionem: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Hinc in nullo casu licet proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum; vel hostiam non consecratam pro consecrata præbere; vel celebrare missam non proferendo verba consecrationis. Esset etiam causa idololatriæ, quæ utique est materialis in po-

¹ Vid. *De Obligat. Presbyt. simplicium, ac de Parochis*; t. I. Item Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 24; et *Praxis Confessarii*.

pulo qui fictionem ignorat; non tamen in ipso qui scienter tribuit occasionem hostiam non consecratam adorandi.

Dicimus 2. dissimulatio, secluso scandalo et contemptu, cum causa licita est; nam neque fit injuria Sacramento, cum illud non frustretur; neque mendacium committitur, cum non intendatur directa proximi deceptio: sed simpliciter veritas occultetur, quod quidem justa accedente causa omnes cum D. Thoma permittunt. Hinc licet Confessario super indispositum recitare orationem cum signo crucis loco absolutionis ne adstantes cognoscant ipsum dimitti inabsolutum. Item licet, si pœnitens minetur mortem ob negatam absolutionem, recitare super illum aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem pœnitentis; sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis pœnitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis¹.

496. Q. 4. *An liceat Sacramenta petere, aut suscipere ab indigno?*

Præmitto ministrum semper supponi dignum, nisi aperte præsumendum sit oppositum; nam *charitas non cogitat malum*². Hoc posito:

R. 1: A ministro indigno ob peccatum mortale, nisi gravis adsit causa, nefas est petere aut recipere Sacramenta, tum ob reverentiam ipsis debitam: tum ob charitatem quæ postulat, ne *ponamus offendiculum fratri vel scandalum*³. Diximus *nisi gravis adsit causa*; nam in omnium sensu fas est, causa interveniente, ab alio petere rem bonam, licet ex pravitare sua eam cum peccato sit præstiturus. Esset, v. g., si urgeat præceptum Confessionis vel Communionis vel Missæ audiendæ; si ex dilatione Confessionis sit periculum relapsus, vel manendi, licet ad horam, in mortali. Ubi notamus mino-

¹ Item dicunt communiter quod non est illicitum, si quis matrimonium contrahit vel ex gravi metu, vel cum scientia impedimenti dirimentis, urgente gravi necessitate; nam tunc cum desit verus contractus, desit et materia et forma Sacramenti, ideo proprie non simulatur Sacramentum, cum non ponendo contractum, nec actio sacramentalis ponatur. Sed, ut patet, tunc matrimonium non subsistit; ideo sponsi non possunt se haberi uti conjuges. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 59 et 659.

² 1 Cor. XIII. — ³ Rom. III. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 88.

rem causam requiri, ut petatur Sacramentum ab eo, qui tenetur illud ministrare ex justitia, quam ab eo, qui illud debet tantum ex charitate: item minorem pro ministro jam parato ad ministrandum, quam pro imparato: item longe minorem pro peccatore occulto, quam pro publico ratione scandali.

R. 2: A ministro indigno ob aliquam tantum censuram aut inhabilitatem canonicam, utrum liceat petere aut recipere Sacramenta, videndum est, an ipse sit vitandus, vel non vitandus. — Si 1, non licet ob gravem Ecclesiæ prohibitionem. Excipe tamen casum gravissimi momenti: ita certe licet petere Baptismum et Pœnitentiam, cum sint tantæ necessitatis: idem docent de Extrema Unctione, si infirmus aliter juvari non possit; de Ordine, si communitas egeat Sacerdotibus; de Matrimonio, si fama contracturi vel prolis bonum postulet. — Si 2, Sacramenta accipere et petere licet juxta veriore sententiam; Concilium enim Constantiense indistincte concessit fidelibus cum toleratis communicationem. Neque probabilius ad talem communicationem requiritur causa; ratio quia quando excommunicatus toleratus rogatur communicat Sacramenta ministrando, nec ipse tunc peccat (si jam aliunde non existat in mortali): nam si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a Concilio; dum eis saltem indirecte, ratione charitatis, semper prohiberetur talis communicatio¹ (D).

497. Q. 5. *Quid Synodus Novariensis de Sacramentorum administratione?*

R. Præter communes conditiones hæc præcipue præ oculis habendæ ex Synodo Novariensi: — 1. ut sacer minister indumentis opportunis (exclusa necessitate) semper utatur, nempe veste talari, superpelliceo et stola; ac omnia graviter perficiat. Item vasa et instrumenta ad talem administrationem curet, ut sint munda, neque omnibus obvia; — 2. ut non administret extra Ecclesiam, neque in aliena Parœcia sine Parochi consensu; atque semper Rituale R. (quod in qualibet Parœcia retinendum) adamussim consulat; neque memoriæ nimis fidat in recitandis precibus; — 3. ne quid a suscipiente accipiat, nisi quod sponte,

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 159. — Et dicta de Censuris.

lege vel laudabili consuetudine præstari solet¹; — 4. ut Parochi populo Sacramentorum institutionem, dignitatem, vim, usum, necessitatem et mysticam rituum significationem exponant; ac dispositiones ad eorum susceptionem (pag. 75).

SCHOLIUM. — *De probitate ministri quoad alias functiones sacras.*

498. Q. 1. *An sit mortale functiones sacras in mortali exercere?*

R. An sit mortale functiones sacras, quæ non sunt confectiones neque administrationes Sacramentorum, in mortali exercere, alii affirmant cum S. Thoma, qui ait: *Quicumque cum peccato mortali aliquod sacram officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat*². Alii communius et satis probabiliter negant cum Suarez; nam istæ functiones, cum non sint proxime ordinatæ ad sanctificationem, non videntur exigere sub gravi exercitium sanctitatem. Adde, cum certo non constet de gravi præcepto, non est facile imponendum. Ex quibus deducitur:

1. Probabiliter non peccat mortaliter Subdiaconus ministrans sollempniter in mortali. Imo neque Diaconus; licet enim Diaconatus sit Sacramentum, non tamen Diaconus ministrans facit Sacramentum: quod autem Apostolus Diaconos velit *sine crimine esse*, ideo est, quia tunc temporis ipsis incumberebat Eucharistiam ministrare. Tanto minus ergo mortaliter peccat Clericus minores Ordines in mortali exercens.

2. Probabiliter non peccat mortaliter Episcopus in mortali conficiens Chrisma vel Oleum sanctum. Quamvis enim hæc benedictio sit necessaria ad Sacramentum; non tamen benedicens Sacramentum conficit; neque proxime ad illud concurrat.

3. Communissime ac probabilius nec peccat mortaliter Episcopus vel Sacerdos, qui in mortali dedicat templum, benedicit vestes, assistit matrimonio (in nostra sententia, in qua illius ministri sunt contrahentes, non Sacerdos), vel conficit aquam lustralem, exorcizat, etc., quia non facit Sacramentum³.

¹ Taxæ pro functionibus præstabilitæ, inconsulto Episcopo, non immutentur, ne fiat locus iurgii in futurum, dissensionibus ac scandalis.

² In 4, d. 24, q. 1, a. 3, q. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 37 et seqq.

³ Idem non improbabiler aiunt de eo, qui Eucharistiam tangit vel processionibus eam gestando vel ea populo benedicendo. Id tamen alii valde probabiliter docent esse mortale ob maximam, quæ tanto Sacramento debe-

499. Q. 2. *An qui concionatur in mortali peccet mortaliter?*

R. Distinguendo: vel concionator est publicus peccator, vel occultus:

Si 1, non excusatur a mortali: quia doctrinæ finem impedit, facit ut contemnatur prædicatio, ac scandalum præbet. Unde ait Apostolus: *Qui alios doces, te ipsum non doces*¹? Hoc tamen testimonium intelligunt de illo concionatore, qui increpat vitium, de quo ipse est publice diffamatus. — Si 2, probabilius et communius concionator non peccat, nisi venialiter ob aliquam tantum irreverentiam; tum quia nulla est lex graviter obligans; tum quia doctrinæ scopus non impeditur, cum sit crimen occultum; tum quia prædicatio non est exercitium Ordinis, sed officii Ordini adnexi. Ita Gonet, Lugo, Salmanticenses, Suarez, Vasquez, etc.

CAPUT QUARTUM

DE SACRAMENTORUM SUBJECTO

500. Solus homo viator est subjectum Sacramentorum; cum in eo solum omnis vera iustitia vel incipere vel cæpta augeri possit vel amissa reparari. Sacramenta autem ad hæc producenda instituta sunt².

501. Q. 1. *Quidnam requiritur in subjecto, ut valide Sacramenta suscipiat?*

R. 1. Baptisma omnino prærequiritur in subjecto ad valorem aliorum Sacramentorum, quæ pro solis Ecclesiæ membris sunt instituta: et per Baptisma solum de ipsius Ecclesiæ, Christique corpora homines efficiuntur. Hinc infidelium matrimonium, etsi fieret juxta ritum Ecclesiæ, semper esset merus contractus: hinc etiamsi Judæo Eucharistia ministraretur, ipse reciperet quidem Corpus Christi; sed materialiter tantum, sicut in pyxide recipitur.

tur, reverentiam. Billuart distinguit, dicens peccare graviter tangentes immediate Eucharistiam in mortali, non vero tangentes mediate, puta in Ostensorio; cum gradus valde diversus irreverentiæ sit in uno casu, quam in alio.

¹ Rom. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 41.

² Tridentinum, sess. VII, *Decr. de Sacr.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 78.

R. 2. In infantibus, et amentibus a nativitate ad valide suscipienda Sacramenta quorum sunt capaces, nimirum Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur dispositio; quia nullam habere possunt. Pro his supplet Christi et Ecclesiae intentio.

R. 3. In adultis ad validam uniuscujusque Sacramenti susceptionem requiritur intentio. Hinc S. Thomas de suscipiente Baptisma ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*¹. Id statuit Concilium Carthaginense IV², Arausicanum I³, Aurelianense III⁴, et Innocentius III⁵: quod etiam perpetua Ecclesiae praxis firmat. Et congruenter; neque enim nisi vere volenti, cum potest velle, gratia tribuenda est: *Sicut ad hoc*, inquit Angelicus, *quod homo moriatur veteri vitae, requiritur... in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua cum veteris vitae poeniteat; ita requiritur... voluntas qua intendat vitae novitatem*⁶. Excipe tamen Eucharistiam, quae cum jam Sacramentum sit, a suscipientis voluntate non pendet.

502. *Sed quænam intentio (quæres) requiritur in adultis?*

Dicimus: 1. Ad Pœnitentiam et Matrimonium suscipiendum requiritur intentio virtualis. *Ad Pœnitentiam*; quia in hac pro materia requiruntur actus poenitentis ipsius, qui haberi non possunt sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum. Si tamen agatur de moribundo sensibus destituito, sub conditione absolvendus est, etsi nulla colligi possit intentio; supponitur enim: aliunde ipse adjuvandus est meliori, quo potest modo. *Ad Matrimonium*; tum quia ad

¹ 5 p., q. 68, a. 7. — ² Can. xxxiv. — ³ Can. xii. — ⁴ Can. vii.

⁵ Cap. *Majores* de Bapt. Hæc autem intentio habetur, cum quis vult suscipere quod eo ritu Ecclesia præstat. Ex quo patet non sufficere intentionem neutralem, illius nempe, qui nec dissentit nec consentit; quia veram ac positivam de qua loquimur, intentionem non haberet. Certum est etiam intentionem internam esse debere. Hinc Angelicus ait in Suppl. 5 p., q. 45, a. 4: *Si aliquis abluitionem exteriorem reciperet non intendens Sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus*. At sufficit intentio implicita et inadæquata, ut diximus de ministro: nempe ut quis sincere id velit suscipere quod eo ritu præstat Ecclesia, licet illud inane credat. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 80.

⁶ 5 p., q. 68, a. 7.

contractum requiritur consensus saltem virtualis; tum quia uterque conjux in nostra sententia non solum sit subjectum, sed etiam minister, certe requiritur in ipsis intentio illa, quæ requiritur in ministris aliorum Sacramentorum.

Dicimus: 2. In ceteris Sacramentis sufficit intentio habitualis; in his enim ad valorem non requiritur, ut suscipiens modo humano agat; sed sufficit ut sit subjectum capax, qualis revera est, si jam prius habuerit, nec retractaverit intentionem Sacramenti suscipiendi. Id tenet universalis Ecclesiae praxis: id expresse docet Benedictus XIV Instructione *Postremo* 28 feb. 1747. Hinc si constet, dormientes, ebrios, et lapsos in amentiam prius habuisse intentionem Sacramentum suscipiendi, communissime et probabilius affirmant, iis valide Sacramenta administrari. Attamen illicitum est Sacramenta hisce conferre (nisi sint in probabili mortis periculo, vel nisi impedimentum censeatur perpetuo duraturum); id enim postulat Sacramenti reverentia.

503. *Quid (quæres) de intentione generali seu interpretativa, quæ nempe non fuit quidem habita; sed habenda præsumitur in subjecto, si suæ non esset incapax rationis?* Ea intentio certe sufficit in Extrema Unctione, uti patet ex Rituali: item in Confirmatione et in Eucharistia, uti docent plurimi cum Lugo, Croix, Sporer, Concina, Suarez, etc. Nam voluntas semper ac certe supponitur adesse ea suscipiendi Sacramenta, quæ Christianis communiter dari solent, tanquam remedia communia, nec specialem suscipientis concursus requirunt, ut sunt tria prædicta. Sed certe non sufficit sola voluntas interpretativa in Pœnitentia, in qua requiruntur actus poenitentis. Neque verius in Matrimonio, quod requirit contrahentium consensum. Item neque in Baptismo et Ordine; quia sine ipsius voluntate nemini adultorum imponi debet obligatio perpetua legum Ecclesiae atque status Clericalis¹.

Dices: *Ad Sacramenta nulla voluntas requiritur, dicente Augustino*: « Intra quisquam potest Ecclesiam nolens; accipere Sacramentum potest nolens; credere autem non potest nisi volens². » — R. Per sacramentum quod aliquis nolens accipere potest S. Doctor

¹ Quod si qui inviti narrantur ordinati, illi humilitate prius reluctantes, postea divinæ vocationi trementes præbuere assensum, ut narrat genuina historia. — V. Billuart, *Tournely*, etc.

² Tract. XXVI, *In Joannem*.

intelligit Eucharistiam quæ cum habeat esse permanens, potest a nesciente vel invito (quamquam sine fructu) percipi. Quod si velimus de baptismo verba intelligere, dicendum Augustinum ad infantes alludere, qui sine proprio consensu baptizantur, et Ecclesiam intrant; aut ad adultos, non quidem plene et simpliciter, sed secundum quid tantummodo invitos.

504. Q. 2. An ad validitatem Sacramentorum præter intentionem in suscipiente requiratur etiam attentio; itemque fides et probitas?

R. Attentio non requiritur; quia actus humanus non procedit ab attentione, sed a voluntate, sive intentione. Hinc frustra scrupulis agitantur aliquando pœnitentes eo quod distractiones passi fuerint tempore, quo solvebantur; vel absoluti fuerint, quin ad id animadverterint.

Item neque requiritur fides aut probitas: patet 1. ex Augustino, qui ait: *Hoc quidem plurimum interesse ad salutis viam, sed non ad Sacramenti quæstionem*¹; 2. ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper prohibuit hæreticos conversos rebaptizare; 3. ex ratione; nam Sacramentum non perficitur hominis iustitia, sed Dei virtute. Excipe Pœnitentiam; cum actus pœnitentis sint illius materia, et inter materiam sit etiam contritio; contritio autem vera esse nequit sine fide et pietate.

505. Q. 3. Quænam sunt conditiones in subjecto, ut non solum valide sed etiam licite et utiliter Sacramenta suscipere possit?

R. In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, ut Sacramenta utiliter suscipiant, cum sint nullius capaces. Quoad adultos vero præmittimus, Sacramenta alia dici *mortuorum*, quæ hominibus divinæ gratiæ mortuis conferuntur, et sunt Baptismus et Pœnitentia; alia *vivorum*, quæ hominibus jam gratiam habentibus ad eandem augendam tribuantur, et sunt cetera omnia. Hoc posito:

Dicimus 1: ad recipienda *Sacramenta mortuorum* requiritur in adultis dispositio fidei, spei et doloris de peccatis: fidei, quæ est ex Tridentino *fundamentum et radix omnis*

¹ De Bapt., c. xiv

*justificationis*¹; spei, qui enim non sperat, non accipiet aliquid a Domino², doloris de peccatis, quia sine pœnitentia non fit remissio. Hoc tamen intellige quod baptizandum de actualibus, si quæ habeat: non autem de peccato originali; quia facti alieni neminem pœnitet³.

Dicimus 2: ad utiliter suscipienda *Sacramenta vivorum*, requiritur in adultis status gratiæ præexistens; quia ipsa ad gratiæ augmentum instituta sunt, atque non nisi per accidens aliquando conferunt primam gratiam. Hinc deducitur, graviter peccare qui ea in mortali susciperet: imo gravius eo, qui vel conficeret vel ministraret; quia non solum illa indigne tractaret; sed et inanem redderet eorum significationem et gratiæ obicem poneret, sicque gravissime Christo illuderet⁴.

506. Sed (quæres) an aliquando licitum sit in mortali suscipere Sacramenta vivorum, si casus extemplo contingat, ut si, v. g., jamjam sit Hostia ab hæretico profananda? — R. Alii negant, quia ex una parte illico contritionem elicere quis potest, si ad Deum recurrat; ex alia nulla est impurius cloaca immundo corde. Sed communius affirmant cum Croix et Lugo: idque pro rarissimo casu non videtur improbabile, si subito irruat hostis; nam difficillimum est contritionem extemplo elicere. Et tunc in mortali existens reflexe non intendit sumere Eucharistiam uti Sacramentum, sed vult illam abscondere in corpore suo sicut in pariete ad majorem cavendam injuriam. Idem dicunt de laico accumbente in scanno communicantium, qui mortalis recorderetur et subito conteri nequeat. Hi tamen susciperent Sacramentum sine fructu.

507. Q. 4. An Sacramenta sint indignis deneganda?

R. Fatentur omnes graviter peccare ministrum, qui Sacramenta daret indignis (excipe, si indignitas ex Confessione nota sit, ob inviolabile sigillum); quia et malæ eorum susceptioni cooperaretur et se infidelem exhiberet dispensatorem.

¹ Sess. vi, c. viii. — ² Ep. Jacobi.

³ Non tamen requiritur gratia; quia secus requireretur pro dispositione id, ad quod producendum ea Sacramenta sunt instituta.

⁴ An qui sibi conscius est mortalis, teneatur sub gravi etiam Confessionem præmittere, ut licite vivorum Sacramenta suscipiat, affirmant loquendo de Eucharistia ex Tridentino; de ceteris communius et probabilius negant. — V. supra., n. 495.

Hinc Christus: *Nolite Sanctum dare canibus*¹: ubi canum nomine ex SS. Patribus veniunt peccatores. Unde non est dubium, quod Sacramenta indignis deneganda sint, si occulte petant; quod evenit, quando reperiuntur soli cum ministro, vel aliis paucis nullius fere momenti, ut sunt pueri et similes.

Verum ut licite Sacramenta denegari possint ac debeant, generatim loquendo de petentis indignitate constare debet, adeo ut ejus delictum ex Angelico nulla possit tergiversatione celari; quia nemo præsumentus malus, nisi probetur: et fideles ad Sacramenta jus habent, ac ministri ea dispensandi debitum. Hoc tenet etiam in dubio de indignitate; quia possidet petentis dignitas: secus in dubio de pœnitentia criminis certi; tunc possidet crimen, nisi adsint alia adjuncta.

Diximus generatim loquendo; quia ministri in Sacramentis quibusdam constituuntur etiam quasi judices: et ideo debent inquirere in ea, ac de suscipientium dignitate prudens iudicium sibi comparare. Sic in Baptismo cum agitur de adultis, debent inquirere de consensu et dispositionibus. In Pœnitentia de pœnitentis actibus, qui illius materiam constituunt. In Ordine de ordinandorum scientia et probitate. In Matrimonio de impedimentis, si quæ adsint.

508. *Quid (quæres) si indignus Sacramenta publice petat?*

R. Vel publice petentis indignitas publica est jure, facto aut fama; vel est occulta.

Si 1, docent communiter cum S. Thoma, Sacramenta esse illi deneganda et tenere præceptum illud: *Nolite Sanctum dare canibus*². Quod confirmatur tum ex Bulla Benedicti XIV

¹ Matth. vii. — V. Liguori. *Op. Mor.*, l. VI, n. 45.

² 5 p., q. 88, a. 0. Id fiat tamen prudenter; ad rem Gousset: « Lorsqu'on ne croit pas pouvoir l'admettre (la personne), on doit l'éloigner, ou plutôt s'éloigner sans bruit, sans cris, sans se permettre une observation; si la personne fait des instances, on lui répondra qu'avec grande peine il n'est pas possible de lui accorder le sacrement qu'elle demande. Si une personne notoirement indigne de la communion se présente à la sainte table, on passera outre sans la communier; si elle est seule, on restera à l'autel, et on lui fera dire qu'elle peut se retirer; on ne dira pas pourquoi on ne la communique pas. Quel que soit le résultat de ce refus, le curé s'abstiendra de

Ex omnibus; tum auctoritate Ritualis R. quod publice indignos præcipit arcendos, ut sunt notorie excommunicati, interdicti, manifestique infames, meretrices, concubinarij, sortilegi (item et personæ civiliter tantum nuptæ), fœneratores, blasphemij et similes; nisi de eorum emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. *Animam potius tradam meam*, aiebat D. Chrysostomus de distributione Eucharistiæ, *quam Dominicum alicui Corpus indigne concedam*. Et sacerdotes monet: *Non parva vobis imminet ultio, si quemquam (illius culpæ consciū) hujus mensæ participem esse concedatis; sanguis ejus de manibus vestris exquiretur; sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indigne autem accedat, prohibe; majorem illo potestatem habes*¹.

Verum excipe: 1. Pœnitentiam, quæ cum pro peccatoribus quibuscumque sit instituta, nemini sincere pœnitenti est deneganda, nisi sit specialiter prohibita, v. g., ob censuras reservatas; vel quia debet prius satisfacere, aut cautionem satisfaciendi præbere²; 2. justa et gravi interveniente causa, etiam Matrimonium: sic aliquando Ecclesia permittit cum hæretico contrahere; 3. casum mortis, ut cum peccator sensibus destitutus in eo puncto collocatus est; tunc enim præsumitur, ut quantum in se est se ipsum pœniteat; ideoque gratia Sacramentorum adjuvandus, ne forsitan pereat qui per Sacramenta salvari potest.

Si 2, non possunt indignis Sacramenta denegari. Ita omnes cum S. Thoma, qui ex Eugenio papa id confirmat exemplo Christi, qui Judam non repulit a communione³. Sane peccator occultus habet jus ne publice infametur; at infamaretur, si palam repelleretur a sacra mensa. Adde si secus esset, plura inconvenientia evenirent; nam etiam boni retraherentur timentes, ne odio vel imprudentia Sacerdotis rejiciantur:

faire connaître en chaire ou en public les motifs qui peuvent faire juger sa conduite; autrement il pourrait être poursuivi pour diffamation. Cet avis est important. »

¹ Homil. lx, *Ad popul. Antioch.*

² *Sexto Decr.*, l. V, t. V, *De usuris*, c. 11. — 5 p., q. 81, a. 2.

hinc odia, dissensiones, pastorum Sacramentorumque despectus.

Sed excipe: — 1. *Ordinem*; qui enim se ingerit in munia publica sine idoneitate repelli etiam debet cum illius infamia, si aliter non possit, ob publicum bonum; et quamvis etiam delictum juridice probari nequeat. Ita ex Tridentino¹; atque responso S. Congregationis Concilii ad episcopum vercellensem 22 martii 1643, et cardinalem Barberinum 21 apr. 1668: in quo etiam habetur, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi posse ad manifestandam causam, cur repellat: neque ei qui repulsus est, ullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem apostolicam eique suas querelas exponere²; — 2. Quodque etiam *Matrimonium*, cui Parochus assistere prohibetur, si vel impedimentum aliquod agnoscat (extra Confessionem tamen), vel sciat sponso rudimenta fidei ignorare: idque ad prolis legitimitatem atque educationem tuendam.

509. *An (inquire) possint Sacramenta dari publice indignis, si alioquin minitentur mortem, vel alia damna gravissima?* — R. Afirmat Croix tunc dari posse Sacramenta publice indignis, si ea non petantur in odium fidei, vel in contemptum Religionis, et absit scandalum; quia licite permittitur alterius peccatum ad propriam tuendam vitam. Sed nos tenemus oppositum cum Concina³; nam esset directe cooperari sacrilegio, quod in nulla causa licet⁴.

Aliis tamen sic placet respondere cum Alasia: Si indignitas penitentis non faciat validum Sacramentum, ut si valide baptizatus velit iterum a te baptizari; vel si quis te compellat ad dandum Extremam Uctionem infanti aut sano; vel indisposito absolutionem, tunc non licet; quia non Sacramentum, sed ejus abusus daretur, quod est malum intrinsicum. Si vero indignitas respicit dumtaxat licitatem, sed

¹ Sess. iv, c. 1 de R.

² Ita Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. XII, c. viii, n. 4. — Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. xv.

³ Neque dices hoc etiam evenire quando Sacramentum occulto tribuitur peccatori; nam tunc censetur Christus cedere juri suo, et permittere suae reverentiae negationem, non praecipue ut fama occulti peccatoris servetur; sed praecipue ob alia incommoda, v. g., scandala aliorum, abusus sacerdotum, etc. Quae inconvenientia non interveniunt in ministro qui metu cogretur; imo aedificationi esset populo, si ad sacramenti reverentiam tuendam omnia subiret. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 49.

abduc relinquat Sacramentum validum, uti si peccator te compellat ad Eucharistiam ei ministrandam, aiunt posse tunc illam, urgente causa, et scandalo remoto fidelium, tribuit: tunc culpa sumenti imputabitur; quia verum Sacramentum daretur ac res bona, qua tamen alter ex mera sua malitia abutitur. Sic permittitur ex causa, ut Catholicus cum haeretico matrimonium iniat; et tunc minister est tantum causa occasionalis irreverentiae, quam impedire non tenetur cum vitae periculo, vel suo gravissimo damno.

Quidnam (quaeres) requiritur, ut publico peccatori Eucharistia possit ministrari? R. Alii cum Layman requirunt, praeter confessionem, aliquod tempus bonae ac publicae conversationis ad tollendum scandalum. Alii vero cum Possevino dicunt sufficere peccatoris confessionem coram pluribus. Huic sententiae recte adhaeret Croix, modo illius poenitentia sit brevi publice manifestanda, nec ipse habeat proximam peccandi occasionem auferendam, neque etiam aliquam publicam retractionem de necessitate prius agendam; qui enim publice confessus est, si haec peculiariter non obsint, publice censetur emendatus⁴ (E).

CAPUT QUINTUM

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS AC CEREMONIIS

510. Q. 1. *Quotuplex est effectus Sacramentorum?*

R. Duplex est effectus a Sacramentis immediate proveniens: unus omnibus communis, et est *gratia*; alter proprius nonnullorum tantum, et est *character*. Diximus *immediate proveniens*; nam et tertius est, nempe *cognatio spiritualis* proveniens ex Baptismo et Confirmatione; sed tantum ecclesiastico jure inducta est.

Duplex autem in omnibus N. L. Sacramentis distinguitur modus gratiae producendae: — 1. *ex opere operantis*, et est cum Deus gratiam elargitur intuitu fidei et pietatis illius, qui operatur. Sic si quis extra Sacramentum eliciat actum perfectae contritionis, et sic obtineat peccatorum remissionem et gratiam justificantem, dicitur eam obtinere ex opere operantis; quia Deus ad eam donandam movetur opere poeni-

⁴ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 47.

tentis; — 2. *ex opere operato*¹, quando gratia confertur non propter fidem et pietatem operantis; sed propter ipsum opus in se habens ejus producendæ efficaciam independentem a merito operantis.

511. Q. 2. *An Sacramenta novæ Legis gratiam conferant?*

R. Protestantes gratiæ conferendæ vim fidei tantum adseribunt; Sacramentis autem novæ Legis hoc solum tribuunt, ut nempe fidem excitent et nutriant: quo fit, ut ipsi Sacramenta habeant tantum, vel ut signa externa acceptæ per fidem gratiæ; vel uti notæ quædam distinctivæ christianæ professionis. Ideo verba, quibus Sacramenta conficiuntur, *concionatoria* esse contendunt, id est exhortatoria et idonea ad fidem excitandum; nullimode autem *consecratoria*, seu effectiva illius, quod significant.

Verum de fide catholica est, Sacramenta novæ Legis continere gratiam quam significant, eamque conferre omnibus non ponentibus obicem, ex opere operato. Constat ex Tridentino; sessione VII, canone V (De Sacr. in genere) ait: *Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.* Canone VI: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Canone VII: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus, anathema sit.* Canone VIII: *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Id probant Scripturæ, in quibus habetur septem Sacramenta Novæ

¹ Quæ verba sunt nova quoad sonum, non quoad doctrinam, quam continent. Neque obstat, si barbara videantur: *Melius est* (ait in re simili Augustinus, in Ps. cxxiii), *ut reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.* — V. Ferraris, *Sacramentum*, a. 2.

Legis peccata dimittere, gratiam conferre, et quidem ex virtute sibi propria. De Baptismo legitur: *Baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum*¹. De Confirmatione dicitur: *Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum*². De Eucharistia autem: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*³. De Pœnitentia: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*⁴. De Uctione Extrema: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum*⁵. De Ordine: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*⁶. De Matrimonio tandem satis colligitur ex illis verbis: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*⁷.

Adde SS. Patrum consensum. S. Basilius affirmat, per Baptismum *renovari animam*⁸. S. Cyrillus hierosolymitanus dicit: *Gratiam una cum aqua dari*⁹. S. Augustinus ait: *Aquam corpus tangere et cor abluere*¹⁰. Pulchre etiam Tertullianus: *Caro abluatur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur*¹¹. Plura non citamus, cum vel ipse Calvinus fateatur, in hac re, Patres consentientes esse, adeo ut ad eos infirmandos, contra omnem evidentiam debuerit asserere, ipsos hyperbolice locutos fuisse. Adde constantem Ecclesiæ sensum, qui inter cetera ex eo patet, quod Ecclesia semper efficacem habuerit parvulorum Baptismum, etsi a malis ministris collatum: at talis Baptismus non ex virtute ministri, quia malus: non ex virtute infantis, quia nullus actus capax; ergo ex opere operato valere certo debet (F).

Diximus *non ponentibus obicem*, et quantum est *ex parte Dei*; quia ex parte suscipientium quædam requiruntur dispositiones tanquam conditiones, quibus obices removeantur: sic ignis utut actuosus, in ligna tamen madida vel in lapidem suam non exercet activitatem. Hoc sensu dicit Apostolus *justificari hominem per fidem*¹²; quia nempe per fidem hominem sibi sternit ad justificationem: fides enim est omnis

¹ Act. II. — ² Act. VIII. — ³ Joann. VI. — ⁴ Joann. XX. — ⁵ Jac. V.

⁶ I Tim. IV. — ⁷ Eph. V. — ⁸ Hom. XIII. — ⁹ Catech. III.

¹⁰ Tract. LXXX in Joan. — ¹¹ De resurr. carnis.

¹² Rom. III.

justificationis radix et initium. Unde Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*¹ (G).

512. Q. 3. *Quamnam* (quæres) *gratiam Sacramenta producant?*

R. Gratia divina, fructus dominicæ Incarnationis ac Redemptionis, præstantissimum Dei donum, internum, supernaturale ac indebitum, concessum homini ad animæ sanctificationem salutemque æternam, multiplex distinguitur a theologis in præsentī materia: *Actualis, habitualis, prima, secunda, ac sacramentalis*. — *Actualis* est illustratio intellectus et motio voluntatis ad salutarem actum in nobis producendum ordinata. *Habitualis* (alio nomine *sanctificans*) est, qua homo immediate fit justus, filius Dei adoptivus, et æternæ vitæ hæres; gratia enim per modum habitus animæ inhærentis concipitur; et qui ea ornatus, dicitur esse in statu gratiæ. *Prima* ea dicitur quæ nullam aliam supponit in subjecto cui infunditur, et est cum primum justificatur peccator. *Secunda*, quæ aliam supponit in subjecto cui datur, præexistentem: quam tamen auget, ita ut non sint diversæ gratiæ, sed diversi gradus ejusdem gratiæ. Tandem *Sacramentalis* est gratia habitualis annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujuscumque sacramenti. Hoc posito dicimus: Sacramenta novæ Legis gratiam producant tum habitualement, scilicet primam vel secundam; tum gratiam sacramentalem.

1. *Gratiam habitualement*, non vero actualem: ut patet in parvulis, qui incapaces sunt ad actus eliciendos: et tamen gratiam recipiunt per ea Sacramenta, quorum sunt capaces.

2. *Primam vel secundam*; nam Sacramenta mortuorum, Baptisma et Pœnitentia de se et primario conferunt gratiam primam, qua nempe homo primitus fit Deo acceptus; cum ideo sint instituta, ut hominem divinæ gratiæ mortuum ad vitam revocent spiritualement². Sacramenta vero vivorum pri-

¹ Marci xvi. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc. v. Gratia ut est donum Dei.

² Baptismus quidem delendo peccatum originale, et alia si quæ forte præcesserint. Pœnitentia delendo cetera peccata post Baptismum commissa. Notandum illud *ex se et primario*: quia aliquando potest utrumque per accidens gratiam sanctificantem jam in anima existentem invenire eamque augere,

mario instituta sunt, ut gratiam sanctificantem jam in homine existentem per se augeant: ideo vitam spiritualement in suscipientibus præsupponunt, ac non nisi ulteriorem gratiam conferunt. Unde Tridentinum¹: *Consentaneum visum est de sanctis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit vel cœpta augetur vel amissa reparatur*.

3. *Gratiam sacramentalem*²; nam Sacramentum quodlibet præter habitualement conferre debet gratiam, quæ respondeat fini, ob quem fuit institutum; cum quodlibet finem sibi peculiarem habeat: si ita non esset, cur tam præclara Sacramentorum varietas? Porro hæc sacramentalis gratia communius docent sitam esse in jure habituali ad gratias actuales recipiendas, quæ ad diversum illum finem consequendum adjuvant, ob quem diversa sunt Sacramenta instituta. *Baptismus* itaque præter gratiam habitualement suppeditat auxilium speciale, ut Christianus contemnere possit vanas mundi pompas et profana oblectamenta, quibus renuntiat. *Confirmatio*, ut fidem, data occasione, intrepide profiteatur. *Eucharistia*, ut maneat constanter in amore Christi, et in eodem progrediatur in dies. *Pœnitentia*, ut commissa delicta detestetur, occasiones peccatorum devitet, in gratia perseveret, et præteritas culpas expiare valeat. *Extrema Unctio*, ut a peccati reliquiis purgetur, in infirmitate sublevetur, et dæmonis insidiis resistat facilius. *Ordo*, ut sacri ministri functiones omnes digne exercent. *Matrimonium* denique, ut conjuges fidem

v. g., si quis adultus ad Baptismum accederet perfectam jam habens in se charitatem; vel si pœnitens eadem charitate donatus, aut non habens nisi venialia, accederet ad pœnitentiam: gratia sanctificante uterque ornaretur etiam ante Sacramenti susceptionem; et in tali casu gratia illa non posset, nisi augeri. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 5 et seqq.

¹ Sess. vii, hic. Hoc tamen non impedit quominus hæc quoque Sacramenta per accidens primam gratiam conferre possint: ut si quis putans bona fide se esse in gratia, non sit, et ea suscipiat; nam cum Sacramenta vivorum non compatiuntur peccatum, ex consequenti si casu illud inveniant, ipsum tollunt, modo alius non ponatur obex. Angelicus 3 p., q. 3, a. 1.

² Gratia sacramentalis non differt natura ab habituali. Addit tamen gratia sacramentalis gratiæ habituali aliquid intrinsecum; nam Sacramenta id efficiunt, quod significat. Sed singula vim specialis cujusdam gratiæ significantæ habent; diversimode ergo singula gratiam in animam infundunt,

servent, cupiditates reprimant, prolem valeant pie educare, et omnia conjugii onera animo patienti perferre.

Ceterum Sacramenta gratiam conferunt majorem vel minorem pro majore vel minore suscipientis dispositione; Sacramenta enim sunt causæ necessariae, quæ operantur vi promissionis a Deo factæ: at illud causæ necessariae proprium est, ut majorem vel minorem effectum sortiatur, prout magis vel minus idoneum est subjectum, in quo operatur. Sic idem ignis ligna vividius vel remissius comburit, prout illa magis vel minus sicca sunt, et combustioni magis vel minus accommodata. Hinc Tridentinum docet, Baptismo insignitos *percipere gratiam secundum propriam cujusque dispositionem*¹.

— Attamen character, remissio peccatorum, et condonatio pœnæ in omnibus rite dispositis et baptizatis sunt æquales, cum consistant in indivisibili, et sint de necessitate ad perfectam hominis regenerationem in spiritualem vitam atque novum statum.

113. Q. 4. Quid de characterē sacramentali?

R. Quodcumque signum alicui rei impressum, ut ab aliis discriminetur, *characteris* nomine donare solemus (a græco *charassó* imprimere): sic pastor gregis oves solet signare, ut cujus sint domini facile pateat; et tale signum *character* appellatur. Character autem Sacramentalis est: *Signum spirituale et indelebile, per quod homo distinguitur ab aliis; et fit idoneus ad nonnulla, quæ sunt cultus divini.*

Dicitur *signum*, habet enim rationem veri signaculi, in quantum per sensibile Sacramentum imprimitur. *Spirituale*, cum animam tangat, non corpus. *Indelebile*, per characterem enim homines ordinantur seu consecrantur et idonei fiunt ad quædam, quæ sunt divini cultus; quæ porro semel consecrata et dedicata sunt, quamdiu integra, semper consecrata ac dedicata remanent. *Per quod homo distinguitur ab aliis*, nempe baptizatus a non baptizato, miles a non milite, sacerdos a laico. *Et fit idoneus ad nonnulla, etc.*, fit autem idoneus per Baptismum ad cetera Sacramenta suscipienda, per Confirmationem ad fidem Christi profitendam uti

¹ Sess. vi, c. vii. — V. D. Thomas, 3 p., q. 69, a. 8.

ejus miles, per Ordinem autem ad rite obeunda munia ministerii Clericalis.

Essentia characteris non consistit in *initerabilitate*; quia hæc est potius illius effectus. Neque in *mera extrinseca denominatione*; quia character ex Tridentino est indelebiter in anima impressus. D. Thomas docet illum esse certam animæ *modificationem*, seu *qualitatem* aut *potentiam spirituales*, quæ remanet etiam in altera vita, in beatis ad gloriam, in damnatis ad ignominiam¹.

Protestantes habent characterem Sacramentalem uti futile commentum recens a Scholasticis excogitatum: verum de fide est characterem esse admittendum, eumque a tribus tantummodo Sacramentis imprimi, quæ iccirco *characteristica* dicuntur, quæ ideo nequeunt iterari. Sic enim Tridentinum definivit: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*². Hæc veritas, quæ in Scripturis satis innuitur³, ex constanti traditione firmissime constat; hujus autem testes sunt Patres, quorum quidem auctoritates diligenter colligit Trombellius⁴. Nos pro Baptismo appellamus Cyrillum Hierosolymitanum, qui illum dicit *signaculum sanctum et indissolubile*⁵: pro Confirmatione Cyprianum, qui ait per ipsum baptizatos *signaculo Dominico consummari*⁶: pro Ordine Augustinum,

¹ 3 p., q. 63, a. 2 et 5. V. Bellarminus, Estius et Vasquez, qui fuse disserunt. Circa characteris essentiam in Congregationibus privatis ac preparatoriis disputatum est tempore Tridentini Concilii; nunquam tamen de ipsius characteris existentia, ut refert card. Pallavicini, quæstio fuit. V. *Storia del Concilio*, l. IX, c. v. Est autem character quædam Sacerdotii Christi participatio; per illum enim fideles deputantur ad recipiendum vel tradendum ea quæ sunt cultus divini juxta christianæ Religionis ritum: at omnis ritus christianæ Religionis ab uno Christi Sacerdotio derivatur. V. Billuart.

² Sess. vii, c. ix. — V. Liguori. *Op. Mor.*, l. VI, n. 6.

³ Ex II Cor. 1: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* — Et Eph. 1: *Signati estis Spiritu promissionis sanctæ.*

⁴ Tom. V, *De Bapt.*; et t. I, *De Confirm.* — ⁵ In *Procatechesi*.

⁶ Ep. LXXIII.

qui scribit ipsum *quadam consecratione homini dari, ideoque iterari non licere*¹.

Congruentem rationem assignat Angelicus : suscipiens hæc tria Sacramenta constituitur in novo statu, et in gradu speciali de se perpetuo; siquidem per Baptismum perpetuo adscribitur familiæ Christi, per Confirmationem militiæ Christi, per Ordinem ministerio Christi. Quod in aliis Sacramentis non contingit; nam per Eucharistiam homo solum participat de Corpore Domini, per Pœnitentiam reconciliatur Deo, per Extremam Uncionem purgatur reliquis peccatorum, tandem per Matrimonium accipit quod possit sancte conjungi, legitimam prolem suscipere eamque christiane educare.

514. Q. 5. *Quid de cæremoniis Sacramentorum?*

R. Sacramentorum cæremonias dicimus : *Ritus illos, qui ex Ecclesiæ institutione solent in Sacramentorum celebratione adhiberi.* Qui ritus distinguuntur omnino a materia et forma; et ideo ad Sacramenti essentiam nullo modo pertinent. — Cæremoniæ aliæ dicuntur *integrales*, quæ Sacramenti actionem complent, ejusque effectus clarius indicant, ut exorcismi in Baptismate, vestes in celebratione Missæ, etc. Aliæ *accidentales*, quæ ad rei ornamentum et decorem pertinent, ut genuflexiones, inclinatio capitis, elevatio manuum, etc. Cæremoniæ proprie loquendo discrepant a ritibus, quamquam promiscue usurpentur : cæremonia enim est ipsa actio; ritus est modus, quo ea actio fit².

Porro hæc statuenda sunt de cæremoniis Sacramentorum :

1. Ecclesiam potestatem habere eas instituendi et adhibendi : est contra hæreticos, præsertim protestantes hodiernos. Si enim potestatem habuit Synagoga sacros quosdam ritus instituendi et adhibendi, nequit hæc catholicæ Ecclesiæ negari, cujus Synagoga erat figura. Adde : ea potestate semper Ecclesia usa est, ut patet ex Justino, Cypriano, Cyrillo et antiquissimis tum græcis tum latinis Ritualibus. Quod si

¹ L. II, *Contra Parmen.*, c. xlv.

² Hoc *Liturgiæ* nomine generatim accipi solet, quamvis *Liturgia* in sua genuinitate quodeumque munus publicum designet, a græco *leitros* (publicum), et *ergon* (opus). — V. Maeri, *Nolizia de vocaboli Ecclesiastici*. — Ferraris, v^o *Cruz*, *Liturgia, Liturgicum jus, Ritus*. — Item Bona, Cavalleri, Gavanti, Merati, Gardellini, Bouix, Romsée, etc.

primitus non ita splendidus fuit nostræ Religionis cultus, ob sævientes persecutiones; semel tamen ac potuit Ecclesia sua libertate frui, illico cœpit solennes ritus inducere; scit enim homines ita esse comparatos, ut ad spiritualia difficiliter assurgant sine externis adminiculis. Quare merito Tridentinum definivit : *Prædictam potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, et statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret*¹, etc.

2. Cæremoniarum usum pium esse ac salutarem : uti enim tradit Catechismus R., ille mirifice inservit : a. ut dignitas Sacramentorum commendetur, eisque concilietur debita reverentia; b. ut ministri sancta sancte tractare videantur; c. ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus et efficacia innotescant magis, et quasi ob oculos ponantur, ut inde excitetur fides, ac populorum enutriatur pietas; d. adde mysticam significationem, quam continent cæremoniæ, qua quidem fideles ad cœlestia eriguntur. Quod tamen ut obtineatur, populo explicandæ sunt : « C'est un devoir pour les curés, les prédicateurs, les catéchistes, d'expliquer aux fidèles, non-seulement la nature et les effets des sacrements, mais encore les cérémonies de l'Église, qui sont si propres à ranimer la foi, la confiance et la piété. Il y a peu de prêtres, parmi ceux qui exercent le saint ministère, qui n'aient quelque reproche à se faire à ce sujet. De là l'ignorance du peuple sur un des points les plus importants du culte catholique, et dès lors le dégoût ou l'indifférence des fidèles pour les mystères et les sacrements de la religion². »

3. Cæremoniis rite peractis, durissimum quoque adversarium pectora scindi. Sic Valentis perfidi in arianismo Imperatoris linivit animum stupor in sacris cæremoniis a D. Basilio pie administratis³. Sic satellites a Justina missos ad D. Ambrosii trucidationem ad pœnitentiam reduxit sacer ritus ab

¹ Sess. xxi, c. ii. — ² Gousset, *Théol.*

³ V. Baronius, *Ann.*, ad ann. 370, n. 44.

eis inspectus¹. Et ex historia habemus, non paucos ad catholicismum conversos cæremoniarum apparatu ac pompa².

4. Peccare, *pro materiæ gravitate*, ministrum, qui cæremonias vel mutat vel negligit vel aspernatur; quia non curat Ecclesiæ præcepta gravibus de causis imposita: sicque fideles non modo ad Sacramentorum reverentiam non invitat, sed etiam a devotione revocat, a pietate et a fide, experientia teste³: idque ideo magis, quia ritus isti cum doctrinis dogmaticis et moralibus arcte sunt conjuncti. Vel ipsi protestantes in Confessione Augustana et Saxonica aperte affirmant: *Peccare illos qui cæremonias cum scandalo violant atque superbe contemnunt, quippe ordinem disciplinæ ac regiminis intervertentes, et turbantes tranquillitatem*. Merito igitur D. Thomas cæremonias præterire pestiferum esse dicit⁴. Et Tridentinum: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit*⁵.

Diximus peccare *pro materiæ gravitate*; ideo graviter, si non curet cæremonias integrales quæ graviter præcipiuntur: vel accidentales in magna quantitate, aut cum scandalo gravi, aut cum contemptu.

515. Inter præcipuos ritus, ille sub gravissimo præcepto in latina Ecclesia constanter venit observandus, nempe ut religionis mysteria latine celebrentur; *Sicut enim una fides*, ait Cardinalis Osius unus ex Tridentinis Patribus, *ita visum est Patribus, ut esset quasi catholica lingua, communis omnium gentium et nationum, qua res divina fieret, per quam unitas etiam in fide retinetur*⁶. Adde linguæ vulgaris usu semel admissa, nulla amplius liturgiæ uniformitas, vel ritibus reverentia, vel in populo pietas; sed vilescerent Sacra, atque

¹ D. Ambrosius, Epist. xx, *Ad Marcellinam sororem*.

² V. *Memorie di Religione, di Morale*, etc. Modena, t. III et X. — Scotti, *Teoremi*, ecc.

³ V. Liguori *La Messa strapazzata*, § 2. — Pavone, *Guida Liturgica*.

⁴ 2, 2, q. 95, a. 1.

⁵ Sess. vii, can. xiii. — V. Muzzarelli, *L'Emilio disingannato*, t. III, dial. xii.

⁶ *De fide et symb.*, c. xxxv.

sensim in contemptum venirent. Hinc merito contraria propositio sub n. 55 damnata est in Bulla *Auctorem fidei* (H).

SCHOLIUM. — *De Sacramentalibus*.

516. Q. 1. *Quid et quot sunt Sacramentalia et quæ eorum efficacia?*

R. *Sacramentalium* vocabulo nuncupamus cæremonias quasdam ab Ecclesia inductas, ut ad instar Sacramentorum res sacras significant, et pie adhibite plurimum afferant spiritualis utilitatis. Differunt a Sacramentis tum quia hæc a Christo, illa ab Ecclesia sunt instituta; tum quia hæc effectum suum producunt *ex opere operato*, illa *ex opere operantis*. Et sex numerantur hoc versu:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, indicat Orationem Dominicam et ceteras Ecclesiæ preces, præsertim publicas. *Tinctus* aspersionem aquæ lustralis, et sacras in diversis consecrationibus unctiones. *Edens* manducationem esculentorum, quæ a Sacerdote benedicuntur. *Confessus* confessionem; quæ a Diacono fit populi nomine feria v in Cœna Domini; item illam, quæ fieri solet in Missa et Officio. *Dans* eleemosynam præsertim, et quidquid ex præcepto virtutis et Ecclesiæ tribuitur. *Benedicens* benedictionem Episcopi, Abbatis, Sacerdotis, candelarum, cinerum, palmarum, etc.

Sacramentalibus vis inest remittendi peccata venialia et gratiam sanctificantem augendi, non quidem ex opere operato¹; sed quatenus per illa pii quidam motus in nobis excitantur doloris aut charitatis, quibus venialia delentur. Pii autem illi motus obtinentur per modum impetrationis ratione precum Ecclesiæ, quibus ipsa Sacramentalia conficiuntur. Audiatur Angelicus: *Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata... et hoc modo per Eucharistiam et Extremam unctionem, et universaliter per omnia Sacramenta N. L. in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: et hoc modo confessio generalis (per quam intelligenda videtur quæ fit recitando Confiteor), tussio pectoris et Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum, nam*

¹ In sententia communiori et veriori, quam tuentur Wigandt, Tournely, Lugo, Suarez, Croix, etc. Nam nullibi legitur hanc facultatem fuisse Ecclesiæ tributam.

in *Oratione Dominica* petimus: Dimitte nobis debita nostra. *Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et ad res divinas: et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem ventium peccatorum*¹. Hinc consultum maxime est ad sumptionem aquæ benedictæ sese excitare ad actus doloris, seu amoris.

517. Q. 2. Quid de aqua benedicta; et Angelica Salutatione?

R. Ad 1: Aquæ lustralis seu benedictæ usus antiquitate commendatur; ab Apostolica enim traditione manasse semperque in Ecclesia floruisse docent eruditi. Aspersio aquæ lustralis est symbolum interioris ablutionis; et per preces Ecclesiæ sanctificata ex ejusdem Ecclesiæ meritis ad salutares effectus habet efficaciam. — Synodus Novariensis hæc de re notat: 1. ut singulis Dominicis ante Missam parochialem aut conventualem populus consuetis precibus aspergatur; 2. ut ad eam asservendam juxta Ecclesiæ januas vas marmoreum sive lapideum ponatur, et nitidum servetur, ac in ejusdem aquæ renovatione vetus effundatur in sacrarium; 3. ut unusquisque fidelis eam suo in cubiculo religiose servet; 4. ut ædes fidelium a Parocho aliove Sacerdote ab ipso constituto, comitante Clerico, Sabbato Sancto benedicantur de more (pag. 158).

R. Ad 2: Religiosa consuetudo Beatam Virginem salutandi ad certum campanæ signum mane et vespere ab Urbano II sæculo XI videtur excogitata. A Gregorio autem IX sæculo XIII addita salutatio est etiam ad meridiem. Aliis alii tamen piæ consuetudinem tribuunt: quidquid sit, ea est antiqua, salutaris, et Indulgentiis cumulata; et ideo a Parochis diligentissime fovenda². Idem dicendum de precibus fundendis pro defunctis, dato campanæ signo ad primam noctis horam; et quælibet feria vi de recolenda passione Christi post meridiem: quod Benedictus XIV jussit Constitutione *Ad passionis*³ (1).

518. Q. 3. Quænam sunt usitatiores in Ecclesia benedictiones?

R. Plures sunt; en præcipuæ:

Ac 1 est: *Benedictio cereorum*, quæ suam habet originem ab institutione festi Purificationis B. M. V., cui instituendo viam patuisse tradunt eruditi, cum S. Gelasius primus sæc. V in honesta illa lupercalia

¹ 5 p., q. 87, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 90 et seqq.

² V. Bergier, *Dictionnaire théologique*, v° Ave Maria. — Riccard et Giraud, *Bibliothèque sacrée*, article: Salutation angélique. — It. *Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai SS. Pontefici le SS. Indulgenze*. — Ferraris, v° *Salutatio Angelica*.

³ V. etiam ejus *Notificatio lxi*.

sustulit, quæ peragebant Romani, ineunte februario, accensis cereis: quare festum hujusmodi *Chandeleur* solet appellari.

2. *Benedictio cerei Paschalis*. De hoc cereo Christi resurgentis figuram representante, qui *via, veritas et vita est*, docet præclarissimus *Annalium Ecclesiasticorum* pater cardinalis Baronius ad annum 418, Zozimum pontificem decrevisse, ut in Parœciis omnibus adhiberetur. Ex quo patet ante sæculum V id obtinuisse.

3. *Benedictio et impositio cinerum*. Cineribus benedictis adspergi jamdudum consuevere qui publicam agebant pœnitentiam. Nunc solet Ecclesia cineres benedicere iisque fidelium capita adspargere feria iv post Quinquagesimam (quæ iccirco *dies Cinerum* nuncupatur), ut salutarem mortis memoriam in eorum animos revocet, et sic ad pœnitentiam eosdem adhortetur initio Quadragesimæ.

4. *Palmarum benedictio*: quæ VIII certe sæculo antiquior est; ejus enim extat testimonium in *Sacramentario* Gregorii M. Palma benedictæ tum christianæ charitatis symbola, tum triumphalem D. N. J. C. in Hierosolymam ingressum exhibent¹. Hæc autem omnia, ut religiose tam a Parochis, quam a fidelibus observentur, Synodus Novariensis expresse jubet (pag. 159).

5. *Benedictio Crucum cerearum*. Veteres rerum Ecclesiasticarum Scriptores Albinus, Amalarius aliique testantur, eam fuisse jampridem in Ecclesia Romana consuetudinem, ut cera intra Paschatis octavam benediceretur fidelibus postea distribuenda; idque ad sanctissimam Christi Humanitatem exhibendam. Ea cera modo imprimebatur *agnorum forma* ad significandum Agnum Dei immaculatum; modo alia forma et præsertim sanctissimo *Crucis vexillo*. Cereas autem hujusmodi cruces consuevere antiqui pio animo suscipere, domi asservare; et in quibusdam regionibus eas statis supplicationibus ad urbis portas, vel alia definita loca solemniter affigere, uti adhuc fit in Novariensi Diœcesi².

6. *Benedictiones ceteræ ad morbos depellendos, ad noxia animalia profliganda, ad ingruentes grandines avertendas*. Hic item usus sua antiquitate commendatur, uti videre est in Ritualibus etiam vetustissimis; cavendum tamen, ne foveatur vana et superstitiosa credulitas populi.

Sapientes leges habent Diœcesanæ Synodi, uti Novariensis quæ mo-

¹ V. Martinet, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*.

² V. *Degli scritti del V. D. Carlo Besapè*. Edizione compendiatà ad uso di Parochi della Diœcesi. Navarra, 1850. It. *Liber Litaniarum et Processionum Ecclesiæ Novariensis Caroli Episcopi mandato editus*; Novariæ. — Benedictus XIV Statutum *Pervetusus*, anno 1752.

net: 1. ut Sacerdotes omnes sedulo caveant, ne benedictiones aut exorcismos sumant ex ineptis quibusdam libellis, qui circumferuntur; neque aliis unquam utantur caeremoniis, quam quæ in Rituali R., quæque in Benedicti XIV operibus, et Venerabilis Novariensis episcopi Caroli Bescapè scriptis exhibentur. Imo neque exorcizare præsumant sub gravissimis pœnis absque expressa Episcopi licentia; 2. ut cœlo tonante et fœda ingruente tempestate, curet Parochus populum in Ecclesia convocandum; non tamen noctu. Eumque excitet ad peccatorum contritionem; Litaniis Sanctorum aliasque preces, ipso alternante populo, recitet; eidemque suadeat Deum esse jejuniis imprimis, orationibus et virtutum exercitio placandum; neque ad flagella avertenda prodesse *solum campanarum sonitum*, imo potius ictus fulmineos provocare¹; 3. ut totis viribus in id incumbant Parochi primum, ac ceteri dein Sacerdotes, quo e vulgo erroneæ opiniones de potestate dæmonum vel lamiarum prorsus eradicentur. Neque unquam quidquam fiat, quod Religionis puritati, et integrati Fidei non sit consentaneum² (J).

¹ Diximus *solum campanarum sonitum*, id est quasi salutaris effectus sit expectandus a sono campanæ, quatenus naturalis quidem clangor est. Ceterum bene poterit expectari quasi ab instrumento variis precibus consecrato. Hinc Ecclesia in campanarum benedictione postulat a Deo, ut cum illæ insonuerint, procul recedant *incurtio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruum, calamitas tempestatum omnesque spiritus procellarum*, etc.

² V. Canestri, *La rubrica de Parochi*, ubi Parochus normam invenit sese gerendi in iis, quæ spectant ad sui ministerii exercitium. — Et *Synodus Novariensis*, pag. 214 et seqq.

DISPUTATIO SECUNDA DE SACRAMENTO BAPTISMI

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE, NATURA, INSTITUTIONE ET NECESSITATE BAPTISMI

519. Q. 1. *Quid est Baptisma, et an sit verum Sacramentum*¹?

R. *Baptismi* nomen græcam habet originem, ac genericè significat *immersionem* et *ablutionem*. Verum prout est ritus christianæ Religionis, definitur baptismus in Catechismo Romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Communiter tamen, et explicatius solet definiri: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominum regenerationem, quæ fit per ablutionem aquæ et cum expressa SS. Trinitatis invocatione*. Dicitur: 1. *Sacramentum a Christo institutum*, et sic convenit cum aliis Sacramentis: 2. *ad spiritualem hominum regenerationem*, sic patet ejus differentia; 3. *per ablutionem aquæ*, ut designetur ejus materia; 4. *et cum expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione*, ut ejus forma indicetur².

Baptisma esse verum N. L. Sacramentum, de fide est a Tridentino et Florentino definitum. Et sane tria, quæ requiruntur ad verum et proprie dictum Sacramentum, in Baptismo concurrunt: — 1. concurrat ritus externus et sensi-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 95: it. *Opera Dogmatica*, sess. vii. — Saporiti, *Notificazione istruttiva sul Battesimo*. Genova, 1756. — Ferraris, v^o Baptismus, Baptisterium (art. novus).

² Klee, *Histoire des dogmes*, t. II, plura habet ad rem. Diximus autem prout est ritus christianæ religionis; nam una cum sanguine hostiarum effuso ad placanda numina ubique reperuntur baptismata et ablutiones, ad eluendas maculas peccati etiam in pueris et partu recentibus, ut ex historia probat Martinet, *Instit. Theol.*, vol. IV.

net: 1. ut Sacerdotes omnes sedulo caveant, ne benedictiones aut exorcismos sumant ex ineptis quibusdam libellis, qui circumferuntur; neque aliis unquam utantur caeremoniis, quam quæ in Rituali R., quæque in Benedicti XIV operibus, et Venerabilis Novariensis episcopi Caroli Bescapè scriptis exhibentur. Imo neque exorcizare præsumant sub gravissimis pœnis absque expressa Episcopi licentia; 2. ut cœlo tonante et fœda ingruente tempestate, curet Parochus populum in Ecclesia convocandum; non tamen noctu. Eumque excitet ad peccatorum contritionem; Litaniis Sanctorum aliasque preces, ipso alternante populo, recitet; eidemque suadeat Deum esse jejuniis imprimis, orationibus et virtutum exercitio placandum; neque ad flagella avertenda prodesse *solum campanarum sonitum*, imo potius ictus fulmineos provocare¹; 3. ut totis viribus in id incumbant Parochi primum, ac ceteri dein Sacerdotes, quo e vulgo erroneæ opiniones de potestate dæmonum vel lamiarum prorsus eradicentur. Neque unquam quidquam fiat, quod Religionis puritati, et integrati Fidei non sit consentaneum² (J).

¹ Diximus *solum campanarum sonitum*, id est quasi salutaris effectus sit expectandus a sono campanæ, quatenus naturalis quidem clangor est. Ceterum bene poterit expectari quasi ab instrumento variis precibus consecrato. Hinc Ecclesia in campanarum benedictione postulat a Deo, ut cum illæ insonuerint, procul recedant *incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruum, calamitas tempestatum omnesque spiritus procellarum*, etc.

² V. Canestri, *La rubrica de Parochi*, ubi Parochus normam invenit sese gerendi in iis, quæ spectant ad sui ministerii exercitium. — Et *Synodus Novariensis*, pag. 214 et seqq.

DISPUTATIO SECUNDA DE SACRAMENTO BAPTISMI

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE, NATURA, INSTITUTIONE ET NECESSITATE BAPTISMI

519. Q. 1. *Quid est Baptisma, et an sit verum Sacramentum*¹?

R. *Baptismi* nomen græcam habet originem, ac genericè significat *immersionem* et *ablutionem*. Verum prout est ritus christianæ Religionis, definitur baptismus in Catechismo Romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Communiter tamen, et explicatius solet definiri: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominum regenerationem, quæ fit per ablutionem aquæ et cum expressa SS. Trinitatis invocatione*. Dicitur: 1. *Sacramentum a Christo institutum*, et sic convenit cum aliis Sacramentis: 2. *ad spiritualem hominum regenerationem*, sic patet ejus differentia; 3. *per ablutionem aquæ*, ut designetur ejus materia; 4. *et cum expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione*, ut ejus forma indicetur².

Baptisma esse verum N. L. Sacramentum, de fide est a Tridentino et Florentino definitum. Et sane tria, quæ requiruntur ad verum et proprie dictum Sacramentum, in Baptismo concurrunt: — 1. concurrunt ritus externus et sensi-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 95: it. *Opera Dogmatica*, sess. vii. — Saporiti, *Notificazione istruttiva sul Battesimo*. Genova, 1756. — Ferraris, v^o Baptismus, Baptisterium (art. novus).

² Klee, *Histoire des dogmes*, t. II, plura habet ad rem. Diximus autem prout est ritus christianæ religionis; nam una cum sanguine hostiarum effuso ad placanda numina ubique reperuntur baptismata et ablutiones, ad eluendas maculas peccati etiam in pueris et partu recentibus, ut ex historia probat Martinet, *Instit. Theol.*, vol. IV.

bilis; talis enim est ablutio aquæ: talis expressa Trinitatis invocatio; — 2. Christi institutio; etenim quod hic ritus a Christo institutus sit, probant verba ipsius: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris*, etc.¹. Hoc nec ipsi hæretici audent inficiari; — 5. gratiæ collatio ex divina institutione, quod constat ex illo Christi oraculo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*²; ergo poterit qui renatus fuerit: at qui potest cælum introire, Dei gratia debet esse donatus. Hinc Tertullianus Baptismum vocat *Sacramentum aquæ*³. Et Augustinus habet⁴: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Marcion (hæreticus) Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum (K)*.

520. Valde probabiliter dicimus cum Catechismo Romano, Nazianzeno, Augustino et D. Thoma, Baptisma fuisse institutum ante Christi passionem, quando Christus in Jordane voluit a Joanne baptizari: tunc enim videtur aquæ virtutem regenerandi ex illo contactu tributam fuisse. Promulgatum vero constat post resurrectionem, cum Christus ipse Apostolos misit in universum mundum: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*⁵.

521. Q. 2. *Quid statuendum de necessitate Baptismatis?*

R. Baptismus post sufficientem Evangelii promulgationem omnibus omnino necessarius est ad salutem necessitate medii, nisi ejus vices suppleat votum vel martyrium.

Diximus 1: *Post sufficientem Evangelii promulgationem, ut Tridentinum docet*⁶; cum enim lex Baptismi positiva sit, non potest obligare, nisi sit sufficienter promulgata. Hinc Apostolus: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante*⁷? Theologi autem ancipites sunt in hac sufficienti promulgatione definienda, etsi communiter censeant quoad Palæstinam intra decem, et intra quadraginta annos quoad romanum Imperium illam factam esse. Docent item hanc promulgationem relativam

¹ Matth. xx. — ² Joann. iii.

³ De Baptismo, c. i. — ⁴ De Baptismo, l. III, c. xv.

⁵ V. Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 96. — Et Knoll.

⁶ Sess. vi, c. iv. — ⁷ Rom. x.

esse tum respectu Regnorum, si quidem apud Americanos sæculo XV nondum ea habebatur, et quoad incolas Oceaniæ vix initio sæculi XIX; tum respectu individuorum, qui si Evangelium invincibiliter ignorant, nequeunt tali obligatione ligari. Illi ergo, apud quos Evangelium nondum penetravit, in eadem conditione adhuc versantur, in qua versabantur gentes ante Christi adventum: qui proinde si boni permaneant, secundum rectam rationem vivendo, non damnabuntur: *In nationibus*, ait D. Bernardus, *quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatis; parvulis autem solam profuisse et suffecisse parentum fidem*¹. Vel alio medio Deus illis fidelibus providebit, sicut providit Cornelio².

Diximus 2: *omnibus omnino necessarius est ad salutem necessitate medii*, ergo etiam infantibus: quod de fide est contra Manichæos, Messalianos, Pelagianos, Wicleffitas, Valdenses, Socinianos, Calvinianos et protestantes passim, præsertim rationalistas. Veritas catholica probatur ex his Scripturæ verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*³. Quæ quidem cum generalia sint, etiam infantes obstringere debent: qui tamen cum non sint capaces præcepti positivi, dicendum est ea verba necessitatem medii includere, seu conditionem *sine qua non*. Id confirmat traditio, cujus testes sunt Patres: S. Augustinus habet: *Cum baptizandis parvulis festinatur et curritur... sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse*⁴. S. Cyrillus scribit: *Si quis non baptizatur, salutem non habet præter solos martyres*⁵. Et S. Ambrosius loquens de hac re ait: *Christus utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate*⁶. Ratio theologica suffragatur: nemo potest salvari, nisi per Christum, sic ut illi incorporatur et ejus fiat membrum; at est per Baptismum, quod homo Christo incorporatur et illius membrum fit⁷. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit Baptismum*

¹ De Bapt., c. i. — ² Act. x.

³ Joann. iii. — ⁴ Ep. clxvi ad Hieron. — ⁵ Catech. iii.

⁶ L. I, De Abr., c. xviii. — ⁷ S. Thomas, p. 5, q. 60, a. 1.

*liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit*¹.

Baptismus autem adultis est insuper necessarius necessitate præcepti; nam quod est necessarium necessitate mediæ ad salutem, tanto magis debet esse necessarium necessitate præcepti in persona capaci, quæ proinde, si potest, in re Baptismum suscipere debet.

Diximus 5: *Nisi ejus vices suppleat votum vel martyrium*: hæc autem non infirmant Baptismi necessitatem; cum sint tantum in ejus supplementum. Quod ut plenius intelligatur, notandum: medium salutis vel est *internum*, nempe gratia sanctificans; vel *externum*, nempe in præsentem Baptismus. Ubi hoc est discrimen: sine medio interno actu et re percepto impossibile est vitam æternam obtinere, nam sine gratia salvatur nemo. At sine medio externo, nempe Sacramento, potest utique homo salvus fieri, si aliunde possit gratia sanctificante donari; quia Christus medium externum ordinavit ad interiori gratiam producendam: si ergo in aliquo casu possit hæc gratia alio medio produci, jam salus obtinetur: hoc porro evenit per martyrium et Baptismi votum.

a. Per *martyrium*: martyrium vices supplere Baptismi etiam in infantibus, probat constans et perpetua Ecclesiæ praxis, quæ semper uti martyres venerata est infantes ab Herode pro Christo necatos². Quod fundamentum habet tum in illis verbis Domini: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*³ (porro isti infantes Christum sunt confessi *non loquendo, sed moriendo*, ut canit

¹ Sess. VII, c. v, *De Bapt.*

² Neque dicas istos infantes decessisse sine peccato originis utpote circumcisos, ideoque coli ut sanctos, non ut martyres. Hoc enim de pluribus verificari non potuit (etiãsi ponatur, quod circumcisio peccatum originale deleret): ratio quia circumcisio non dabatur ante octavum natiuitatis diem; Herodes autem omnes infantes jussit occidi a bimatu et infra. Neque dicas martyrium esse actum fortitudinis, cujus illi infantes non erant capaces. Utiq; martyrium sumptum pro voluntaria mortis acceptance est actus fortitudinis formaliter; sed accipi etiam potest pro ipsa morte pro Christo tolerata, quo sensu satis est, ut sit actus fortitudinis objective; sic etiam ut martyres habentur plures infantes in odium Christi necati. — V. Benedictus XIV, Constitutione *Beatus Andreas*, 22 feb. 1755.

³ Matth. x.

Ecclesia); tum in illis: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*⁴. Hinc Cyprianus vel quivis alius: *Martyrium appellatur tam corona, quam Baptisma; quia baptizatur pariter et coronatur*.

b. Per *Baptismi votum* (quo intelligitur contritio perfecta, vel amor Dei super omnia cum desiderio Baptismi suscipiendi); porro votum vices Baptismi, in illius suscipiendi impotentia, supplere constat ex eo, quod perfecta charitas est inseparabiliter conjuncta cum gratia sanctificante, juxta illud: *Qui diligit me, diligitur a Patre meo*⁵: idque declaratum habemus in Tridentino⁶. Unde Innocentius III consultus de Judæo, qui se ipse baptizaverat, ait nullum esse Baptisma; si tamen continuo decessisset, ad patriam evolasse, utique ob votum Baptismatis⁷. Et divus Ambrosius de Valentiniano mortuo catechumeno, sed vivo Baptismum desideranti, aiebat: *Non habet ergo gratiam quam desideravit? non habuit quam poposcit? certe quia poposcit, accepit*.

522. Objiciunt 1: *Qui Evangelium invincibiliter ignorat, non tenetur lege Baptismi; atqui tales sunt qui in infantia moriuntur*.

R. Infantes, qui sine baptismo moriuntur, non damnantur, quia violantur baptismi legem; sed excluduntur ab æterna beatitudine, quia originali peccato detinentur. Nempe si Baptisma « ipsis conferatur (audiatur Perrone), hi jus acquirunt ad æternam ac supernaturalem felicitatem, ad beatitudinem scilicet *per se* humanæ naturæ indebitam. Quod si his non applicetur, quancumque demum ob causam id contingat, ipsi non privantur nisi beneficio gratuito, nec pejor sit eorum conditio, perinde ac si nunquam humana natura evecta esset ad ordinem supernaturalem. Hæc quidem privatio in præsentiarum ordinem habet damnationis ob relationem ad culpam originalem, quæ ab infantibus nascendo contrahitur; ast in se et absolute nihil detrahit, ex eo, quod exposcit humanæ naturæ conditio. »

523. Objiciunt 2: *Si infantes Christianorum absoluta Baptismi necessitate tenerentur, pejor foret istorum conditio, ac eorum qui*

⁴ Matth. x. V. Benedictus XIV, l. III, c. xv, *De Canonizatione Sanctorum*.

⁵ L. *De singular. Clericor.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 101. — Ferraris, v^o *Martyrium*.

⁶ Joann. XIV. — ⁷ Sess. VII, can. IV.

⁸ *Pecc. Greg.*, l. III, t. XLII, *De Bapt.* — V. Charvaz, *Guida del Catechumeno valdese*, l. VII.

nascabantur olim sub lege naturæ, et nunc nascuntur ab infidelibus negativis (qui nempe nullam adhuc habuerunt veræ Religionis notitiam); nam tales infantes per parentum fidem (ad summum per aliquod signum externum illis applicatum) salvantur.

Negamus Christum quoad Christianorum parvulos restrinxisse media salutis; nam ut constat ex historia, paucissimi eorum quibus non est promulgatum Evangelium, veram fidem conservarunt, ideo paucissimis infantibus profuit ac prodest infidelium parentum fides. Contra vero, cum Evangelium ubique terrarum promulgatum fuerit, certe longe pluribus infantibus subventum est, et subvenitur per lavacrum regenerationis a christianis parentibus¹.

CAPUT SECUNDUM

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

524. Q. 1. *Quænam est materia remota Baptismi?*

R. De fide est, materiam remotam Baptismi non aliam esse præter aquam naturalem, ut clare innuunt ea Christi verba ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc.: ubi Christus aquam et Spiritum sanctum conjungit, ut significaret, materiali atque exteriori aquæ ablutioni adjectam esse interiorem Spiritus sancti gratiam ad regenerationem producendam. Et illud Eunuchi Reginæ Candacis ad Philippum: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? ... descenderunt uterque in aquam*². Hinc Tridentinum definit: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa D. N. J. C.: Nisi quis, etc., ad methaphoram aliquam detorserit, anathema sit*³. Hujus autem veritatis testes sunt omnes Patres et

¹ V. Perrone, *Il protestantismo e la regola di fede*, p. II^a, c. iv, a. 2. — Gousset, *De Baptismo*. — *Tesori di confidenza*, ecc. — Muzzarelli, *Buon uso della logica*, ecc. Opusc. xxv, della salute dei Pagani. — Frayssinon, *Conférences*, etc., le salut des hommes.

² Act. viii. — ³ Sess. vii, can. ii.

quotquot supersunt Rituales libri latinorum, et orientalium ecclesiarum euchologiæ, ut ostendit Renaudotius.

Est contra Bezam putantem quovis liquore Baptisma in necessitate conferri posse: contra Seleucianos docentes in igne esse baptizandum, juxta illud Joannis Baptistæ, qui ait Christum esse baptizatum *in Spiritu sancto et igne*¹; contra Socinianos, Quakeros, aliosque, qui per aquam accipiunt munditiam cordis². Verum allata Scripturæ verba non nisi de vera aqua accipi possunt, ut ex verbis textus, et ex traditione constat. Hinc Augustinus: *Quid est Baptismus Christi? lavacrum in verbo: tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus*³.

Loquendo de validitate fatentur omnes, naturalem esse existimandam aquam fontis, putei, maris, fluminis, lacus, cisternarum et pluvialem; nec refert frigida sit, an calida⁴. Idem est de aqua resoluta ex nive, glacie vel grandine: de aqua sulphurea, seu minerali: de aqua defluente tempore nimbofo a pariete vel arborum foliis, aut collecta ex densatis vaporibus. Idem de rore, de aqua venenata, turbida vel mixta cum alia re: modo aqua sit adhuc prædominans ita, ut in communi existimatione adhuc censeatur aqua. Sed habetur ut materia invalida sanguis, lac, oleum, vinum, urina, fel, puita: item succus herbarum ac fructuum; cum non sit aqua. Habetur autem communiter uti dubia materia: jus, lixivium, theum, coffea, aqua soluta ex sale, cervisia, atque atramen-

¹ Matth. iii. Hoc dixit Joannes ad discriminandum Baptismum suum, quasi diceret, se tantum baptizare in aqua, et Salvatorem in Spiritu sancto esse baptizatum, qui ignis est peccata consumans; vel qui igne charitatis inflammatur nos. — V. S. Augustinus, tract. xv, *In Joann.* — Ansaldus, *De baptismo in Spiritu sancto et igni*; Mediol. 1752.

² V. Mæhler, *La Simbolica*, t. II, § 68. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 102.

³ Tract. xv, *In Joann.*, n. 4. Atque ideo falsum et supposititium habetur decretum Sylicii papæ, quo dicitur validum Baptismum in vino collatum; illud enim decretum omnium primus post plura secula protulit et invexit Theodoretus cantuariensis, proprio Marte.

⁴ Hic notamus ex R. Rituali et Synodo Novariensi pro incolumitate puerorum in rigida hieme, parum aquæ tepelactæ esse miscendum in cochleario cum aqua baptismali.

tum, quamvis sit tenue; cum talis aqua magis corpus polluat, quam lavet.

Diximus loquendo de validitate. Nam ad licitatem quod spectat, extra necessitatem (in Baptismo saltem solemnium) sub mortali est adhibenda aqua munda et pro baptismo specialiter consecrata; tum ex præcepto Ecclesiæ; tum in reverentiam Sacramenti¹.

525. Quid (dices) de aqua arte alchymicaeducta ex floribus, plantis, radicibus et materiis similibus? Concina et Gonet cum D. Thoma negant aquam illam esse validam; quia artificialis est. Sed Continuator Tournely, Croix, Holzman, etc., dicunt eam esse probabiliter validam; et ideo in necessitate extrema esse adhibendam sub conditione: Si hæc materia sit sufficiens. Docent enim Philosophi in mixtis semper vere et formaliter remanere elementa, quæ adhuc ars chymica posset in species suas resolvere, si ita placeret; et sic evaderet vera aqua ut prius erat. Videtur etiam jus canonicum convenire².

Dicimus arte alchymica; nam aqua naturalis simpliciter distillata a rosis aut aliis floribus in aqua infusis, est vera aqua naturalis.

526. Quid (addes) de saliva, sudore et lacrymis? de aqua fluente e vite et plantis? De glacie et nive non solutis? De saliva verius illam asserunt materiam omnino ineptam, ut declaravit Innocentius III³; idem communiter docent de sudore et lacrymis: non enim est vera aqua. — Aquam vero fluentem e vite et plantis, licet aliqui faciant materiam absolute invalidam, cum potius succus sit; melius tamen illam dubiam docent, quia adhuc aliquid continet de vera aqua. — Quoad ultimum vero, si nix vel glacies (quod item currit de pruina et grandine) a baptizante ipso ita applicetur baptizando, ut frictione illa resolvatur et fluat, baptismus est validus; quia reipsa adhibet aquam. Si autem nix vel glacies a baptizante injiciatur tantum baptizandi cor-

¹ Hujus consecrationis seu benedictionis meminit Auctor *Const. Apostol.*, l. VII et VIII; S. Basilius, lib. *De S. S.*, c. xvii; S. Cyprianus, *Epist. lxx, ad Joann.*, S. Ambrosius, l. I, *De Sacr.*, c. v; et S. Augustinus, *Hom. xxvii et l.* — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 8. Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minime sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate: Rituale. « Il arrive quelquefois que les parents ont à cœur que leurs enfants soient baptisés avec l'eau du Jourdain qu'ils se sont procurée par un moyen sûr; nous croyons qu'on peut acquiescer à leur désir sans s'éloigner des règles de l'Église, en mêlant une petite quantité de cette eau avec celle qu'on prend dans le baptistère. » (Gousset.)

² C. *In quadam*, de celebr. Missæ.

³ C. penult., *De Bapt.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 195.

pori, e cujus calore dein resolvatur, Anversa adhuc putat validum; sed dicendum non valere, aut saltem esse dubium, quia corpus non videtur a baptizante vere abluui.

527. Q. 2. Quænam est materia proxima Baptismi?

R. Cum materia Sacramenti proxima non aliud sit, quam usus et actualis applicatio materiæ remotæ facta subjecto, cui Sacramentum confertur, cumque aqua applicetur baptizando per ablutionem, clare deducitur, *ablutionem* ipsam esse materiam Baptismi proximam. Hæc autem ablutio tripliciter fieri potest: 1. per immersionem, corpus nempe mergendo in aqua sicut in balneo: primis sæculis Baptismus conferebatur per trinam immersionem¹; 2. per aspersionem, modo quo solent aspergi fideles aqua lustrali; 3. per infusionem, vel potius effusionem: et est ablutio hodie in usu in Ecclesia latina, quæ consistit in effundendo aquam super caput baptizandi.

Ad valorem *Baptismatis* nihil refert quocumque modo ex dictis puer abluatur, cum semper censeatur vere ablutus. Hæc nostra propositio non est contra Lutheranos vel Calvinistas, qui nobiscum hæc in re conveniunt. Sed contra Græcos schismaticos, qui dicunt Latinos a fide catholica discessisse omittendo trinam immersionem: at frustra ipsi nos calumniantur; licet enim illa triplex immersio esset in usu penes veteres, non ita tamen observabatur, ut haberetur tanquam invalidus Baptismus collatus per simplicem infusionem vel aspersionem. Unde si quæ citantur statuta id prohibentia, respiciebant licitatem, non autem baptismi validitatem. Testem appellamus Cyprianum episcopum, qui doctrina et sanctitate præfuit sæculo III: consultus, quid sentiendum esset de Baptismate clinicorum, qui aqua salutaris non erant loti, sed tantum perfusi, respondit *aspersionem quoque aquam instar salutaris lavacri obtineri*². Idem confirmatur ex facto, quod legitur in Actis Apostolorum, ubi constat tria circiter homi-

¹ Ambrosiani caput infantis leviter et ex parte in aqua mergunt, crucem cum ipso signando.

² *Epist. lxxvi.* Clinici more Ecclesiæ dicebantur qui falso Religionis prætextu ad mortem usque differebant Baptismi susceptionem. Est a græco *cliné*, lectulus.

num millia Baptismum recepisse eadem die; at verisimile non est, multitudinem tantam fuisse intra spatium unius diei ab Apostolis baptizatam per trinam illam immersionem: verisimilius profecto est illam baptizatam per simplicem aspersionem vel infusionem¹. Et S. Laurentius sanctum Romanum urceo baptizavit in carcere²: et S. Lindgerus hortabatur mulieres, ut morituros infantes baptizarent *intinctos aqua, vel superinfusos*³.

Id constat insuper ex veteribus picturis, teste Martenio, in quibus cernitur baptismus infusione datus. Doctrina ergo in romana Ecclesia vigens, quæ tenet valere baptismum quocumque modo ex dictis ministretur, certa est ex parte facti. Sed etiam de fide est ex parte juris, cum Tridentinum definiert: *Si quis dixerit, in Ecclesia romana quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit*⁴.

Diximus ad valorem *Baptismatis*; ad licitatem enim in qualibet Ecclesia sub gravi observanda est ea, quæ viget consuetudo; cum res gravis sit. Hinc (si non urget necessitas) trina ablutio ex Rituali romano sub gravi requiritur: nempe infunditur aqua super caput infantis in modum crucis, simul verba proferendo hoc modo: *N.* (exprimatur nomen baptizandi) *ego te baptizo in nomine Patris † (fundat primo), et Filii † (fundat secundo), et Spiritus sancti † (fundat tertio).*

Dices: *Sine immersione non repræsentatur figura sepulture Christi, ut vult Apostolus*: Consepulti enim sumus cum illo (Christo) per baptismum in morte⁵. *Et sine trina immersione non significatur Trinitas personarum, nec triduum quo Christus mortuus jacuit in sepulchro.* — R. Quocumque modo fiat ablutio præter immersionem, sepultura Christi repræsentatur, licet non ita expresse; nam quocumque modo ea fiat, corpus hominis vel aliqua pars ejus aquæ supponitur,

¹ Cap. II. Justis de causis Ecclesia latina immersionis ritum omisit, ac præcipue ut puerorum incolunitati et mulierum pudicitie consulere, et plurimorum ministrorum imbecillitati, qui sunt nimis debiles ad corpus baptizandi immergendum et sustinendum, etc. Ita Angelicus, 3 p., q. 66, a. 7.

² Acta SS. apud Surium. — ³ Martenius, *De Antiq. Eccl. ritib.*, l. I.

⁴ Sess. VII, c. III, *De Bapt.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 407.

⁵ Rom. VI.

sicut corpus Christi sub terra fuit positum. Significatio autem Trinitatis jam fit in baptismo per verba formæ. Tandem triduum sepulture Christi non est de necessitate salutis, quia etiamsi una die fuisset sepultus vel mortuus, sufficisset ad perficiendam nostram redemptionem. Ideo hoc non est de necessitate Sacramenti¹. Ceterum loco trinæ immersionis, trina ablutio præcipitur etsi non de necessitate.

528. Q. 3. *Quæ corporis pars est abluenda ad validum Baptisma?*

R. Pro certo habent omnes valere Baptisma, si ablutio contingat in capite uti præcipua corporis parte. Imo communissime docent valere etiam, si contingat in scapulis, humeris, pectore vel parte alia principali; quia est vera hominis ablutio: quanquam extra necessitatem semper caput sit præferendum. Quia tamen semper remanet aliquale dubium, cum dissidium sit inter Doctores, ut notat Benedictus XIV², cumque hac in re tutiora sequenda sint; merito docet Angelicus, quod si caput non abluatur, Baptisma sit postea iterandum sub conditione, uti etiam Rituale præscribit: quod multo magis fieri debet, si Baptismus datus sit in digito, in pede, vel alia parte minima corporis.

Si vero ablutio contingat tantum in veste, tale Baptisma esset prorsus invalidum; cum sic non abluatur homo. Quod si ablutio tangat tantum capillos, alii negant cum Concina valere Baptismum; quia crines non sunt animati: alii probabiliter affirmant illud valere; quia licet crines non sint animati, bene sunt partes hominis (idem dicunt, si tantum abluantur unguis). Nobis videtur recta opinio Lugo et Laymani, qui in necessitate dicunt Baptisma esse conferendum sub conditione, cum res non sit omnino certa: quod si jam absolute fuerit datum, iterum sub conditione *si non es baptizatus*, repetendum. Hinc monet Rituale, quod si baptizandus sit capillatus, *digitis sinistrae manus cæsariem ejus discriminet Sacerdos, dum dextera aquam infundit*: et optimum tunc erit, si in fronte abluatur puer (L).

529. Q. 4. *An infans in necessitate baptizari possit, si nondum natus?*

¹ D. Thomas, 3 p., q. 66, a. 7.

² *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. v.

R. *Cum... præscribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi renatus ex aqua quis erit, etc.*¹, certum est nullum esse Baptisma: 1. si pro puero abluatur corpus matris: nam puer est a matre omnino distinctus; 2. si infans in utero matris clausus in nomine Trinitatis benedicatur: quod est contra Cajetanum; a cujus tamen operibus jussu Pii V hæc opinio expuncta fuit; 3. si mater nomine pueri oret Deum, et ea oratione ipsa mortem ejus offerat in contestationem veræ fidei, ut excogitavit Ludovicus Bianchi; 4. si ipsi parentes pro puero preces fundant ad Deum cum efficaci desiderio Baptismum eidem conferendi: quod non inverisimile putavit Amort². Omnes enim isti modi sunt insufficientes, cum in nullo eorum verificetur, quod ex aqua renascatur puer: quare si iste in matris utero clausus non potest ullo modo aqua tingi, ejus saluti æternæ in cœlis provideri non potest.

530. Quod si puer in ipso matris utero per aliquod instrumentum aqua tingi possit, etsi nondum pars ulla in lucem prodierit, utrum valeat Baptisma sic collatum, disputant. Alii negant; quia nemo dici potest *renatus*, nisi prius natus sit; nam de Baptismo dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. Addunt auctoritatem Ritualis, cujus en verba: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet*. Addunt SS. Thomam, Augustinum, Isidorum³. Sed alii satis probabiliter affirmant, quibus non parum adhæret Benedictus XIV⁴; quia talis homo jam existit viator, et ideo potest Baptisma suscipere. De tali autem existentia explicant vocabula *nasci* et *renasci*; nonne de Christo in utero Virginis vix concepto dictum fuit: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*⁵? Rituale autem et Patres explicant de puero ita clauso in utero matris suæ, ut

¹ Ita Tertullianus, *De Bapt.*, c. XII.

² Has hypotheses jam inanes ostenderat Vasquesius in 3, p. 1, *S. Thom., disp. cII.* — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc. — Ricard et Giraud, *Bibliothèque sacrée*, vi^e Enfants, Baptême. — Perrone, *De Baptismo*. — Pallavicini, *Storia del Concilio Tridentino*, l. IX, c. VIII. Quoad sortem infantium sine Baptismo decedentium, *V. t. I.*

³ 3 p., q. 68, a. 11. — Ep. LVII ad Dardan. — Et c. cxv, de cons., d. 4.

⁴ *De Syn. Diœc.*, l. XI, c. v.

⁵ Matth. I. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 107.

baptizari nequeat, nisi abluendo solummodo corpus matris ipsius.

Nos (quoadusque Sedes Apostolica decretorium proferat judicium) cum Benedicto XIV putamus, in casu necessitatis talem puerum esse baptizandum sub conditione: et de hoc a parcho instruendas esse obstetrices; ideo magis, quod tunc baptismus non a Parcho, sed ab obstetrice (vel chirurgo) pudoris causa est dandus¹.

Diximus *etsi nondum pars ulla in lucem prodierit*; nam ex Rituali, *si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, iterum est baptizandus*. Quod si aliquam partem emiserit, puer in ea conditionate, *si es capax*, baptizetur, urgente necessitate. Sed postea si perfecte nascatur et vivat, est rebaptizandus sub forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc.* Sicut sub eadem conditione erit iterum baptizandus qui fuit baptizatus in utero clausus, si periculum evadat et foras prodat² (M).

531. Q. 5. Quænam est forma Baptismi?

R. Definitum est tum in Lateranensi³, tum in Tridentino⁴, veram et legitimam Baptismi formam consistere in his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, juxta illud Christi præceptum: *Euntes in mundum univsum, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine*⁵, etc. Hisce Patres innixi uno ore docent nullum esse Baptismum sine trium divinarum Personarum distincta invocatione. Tertullianus habet: *Lex tingendi imposita est et forma præscripta: ite, inquit, docete nationes tingentes eas in nomine Patris*⁶, etc. Et sic Patres reliqui, quorum plures ex hac

¹ Laudatus Pontifex affert etiam doctrinam Sylvestri et Vasquesii, qui volunt esse baptizandum infantem licet adhuc involutum in secundina. Quod Layman censet probabile; nam secundina habetur veluti pars infantis, quia illa cum ejus umbilico continuatur.

² Rom. III. — ³ C. *Firmiter*. — ⁴ Sess. VII, c. IV.

⁵ Hæc forma semper viguit in Ecclesia catholica, cum hoc solo discrimine accidentali, quod Ecclesia græca omittit pronomem personale *ego*; et ejus loco dicit *baptizatur* vel *baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*.

⁶ *De Baptismo*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 108.

constanti baptizandi praxi argumenta eruebant ad confundendos Trinitatis oses.

532. Vides quinque ad formam pertinere, juxta quæ Baptismi valor expendi debet: 1. *Persona, quæ baptizat*, saltem in actu exercito; cum ipsa sit, quæ operatur; 2. *actus baptizandi*, ut sic materia determinetur ad specialem effectum; 3. *persona, quæ baptizatur*; sicut enim ablutio, ita et forma circa determinatam personam versari debet; 4. *Unitas divinæ naturæ*, ut vera habeatur Dei confessio; 5. *personarum distinctio cum propriis vocabulis*, ut probat Patrum consensus, Ecclesiæ praxis ac Christi institutio, a qua suum habet effectum Baptisma.

533. Q. 6. *Quæ variatio formæ Sacramentum Baptismatis invalidat?*

R. Videndum, an variatio formæ sit substantialis, an accidentalis:

Variatio *substantialis* habetur, quando non amplius existit substantia verborum, quæ præscripta sunt: hæc profecto Sacramentum invalidat. Esset si quis illud conferens dicat: *Ego te ungo in nomine*, etc. Vel *ego te baptizo in nominibus Patris*, etc.; vel *in Patre et Filio*, etc.; vel *cum Patre et Filio*, etc.; vel *in nomine Patris per Filium et Spiritum sanctum*. Non enim satis explicaretur unitas essentiæ divinæ.

Variatio vero *accidental* habetur, quando sensus adhuc remanet quoad substantiam: hæc Sacramentum minime invalidat, nisi variet in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Esset si quis vel mutet idioma; vel substituat verba synonyma; vel si Latinus adhibeat formam Græcorum; vel omittat verbum *ego*. Ratio, quia adhuc satis redditur sensus. Vel (saltem in probabiliori sententia) si omittat verbum *in*; latino enim idiomate tacentur præpositiones ad elegantiam¹. Vel ob balbutiem formam corrumpat in fine; sic enim voces constitutæ sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significant, cum jam ab initio sensus præoccupatus sit. Hinc

¹ « Hæc sententia, spectata ratione, mihi videtur verior; sed cum agatur de valore Sacramenti, saltem ob auctoritatem DD. dicerem ab altera non recedendum. Ideo talis omisio non posset excusari a mortali. » Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 112.

Zacharias papa validum declaravit Baptisma ita collatum ob linguæ latinæ ignorantiam: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia et Spiritu sancta*. Vel si dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii*, etc., nam repetitio nominis ex se non mutat sensum¹. Vel *cum nomine Patris, Filii*, etc., ex variis decisionibus²: vel si omittatur conjunctio *et*, modo præponatur tertiæ personæ; nam ex communi usu, si sint plura nomina sufficit conjunctionem addere ultimo (N).

CAPUT TERTIUM

DE BAPTISMI MINISTRO

534. Q. 1. *Qui Baptismi minister quoad validam administrationem?*

R. Traditione constat et de fide est contra Calvinum, quemlibet sive sit vir sive femina, sive christianus sive non, sive in necessitate sive extra, valide Baptismum conferre; ad illius enim administrationem non requiritur actus Ordinis. Hinc Augustinus ait: Baptismum, *etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, non posse dici non datum*³. Idque declaratum fuit a Lateranensi IV, capite *Firmiter*; et ab Eugenio IV in suo decreto ad Armenos. Sane, ut loquitur Angelicus⁴, pertinet ad Dei misericordiam, ut quæ sunt de necessitate salutis, quisque facile inveniatur. — Quæ autem opponuntur documenta, quibus nempe prohibetur feminis, hæreticis, infidelibus et laicis Baptismum conferre, intelligenda sunt de licitate, et maxime de Baptismo publico et solemnem, ut patet ea volvendo: quo sensu Tertullianus scribit: *Non permittitur mulieri in ecclesiis loqui, sed nec docere nec tingere nec offerre*⁵. Et Carthaginense IV: *Mulier baptizare non præsumat*.

¹ Id probabilis: attamen quia contraria opinio non est omnino improbabilis, ideo talem formam censeo non esse tutam. Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 111. — ² Ita S. Pœnit. 18 julii 1825. — S. C. C. 24 maii 1825, ut refert Ferraris, *Bibliotheca*, etc., in nova Ed. Montis Cassini. Et ex decr. Benedicti XIV, 7 dec. 1741, ut refert Alasia.

³ Contra Parmen., l. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 105.

⁴ 3 p., q. 67, a. 5. — ⁵ *De virginib. veland.*, c. ix.

535. Triplex autem distinguitur Baptismi administratio: *Solemnis*, et ea dicitur quæ fieri consuevit in solemnitatibus Paschæ et Pentecostes; *publica*, quæ passim fit suis ritibus ac cæremoniis; *privata*, quæ fit in necessitatis casu, cæremoniis omissis. — Item triplex distingui solet Baptismi minister: unus *ordinarius*, qui nempe jure ordinario vel solemniter vel publice baptizat; alter *extraordinarius*, qui publice quidem baptizat, sed ex delegatione; tertius *necessitatis* qui in necessitatis casu privatim, cæremoniis omissis, baptizat. Hoc posito:

Dicimus 1: *Minister ordinarius* Baptismatis solemniter est Episcopus, ut apud omnes in confesso est, Baptismi autem publici ordinarius minister jure divino est non solum Episcopus; sed etiam Sacerdos, licet subordinatus: constat tum ex decreto Eugenii IV ad Armenos; tum ex Catechismo romano: tum demum ex praxi Ecclesiæ, quæ hoc sensu semper intellexit illa Christi verba: *Euntes docete, baptizantes*. Quæ praxis roboratur exemplo tum ipsius Christi, qui per se quidem orabat et prædicabat, non tamen per se baptizabat¹; tum Pauli, qui testatur paucos a se baptizatos dicens: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*². Hinc a primis temporibus factum est, ut Episcopi ad majora vocati onus baptizandi relinquerent presbyteris inferioribus. At præcepta a Tridentino, et facta Paroeciarum distinctione, hodie jure ecclesiastico *minister ordinarius ac legitimus est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus*, uti ait Rituale romanum³; æquum sane est ut ipse pastor suis ovibus provideat⁴.

Dicimus 2: *Minister legitimus et extraordinarius* Baptismi publici vi ordinationis est Diaconus, ut habet ex Pontificale R. et liquet ex Actis Apostolicis, ubi Philippus diaconus eu-

¹ Joann. iv, 22. — ² I Cor. i.

³ Tridentinum, sess. xxiv, c. xiii, *De Ref.* De Fontis Baptimalis origine et benedictione, vid. Benedictus XIV, *Notifikatione* i. — Gousset, *De Baptismo*.

⁴ Hinc si mulier casu pariat in pago non suo a proprio duabus vel tribus tantum horis distant, potest urgere, ut in sua Ecclesia proles baptizetur. Imo id præcipitur in Novariensi Synodo si possit commode fieri. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 115.

nucho contulisse Baptismum perhibetur, et varios baptizasse¹. Verum id ex usu Ecclesiæ, et jure² intelligitur tantum de commissione, vel licentia Episcopi aut Parochi: quæ quidem est tribuenda tantum in necessitate³. Ait enim Angelicus: *Dicuntur diaconi quasi ministri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione: et sic ad diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio tradere Sacramentum baptismi, sed in collatione hujus Sacramenti et aliorum assistere et ministrare majoribus*⁴. Commissio autem sed deputatio diaconi adeo est in præcepto, ut (in communiore ac probabiliore sententia) sub gravi prohibeatur Diaconus sine illa publice baptizare, licet Parochus absit a quo petatur facultas, et urgeat casus.

Dicimus 3: *Minister necessitatis* quoad Baptisma privatum est quilibet homo. Patet ex Lateranense IV; ex decreto ad Armenos; ex praxi fidelium; et ex Patrum consensu. Audiat D. Hieronymus: *Si necessitas, ait, cogit, scimus etiam licere laicis baptizare*⁵. Imo tunc nedum quilibet possit, sed baptizare tenetur: *Secus, ait Tertullianus, laicus reus erit perditioni hominis*⁶. — Hic tamen ordo est observandus, ut nempe primus Parocho concedatur locus; cum ipsi specialiter animarum cura demandata sit. Qui si desit, en ordo ex Rituali: *Si adsit Sacerdos Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminæ*. Sed ex eodem Rituali hic ordo invertitur: tum si id pudor exigat; tum si unus præ alio melius baptizare sciat. Item ex jure Canonico prohibentur pater et mater propriam prolem baptizare, si alii adsint. Item si adsit Sacerdos, sed excommunicatus, in

¹ Act. viii, 38 et 12.

² Can. *Diaconos* xiii, dis. xiiii. — Epistola S. Gelasii I ad Episcopum Lucaniæ. — Concilium Illiberitanum, etc.

³ Quæ necessitas neque debet esse extrema, sed sufficit gravis et rationalis, ut infirmitas Parochi, absentibus aliis Sacerdotibus, multitudo baptizandorum, vel Parochi assistentia ad infirmos, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 416.

⁴ 3 p., q. 67, a. 1. — ⁵ Dial. advers. Lucif.

⁶ *De Bapt.*, c. vii.

veriori sententia postponendus est; cum uti putidum membrum habeatur.

536. Docent autem communiter et verius laicum peccare graviter, si baptizaret, præsente Sacerdote, etiam in necessitate sine legitima causa; cum Sacerdoti commissum sit ex potestate Ordinis baptizare. Si laicus autem baptizaret sine causa, præsente Diacono, qui non habeat commissionem, utrum adhuc ille peccet graviter, disputant; cum Diacono hoc jus non competat, nisi ex ipsa commissione. Si vero laicus, præsentibus aliis Clericis inferioribus baptizaret, recte aiunt id non esse mortale; cum sit tantum aliqualis indecentia.

Qui vero cum non sit ordinarius minister, publice tamen baptizat, peccat graviter; quia usurpat jus alienum in re gravi. Imo Clericos Diaconatu inferiores certum est ex jure fieri irregulares, si id temerarie audeant¹: quod aiunt communissime currere etiam de Diaconis, non interveniente delegatione, quia tunc nullum ipsis competit jus. Hanc tamen pœnam communius et probabilius non incurunt laici; quia textus loquitur de Clericis tantummodo.

Dices: Jus baptizandi non est nisi sequela juris docendi ex illis Christi verbis: *Euntes docete, baptizantes, etc.*². Sed solis Apostolis eorumque successoribus jus prædicandi tribuit Christus; ergo et baptizandi. Hinc non constat ex Scripturis a laicis fuisse unquam administratum baptisma.

R. Utique ordinarii baptismi ministri soli sunt Episcopi et sacerdotes, quibus etiam competit jus publice docendi. Verum sicut laici privatim, (præcipue deficiente presbytero) docere possunt, prout id præstiterunt Aquila et Priscilla³; ita possunt etiam privatim cogente necessitate baptizare. Ex silentio autem Scripturarum, id unum colligi potest, ad traditionem esse recurrendum; traditio autem utriusque ecclesie græcæ et latinæ fidem facit hac de re, ut videre est apud Knoll. Quamquam non desunt, qui contendunt Ananiam a quo Paulus, et fratres a quibus jussu Petri, Cornelius cum sua domo baptizati sunt, fuisse laicos (0).

¹ Decr. Greg., l. V, t. XXVIII, de Cler. non ord. V. Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 117.

² Matth. xxviii, 29. — ³ Actor. xviii, 26, etc.

537. Q. 2. *Quandonam et quo loco Baptisma debet ministrari?*

R. Ad 1: Infantibus quo citius fieri potest Baptisma est ministrandum; et graviter peccat qui per multum temporis spatium differt. Id commune est ex pluribus Conciliis Provincialibus; Rituale vero sic habet: *Parochus hortetur ne pueris Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis*. Sane, uti observat Catechismus R., infantes infinitis pene periculis obnoxii sunt: aliunde præstat eos citius a potestate dæmonis liberare. Qualis autem reputetur dilatio gravis, dicunt communius et probabilius eam non esse talem, nisi 10 vel 11 dies excedant. — Plures synodi (ut Novariensis pag. 78) præcipiunt, ut non protrahatur ultra triduum sine peculiari licentia Ordinarii. Imo parentibus ceterisque, quorum ea cura sit, excommunicationis pœnam minantur, si id negligant ultra octiduum.

Diximus *infantibus*: adultis enim Baptisma bene differri potest, uti docet Angelicus¹, ut sic plenius instruantur. Imo præstat, ut taliter baptizandi sese Episcopo sistant, nisi adsit vitæ discrimen².

R. Ad 2: Cum locus ordinarius Baptisma conferendi sit Ecclesia, et quidem Parochialis, vel alia ubi jus fontis est, generatim loquendo in illa debet Baptisma administrari: et peccaret mortaliter qui sine necessitate contrarium faceret; cum agatur de re gravi. — Diximus 1: *Generatim loquendo*: excipitur enim, si adsit periculum infamiæ in parentibus, aut alterius damni gravis; vel si infans sit filius Regis vel Principis³, aut ab ipsis descendens, qui etiam potest domi baptizari solemniter⁴: *Dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta*, ex Rituale; 2. *sine necessitate*; ea enim urgente, debet infans domi baptizari, ne periculum subeat sine Baptismo moriendi⁵.

¹ 5 p. q. 68, a. 5. De tempore et loco V. Benedictus XIV, *Notifikatione* xxviii.

² Hoc monet et etiam Synodus Novariensis, pag. 81.

³ Clem. unica, *De Bapt.*

⁴ Glossa in Clem. cit. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 18.

⁵ Sunt hujusce periculi signa præcipua: 1. si puer oriatur sine vagitu et

538. Q. 5. *Quoties Baptisma potest eidem ministrari?*

R. Cum Angelico: *Dicendum, quod Baptismus iterari non potest: 1. quia Baptismus est quædam spiritualis generatio;... et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio... 2. quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitæ; Christus autem semel tantum mortuus est: et ideo Baptismus iterari non debet;... 3. quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis;... 4. quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum: et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus¹. Hinc nullus est Baptismus iteratus: et qui temere baptizat jam valide baptizatum, aut qui jam baptizatus scienter iterum Baptismus suscipit, grave committit sacrilegium et irregularitatem incurrit².*

*Quid dices, si quis temere rebaptizet quidem, sed addat conditionem: Si non es baptizatus? — R. Qui sine causa sub conditione rebaptizat, mortaliter peccat nec excusatur a gravi sacrilegio, inaniter Sacramentum usurpando. Utrum vero incurrat etiam irregularitatem latam in jure contra rebaptizantes, quæstio est: alii cum gravi fundamento negant; nam qui sub conditione baptizat jam baptizatum non vere rebaptizat; at leges poenales strictè accipi debent et cum effectu: sane qui baptizat baptizatum sub conditione si non es baptizatus, is revera non rebaptizat, quia conditio apposita actum invalidat. Et ob eandem rationem censent non incurrere irregularitatem qui ob metum baptizaret jam baptizatum animo simulato. Alii (et hoc videtur probabilius spectata auctoritate) affirmant; nam Catechismus R. reprehendens qui in Ecclesia sub conditione rebaptizant pueros, quamvis certi sint eos jam domi rite fuisse baptizatos, sic inquit: *Sine sacrilegio id facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* Ita etiam statutum fuit a D. Carolo Borromæo in Concilio Mediolanensi III. Nec deest ratio; quando enim quis scit certo puerum jam valide esse baptizatum et rebaptizat sub conditione, conditio pueriliter ac malitiose apponitur, et ideo merito habetur pro non apposita. Sed baptizare sine conditione et*

lacrymis; 2. si modice respiret; 3. si appareat lividus præsertim in facie aut capite; 4. si nascatur post multum laboris obstetricis; 5. vel ante septimum mensem; 6. si cranium habeat valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas.

¹ 5 p., q. 66, a. 9.

² C. ex Litterarum II, De apost. et reiterantibus Bapt.

sine causa inducit irregularitatem; ergo etiam rebaptizare sine causa et sub conditione in eo casu. Imo Benedictus XIV citat pro hac sententia declarationem S. Concilii Congregationis¹.

Si tamen adsit causa, neque peccet sub conditione rebaptizans, imo laudabiliter agit; per conditionem enim et proximo et Sacramento consulit². Cum tamen temere rebaptizare sit mortale ex suo objecto et in genere sacrilegii; iccirco attente videndum est, an adsit vera causa, id est non leve, sed grave et prudens dubium de valore Baptismi jam prius collati, sive sit juris sive facti³.

Qua in re notandum: — 1. ad probandam Baptismi collationem sufficere unum testem ocularem, probum et fide dignum, sive masculus sive sit femina⁴. Neque enim hic periculum deceptionis est: quod utique timeri potest in ceteris rebus humanis, in quibus vel acceptio personarum vel aliquis lucri spes unum testem nonnunquam valet facile corrumpere; — 2. Baptisma præsumi jam collatum, si sermo sit de adultis, qui nati sunt a parentibus catholicis, et inter catholicos educati; tametsi nullum extet in libris Baptizatorum accepti Baptismi testimonium, nisi graves adsint conjecturæ in contrarium⁵; — 3. baptizandum sub conditione adultum, qui ab infantia raptus fuerit a barbaris; nec certo scitur, an aliquando fuerit baptizatus⁶; — 4. quoties est iterandum Baptisma adultorum catholicorum, secreto est fa-

¹ De Syn., l. VII, c. vi; et Notificatione LXXXI, Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 122.

² Quando publice renovatur Baptismus dubium (ut fit, cum hæretici convertantur), rationabiliter dicit Continuator Tournely conditionem exprimendam, ne adstantes credant Baptismus absolute reiterari contra legem Ecclesiæ. — V. Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 29.

³ Dubium juris est, quando constat Baptisma fuisse collatum cum materia vel forma vel intentione dubia. Dubium facti quando dubitatur sive positive sive negative, an Baptismus datus sit an non. In utroque dubio debet minister rebaptizare sub conditione: *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse rebaptizandos*, inquit Concilium Carthaginense V (c. Placuit III, De consecr., diss. IV). — V. Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 122.

⁴ Glossa in c. Cum cxii de cons. d. 4; et Nuper II, Decr. Greg., l. II, t. XX, De test.

⁵ C. Veniens IV de presb. non bapt. — V. Careno, Delle regole, ecc., Esame XXI.

⁶ C. Parvulos d. 4 de cons.

ciendum ad evitanda murmura; et quidem sine præjudicio matrimonii (quod semper subsistit), si forte eo ligatus sit ille, de cujus Baptismo dubitatur¹. Ceterum consulendus Episcopus, uti in omni gravi re fieri semper debet.

539. *Quomodo se gerere debet minister cum infantibus expositis?* Si expositi sunt sine ulla schedula testante de Baptismo collato, consentiunt omnes eos baptizandos esse sub conditione. Imo licet schedulam habeant, sententia verior et communior adhuc tenet baptizandos esse sub conditione, nisi ea talis sit, ut certitudinem pariat, v. g., si a Parocho noto scripta sit vel subscripta; alias semper remanet prudens dubium de valore. Ita Benedictus XIV², qui affert Concilium Mediolanense III, ac declarationem S. C. C.

« Ce que nous disons des enfants exposés, addit Gousset (Du Baptême, *Théolog. Mor.*, tom. II, n. 89), s'applique naturellement aux enfants que les vagabonds laissent dans les lieux où ils passent, lors même que ces enfants seraient âgés de deux, de trois, de quatre ou cinq ans et plus, si on n'a pas de preuves certaines qu'ils ont été baptisés; car la plupart des vagabonds vivent sans foi, sans religion; et souvent ils n'osent porter leurs enfants à l'église, de crainte qu'on ne les interroge sur leur croyance ou qu'on ne découvre leur libertinage. »

540. Quoad infantes jam Baptizatos ab obstetrice vel ab alio laico, monet S. Carolus: *Si, re accurate investigata, Parochus exploratum habuerit puerum, forma servata, baptizatum esse, caveat omnino, ne tunc sub conditione baptizandi formam adhibeat*³. Quæ investigatio circa quatuor maxime versatur: 1. quam formam pronuntiaverit; 2. quam et quantam aquam et ubi infuderit; 3. an simultate morali et formam protulerit et abluerit; 4. quam habuerit intentionem.

¹ S. C. C. 21 dec. 1755. — V. Girardi, *Expositio juris Pontificii*.

² *Notificatione LXXXIV*. Parochi et Syndaci est expositorum curam gerere, eosque ad hospitale mittere. Vid. Pro regno Pedemontano, *Instruzione per l'amministrazione dei Comuni*, primo aprile 1858, §§ 55 et seqq. Et alia Instruct. postea data, quæ in Archivio Parochiali asservantur.

³ *Instructio, De Baptismo*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 155 et 156.

541. *Quid de pueris, quos constat baptizatos fuisse ab hæreticis?*

R. De fide est valere baptismum collatum ab hæreticis, si omnia requisita ad Sacramenti naturam adhibentur. Verum merito dicunt præstantiores Theologi baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos saltem sub conditione; gravissima enim urgent motiva (nostra præsertim ætate) dubitandi de valore talis Baptismi; quia constat facile nunc ab hæreticis violari vel materiam vel formam¹. Nam cum ipsi putent hoc Sacramentum non esse absolute necessarium, ideo parum curant de eo rite conficiendo².

542. *Quid (quæres postremo) agere debet Parochus, si pro certo advertat plurimos fuisse ab obstetrice vel ab alio invalide baptizatos?*

R. Cum Voit: Parochus poterit facile remedia adhibere, si invalide baptizati adhuc sint in tenera ætate; eos privatim ad se vocet, et tanquam iis volens benedicere, frontem aqua baptismali ad hoc parata, vel in ejus defectu, aqua lustrali aspergat largiter, et insuper pollice bene madefacto signo crucis muniens clam pronuntiet formam baptismalem. Res difficilior est, si agatur de adultis, quorum Baptismus renovari non potest sine admiratione ac scandalo. Voit idem facere docet quod de pueris; Layman vero vult, ut occulte admoneantur, et occulte baptizentur. Verum in hac re consulendus Episcopus, ut pro circumstantiarum varietate provideat.

Quæ maxima inconvenientia, ne eveniant, monet Rituale: *Curare debet Parochus ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servant*. Verum ista diligentia in hoc Sacramento summæ necessitatis raro (proh pudor) adhibetur, obstetrices nec instruendo, nec examine probando circa illa omnia, quæ non modica

¹ Quia autem hic posterior Baptismus datus sub conditione non sit certus, cum prior possit esse validus, hinc est dubium, an remittat peccata post primum Baptismum commissa. Hæc igitur hæreticus ad gremium Ecclesiæ rediens tenetur confiteri et ab eis absolvi sub conditione, *si capax es*. Quæ conditio respicit dubiam validitatem primi Baptismi, quando datur absolutio ante iterationem Baptismi: respicit vero materiam absolutionis, si hæc conferatur post iteratum Baptisma: hoc secundum melius fit. *Bouvier*.

² Qui moriuntur cum dubio de validitate Baptismi, in loco sacro sepeliuntur; post factum enim recte supponitur factum quod erat de jure faciendum. Est Canonistarum doctrina. — V. Pavone, *Spicilegio Canonico*, ecc., n. 515.

sunt, et ad rite conferendum Baptismum in casu necessitatis inserviunt¹. Quare Synodi fere omnes² post S. Carolum³ ac Benedictum XIV (uti Synodus Novariensis) merito ac graviter præcipiunt, ut Parochi eas, quæ obstetricam artem exercent, bene instruant, illis insuper aperiendo difficiles casus, qui in Rituali notantur et evenire possunt. — Quia tamen obstetrices ex officio non habentur ubique, ideo tunc curare debent, ut nonnullæ integerrimæ ac prudentes mulieres ad hoc munus deputentur; quæ tamen singulo biennio accurate sunt examinandæ, et semper monendæ, ut duas saltem præter infantis matrem personas, si fieri possit, Baptismo adesse curent, quæ modum, quo res tota agitur, animadvertant, ut sic fidem facere possint⁴. Imo tenentur Parochi omnibus suis parochianis diligenter explicare quæ ad Baptismum pertinent, etiam vernaculo sermone; quia evenire potest, ut occurrente inopinato casu, illud ministrare debeant.

543. Hæc insuper specialiter observare debent Parochi, vel qui vires gerunt, ex eadem Synodo Novariensi:

1. Ut quando agitur de Baptismo jam privatim collato, attente perpendant utrum rite collatus sit. Imo quoties ipsis infans baptizandus exhibetur, toties inquirent, an domi fuerit aqua tinctus. Iis autem qui ab Ecclesia procul distant, suggerant, ut cum puerum baptizandum deferunt, aquam secum gestent, si qua forte necessitas baptizandi extemplo urgeat.

2. Ut fontem baptismalem decenter ornatum et bene communitum teneant, ita ut aqua lustralis servari possit nitida pro toto anni cursu, ac singulo quoque anno renovetur. Parochi autem sive ad sacri fontis benedictionem Sabbato sancto et Sabbato Pentecostes peragendam, sive ad accipiendam novam Oleam, eam Ecclesiam adire debent quæ sibi jure vel consuetudine adsignata fuit; si quæ autem ipsi detineantur impedimento, nunquam laicis Sacra Olea deferrenda committant.

3. Ut feminas gravidas interdum monent de omni cura habenda fœtus, quem utero gerunt, ut caveant tam a sarcinis immodicis vendendis, quam a ducendis choreis aliisque similibus, quæ fœtui nocere possint.

4. Ut mulieres post expletos puerperii dies, sese templo sistant pro benedictione suscipienda, quæ a solo Parocho (excluso quocumque Sacerdote ab ipso non deputato), et in ipsa Ecclesia tradenda est. Item caveant a decumbendo cum infante in lectulo sine sufficienti repagulo, ob periculum suffocationis: est casus reservatus.

¹ V. Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. vi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 137.

² Ita Baruffaldus, *Comment. in Rituale*. — V. Ferraris, *vº Obstetrices*.

³ *In Actis Eccl. Mediol.* — ⁴ *Notificatione viii.*

5. Ut sæpe commemorent parentibus officia erga liberos, et fidelibus omnibus sponsiones et obligationes Baptismi suscepti. Quam in rem animadvertant festum Circumcisionis assignari pro dictis sponsionibus renovandis publice in Ecclesia; et summopere commendari, ut functionem hanc sancte et religiosissime peragant, non ommissa mentione Indulgentiæ plenariæ a Pontifice Pio VII concessæ (pag. 79 et seqq.).

CAPUT QUARTUM

DE BAPTISMI SUBJECTO

544. Q. 1. Quodnam est Baptismi subjectum¹?

R. Subjectum baptismi dicitur quisquis est capax et idoneus ad illum recipiendum: talis est omnis et solus homo vivus ab Adamo descendens, et nondum baptizatus sive adultus sive infans: — 1. *omnis homo vivus*; ideo etiam jam in utero sanctificatus, tum ut fiat Ecclesiæ membrum; tum ut Christo configuretur per characterem; tum ut sit capax aliorum Sacramentorum. Hinc et B. Virginem Baptisma suscepisse docent Vasquez, Sotus, etc.²; — *solus homo vivus*: mortui enim frustra baptizantur. Nam ex una parte cadaver non est capax generationis spiritualis: ex alia mortuus est extra statum vitæ. Est contra veteres hæreticos Cerinthianos, Cataphryges³, etc.

Item inutiliter baptizantur vivi pro mortuis. Nec obstat illud: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt*⁴? Apostolus hic vult demonstrare tantum veritatem futuræ resurrectionis ex errore aliquorum, qui viventes pro mortuis rebaptizantur. Quorsum enim hoc

¹ V. *Istruzione pratica utile sia per la retta amministrazione del Sacramento del Battesimo sia perchè si conferisca a quanti maggiormente si possa*. Vercelli, 1833. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 121 et seqq.

² Aliis tamen placet Virginem excipere; cum Baptismi susceptio videatur injuriosa eximie ejus sanctitati. Hac de re V. Trombellius, *Mariæ SS. vita et gesta*.

³ V. *Bible de Vence*, vol. VI, dissert. Sur le Baptême pour les morts.

⁴ I Corinth. xv.

faciebant? utique quia resurrectionem credebant. Hunc tamen usum non ideo approbat Apostolus.

545. Q. 2. *An recte baptizentur parvuli?*

R. Storchius primum Lutheri discipulus, dein anabaptistarum parens sæculo XVI docuit invalide baptizari infantes, utpote fidei actualis incapaces, ideoque factos adultos noviter esse baptizandos: quam doctrinam amplexati sunt Servetus, sociniani et arminiani. — Erasmus vero contendit interrogandos esse pueros cum ad annos discretionis pervenerint, ratum ne habeant quod susceptores illorum nomine polliciti sunt; et si ratum non habeant, ad fidem non esse cogendos. Hoc ipsum adoptavit Lutherus, et omnes protestantes in praxim deduxerunt, eamque interrogationis caremoniam *confirmationem* appellant. — Sunt denique qui contendunt pueris permittendum esse, cum adoleverint, fidei examen, ne entusiasmo, ut aiunt, seu fanatico credere videantur.

Contra hosce omnes:

Dicimus 1. : de fide est recte baptizari parvulos, licet actum credendi non habeant. Hoc satis insinuant Scripturæ verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*: nemo porro dixerit Christum a Regno Dei excludere voluisse infantes. Hoc ratio firmat; nonne infantes sunt capaces effectus baptismi, remissionis scilicet peccati originalis et interioris regenerationis et innovationis? ergo etiam baptismi capaces censi debent. Idque comprobatur perpetua constantique Ecclesiæ praxi; hujus testis est S. Irenæus Polycarpi discipulus, qui fuit Joannis Apostoli auditor¹, Origenes², Cyprianus³, etc. Unde Augustinus de parvulorum Baptismo scribit: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide suscepit, hoc usque in finem perseveranter custodit*⁴. — Quare merito Tridentinum: *Si quis dixerit parvulos, eo quod credendi actum non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam*

¹ L. II, *Contra hæres.*, c. xxii. — ² Epist. ad Rom.

³ Epist. lxx. — ⁴ Ser. x, *De ver. Apost.*

*eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*¹. Iterum declaravit: *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit*². Christo sane non fuit necessarius Baptismus uti infantibus ex Ada progenitis, scilicet in peccato; Christus enim libere et humilitatis gratia illum suscepit. Hinc consuetudinem, quæ sæculo IV et V inoleverat nonnisi ad seram ætatem suscipiendi Baptismus, Ecclesiæ et Patres semper improbarunt.

Dicimus 2: *Parvuli baptizati, cum adoleverint, interrogandi non sunt, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderent, non sunt suo arbitrio relinquendi; nec sine anathema erit asserere quod non sint alia interim pœna ad christianam vitam cogendi, nisi ut ab eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant.* Est de fide assertio, cum totidem verbis sit a Tridentino contra protestantes definita³. Sane lex naturæ clamat, ut qui a maximo liberatur malo, uti est mors sempiterna, maximoque donatur bono uti est salus æterna, illam debeat adimplere conditionem, sub qua utrumque collatum est. Nonne ita se gerit politica societas respectu eorum, qui in ea nascuntur, ut nempe eos tanquam subditos sibi obstrictos habeat? — Neque obstat, quod pueris sic onera imponantur, quin scienter ea acceptaverint: nam hic non agitur nisi de eorum anticipatione, cum statim ac adolescunt, ea teneantur suscipere; lex enim Evangelii, lex salutis, omnes respicit. Unde libet cum Augustino exclamare: *Felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit*⁴.

Infantes ergo baptizati, cum adolescunt non tantum de fide respondere debent, sed de præceptis Ecclesiæ, juxta illud Tridentini: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit*⁵.

¹ Sess. vii, *De Bapt.*, can. xiii. — ² Sess. vii, can. xii.

³ Can. xiv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 127 et n. 132.

⁴ V. Nat. Alexander, *Hist. Eccles.*, dissertatio xiii, in sæc. XI et XII. — Perrone, Knoll, etc. — ⁵ Can. vii, sess. vii.

Opponunt: *Christus Joannis vi ait*: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam aeternam: Porro sicut ex istis verbis nemo colligit parvulis esse necessariam eucharistiam; ergo pariter ex aliis Joannis iii: Nisi quis renatus fuerit, etc., baptismi necessitas argui nequit.

R. Non tenet paritas; verba enim quae leguntur Joannis iii generalia sunt, nec mandatum solum continent, sed medium ad ingressum regni caelorum; contra vero quae habentur Joannis vi vere mandatum continent, ideo in persona secunda enuntiata sunt. Priora item verba patefaciunt necessitatem baptismi ad novam vitam inchoandam, qua quidem indigent omnes omnino qui in Adamo mortui sunt, ideo et infantes; posteriora vero ad vitam jam acceptam conservationem, augmentum et reparationem tantummodo, qua quidem non nisi adulti indigent. Et en quare intermissa fuerit temporum decursu porrectio eucharistiae infantibus, nunquam autem baptismi administratio.

Addes: *Christus vult homines prius doceri, postea baptizari*: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.; sed infantes non possunt instrui; ergo nec debent baptizari. Ad rem proinde in supradicta verba scribit Hieronymus: Non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante animam fidei receperit veritatem¹.

R. Duo hic Christus praecipit docere et baptizare, quin tamen haec mandata ita conjungeret, ut unum sine altero observari non possit: sic cum baptizatis adultis servatur primum, quia baptismum non amplius indigent; cum non baptizatis infantibus servatur secundum, quia nondum usu rationis donati instructionis sunt incapaces. Et ita verba Christi tota semper intellexit Ecclesia. — Divus autem Hieronymus loquitur in citato loco de adultis qui utique doctrina ad baptismum sunt disponendi; non vero de parvulis; cum graviter moneat parentes in epistola ad Laetam, ut eos curent statim et sine mora baptizari. Quamquam illud docete juxta graecam vocem non tam docere, quam discipulos facere significat; quod porro fit per baptismum, per quem etiam ipsi infantes Ecclesiae aggregantur.

Urgebis: *Ut serviat baptismus, baptizandus est interrogandus, juxta illud D. Petri*: Salvos facit baptismus, non carnis depositio sordium; sed conscientiae bonae interrogatio in Deum². At infantes interrogari non possunt, nec se interrogare.

R. Alii volunt loqui Petrum de conscientia bona apud Deum post baptismum; sane solum baptismum non salvat, nisi sequatur vita bona. Alii dicunt ipsum loqui de adultis peccatoribus qui se mundare debent

¹ In Matth. xix. — ² I Petri iii.

ad utiliter baptismum suscipiendum. Sed demus loqui etiam de parvulis: en responsio Angelici: *Puer sicut cum baptizatur, non credit per seipsum, sed per alios; ita non per seipsum sed per alios interrogatur, et interrogati consentitur fidei Ecclesiae in persona pueri, qui fidei aggregatur per fidei Sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu per gratiam sanctificantem¹.*

546. Q. 5. *An infantes monstruosi sint baptizandi?*

R. Si ita sint monstruosi, ut non hominis formam referant; sed plane bestialem, non sunt capaces Baptismi. Quod si in capite saltem et pectore hominis formam habeant, baptizandi utique erant. Si vero caput tantum sit ferinum, differendum erit Baptisma, donec certius res cognoscatur consulendo Episcopum. Quod si adsit periculum mortis; erit conferendum sub conditione: *Si es capax, vel: Si es homo, ego te baptizo*. Ita recte Rituale R. et S. Carolus, ne forte pereat qui salvari potest.

Quid (inquires), *si infans membra hominis habeat geminata?* Si unum sit caput et unum pectus, licet quatuor sint brachia vel pedes, unum est individuum completum; ideo unum tantum dandum est Baptisma. Si vero duo sint capita et duo pectora, duo judicantur individua; et ideo duo sunt danda Baptismata. Si duo essent capita et unum pectus, datur absolute unum Baptisma super unum caput; aliud vero conditionate super caput secundum, dicendo: *Si tu es alius homo*. Si tandem unum sit caput et duo pectora, primo est baptizandum caput absolute; dein infunditur aqua super duo pectora simul, cum intentione non adhuc baptizatum abluendi, dicendo: *Si alius es homo, ego te baptizo, etc.*; Rituale.

547. *Quid (addes) de fetu abortivo?* Fœtus abortivus, qui scilicet ab utero egreditur ante tempus partus destinatum et immaturus, utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitae, absolute baptizandus est, ut omnium est sententia. Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis et vitae, fœtus baptizandus est sub conditione: *Si es homo*. Item dicendum est de infirmi productione, nisi manifesta putrefactionis, decompositionis vel desorganizationis signa jam

¹ 5 p., q. 68, a. 9.

exhibeat : idque hodie præsertim, cum vigeat et fundata sit peritorum opinio, factum nempe illico a conceptione animari¹. *Quot fœtus, ait Roncaglia, abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, et corpus licet informe, esset decentius tumulandum ! Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit expellere ignorantiam? nonne Parochis²?*

548. Q. 4. *An recte baptizentur filii, invitis parentibus?*

R. Certum est contra Catharinum et Durandum tale Baptismum validum esse, ut probat Benedictus XIV Instructione *Postremo mense*; non enim, ut ait Augustinus, *scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.³; hoc Baptisma esse etiam licitum, si agatur de filiis christianorum, quippe qui Ecclesiæ legibus subjiuntur⁴. — Quod si agatur de infidelium filiis, utrum licite, invitis parentibus baptizentur, affirmat Scotus; ideo quia Christus generaliter jussit baptizari omnes gentes. Verum communior et in praxi tenenda sententia, quam defendunt Thomistæ, docet *generatim loquendo* filios infidelium illicite baptizari, si eorum parentes sint vel censeantur fore repugnantes, quamvis aliunde Christianis Principibus civiliter subjiuntur. Etenim baptizati vel subducuntur a parentibus, et eis fit injuria; nam *de jure naturæ est quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris*⁵: vel relinquuntur

¹ Si contingat abortum fieri, curam fœtus ne negligant matres, sed eundem licet vita carere videatur, statim baptizent, saltem sub conditione *si vivis, ego te baptizo*, etc. Postea mundent os infantis et linguam a crasso mucorè; sufflent in os infantis et sic motum cordis animare nitantur, lavent prolem vino tepente aqua mixto et leniter fricent: scilicet spes vitæ tunc tantum abest ex integro, si fœtus jam incœpit abire in putredinem. Ita Manuale diœces. Brix., apud Stapf, § 484.

² V. Debreyne, *Essai sur la Théologie*, etc., p. III. — *Embryologie sacrée*, c. viii, l. I. — P. Hieronymus Florentinus, *Homo dubius seu de abortivis baptizandis*: de quo opere egregio vid. *Analecta juris Pontificii*, anno 1861: du Baptême, c. iii.

³ Epist. xcvm. — V. Tournely, Berti, Sardagna, Perrone, etc.

⁴ Gousset, *Théol. Mor.*, n. 81, *De Baptismo*, neque quoad Christianos parentes id facile concedit, si impii renuerent omnino, ad scandala cavenda.

⁵ S. Thomas, 2, 2, q. 10, a. 12. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 126 et seqq.

penes eosdem, et fit injuria Sacramento; cum illud exponatur irreverentiæ. Christi autem præceptum intelligi debet, salva reverentia Sacramenti, et jure naturali parentum in prolem suam.

Firmatur præcipue ex praxi Ecclesiæ et consuetudine, quæ (dicente Angelico), *maximam habet auctoritatem, quæque semper est in omnibus æmulanda, quia ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit quod judæorum (aut gentilium) filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Episcopi sanctissimi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere* (ut nempe tales filii contra consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, baptizarentur). Item videndus Benedictus XIV tum Instructione citata *Postremo mense* 28 feb. anno 1747, tum Epistola *Probe te* 15 dec. anno 1751. Imo quoad hebræorum filios adest Constitutio Julii III, qui imposuit delinquentibus suspensionem et pœnam mille ducatorum¹.

Diximus *generatim loquendo*. Nam si christiane ipsi poterunt educari, etiam licite baptizabuntur: — 1. si parentes sint nostra mancipia; tunc eorum filii potius juris sunt, quam illorum; — 2. si parentes fuerint baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter; quia tunc Ecclesia jus habet in eos; — 3. si alteruter parentum petat; quia justa ejus voluntas voluntati injustæ alterius præferenda est in favorem fidei et prolis. Item si, mortuo patre, consentiat avus paternus, etiam matre reluctante; cum apud ipsum sit patria potestas; — 4. si infans sit in certo periculo mortis: tunc enim bono prolis providetur, quin alicui injuria fiat; cum ab omni sit subtrahendus hominum potestate per mortem; — 5. si suæ jam

¹ Pedemontanæ Constitutiones imponunt contravenientibus pœnam 50 scutorum; et in defectu pœnam expulsionis ad triennium in viris, ad sex menses in feminis (lib. I, tit. viii, c. viii). De hoc tamen nihil in novo Codice Pœnali.

compos rationis Baptisma petat ex se; quia in negotio Religionis jam est sui juris: regulariter autem id evenit, completo septennio¹; — 6. si filius sit positus extra curam parentum, uti si esset expositus; tunc illi juri suo censerentur renuntiassent. Item si bello parentes capti sint; nam jure belli captivi sunt victoris; — 7. si pater offerat filium, et postea consilium mutet; jam enim Ecclesia jus acquisisset. Ita Benedictus XIV, plura S. Congregationis Concilii decreta, ac communis Doctorum sensus.

Neque dicas: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus; Deus autem vult, ut omnes baptizentur.* — Utique vult Deus ut omnes baptizentur, sed volentes; at si nolunt parentes, nolunt et infantes, quorum voluntas in patris voluntate censetur inclusa. Quod autem sic parentes abutantur eorum potestate, ideo ea sint expoliandi ab Ecclesia vel christiano principe; id utique verum est, si ea abuterentur in iis, quæ sunt ordinis naturalis, uti si filios necare vellent, quia tunc peccarent contra jus naturale et humanam societatem. At hoc non currit, si abusus sit circa ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, in quo subjecti non sunt neque Ecclesie, quæ potestatem non habet de his qui foris sunt, judicare; neque principi sæculari, cujus potestas ad ea tantum extenditur, quæ naturalis ordinis sunt.

Si tamen proles jam sit, invitis parentibus, illicite baptizata, tunc Benedictus XIV prohibet eam reddere parentibus ob certum periculum perversionis proles et profanationis Sacramenti (P).

549. Q. 5. *Quid speciatim notandum quoad Baptisma adultorum?*

¹ Diximus regulariter; si enim Baptismi petitor jam habeat usum rationis nondum septennis, adhuc baptizandus esset, et a parentibus subtrahendus. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur et Baptismi implorantis capacitas anceps et incerta esset, cavendum est ab eorum sententia qui juxta tritum illud axioma. in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt petentem Baptismum ad hebræos et ad patrem potissimum remittendum. Hujus enim axiomaticæ duntaxat ratio habenda est in causa æquali; nullo vero æqualitas hebræos inter et Christi fideles, ac multo minus inter patrem et filium, quum alter patriæ potestatis jacturam ad breve sustineret, ærumnæ alter gravissimæ provideret hoc est mortem fugeret sempiternam, cujus periculum certe subiret regressus ad infidelium curam ac sub patriam potestatem. Quare tunc differendum sacramentum, sed hic qui postulat retinendus et sic interea informandus, ut idoneus evadat Baptismo postmodum suscipiendo. Ita Benedictus XIV, Instructione Postremo.

R. Adultorum *Baptismus*, ait Rituale Romanum, *ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemniter conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet, statuta cæremonia.* Præstat autem ad aliquod tempus eum differre; tum ad cautelam Ecclesie, ne ipsa decipiatur, tum ob reverentiam Sacramenti, ut sancte administretur; tum ob utilitatem ipsorum baptizandorum, ut plenius instruantur. Diu tamen illum differre esset contra baptizandi charitatem eum tanto bono privando. Antiquitus diversa tempora præscripta fuerunt; nunc res tota Episcopi judicio relinquitur (Q).

Ad validam vero susceptionem Baptismi in adultis requiritur et sufficit intentio saltem habitualis, id est habita et non retractata baptismum suscipiendi¹. Hinc inferitur: 1. Baptisma ex metu gravi susceptum licet dedeceat (nam ut ait Tertullianus, *non est Religionis cogere Religionem*); tamen valere, quia sufficienter voluntarium: et suscipitur Sacramentum, quamvis non res Sacramenti. Hinc Concilium Tolentanum IV validum declaravit Baptisma Judæorum, quibus a Sisebuto in Hispaniis propositum fuit, vel ut Baptisma, vel ut cruciatus eligerent; electio enim voluntaria fuit, cum vere voluerint Baptisma ad cruciatus vitandos; 2. validum esse Baptisma collatum dormienti vel amentis, qui sui compos antea petierit. In dubio de petitione, Baptismus, urgente casu, conferendus est sub conditione: *Si es capax, etc.*

Ad licitam autem Baptismi susceptionem in adultis requiritur præter intentionem: — 1. fides: nam *sine fide impossibile est placere Deo*²; — 2. timor Dei; nam *qui sine timore est, justificari non poterit*³; — 3. spes justificationis: secus fictitia esset illius voluntas; — 4. initium amoris Dei: impossibile enim est, ut eum non incipiamus diligere, a quo bonum

¹ V. De Sac. in genere, disp. I, c. 1. — Liguori, Op. Mor., l. VI, n. 159.

² Hebr. ut. Requiritur nempe, ut sciat Sacramenta (saltem Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam), præcepta Decalogi, saltem crasso modo; et orationem Dominicalem; ultra quatuor illa scitu omnino necessaria, id est Dei existentiam, Deum remuneratorem esse, Trinitatem et Incarnationem, Passionemque D. N. J. C. In urgente autem periculo mortis, sufficit scire hæc quatuor ultima.

³ Eccli. 1.

speramus; — 5. propositum christiane vivendi; secus nugatoria esset Satanæ renuntiatio, factaque Deo promissio; — 6. pœnitentia, juxta illud: *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum*¹. Excipe si quis solum originale haberet; nam neminem pœnitet, nisi de voluntariis voluntate sua. Verius autem tradunt sufficere attritionem; cum enim Baptismus ad delenda etiam actualia ante ipsum commissa sit institutus, si præexigeret contritionem, quæ operit multitudinem peccatorum², præexigeret effectum, ad quem producendum est institutus. Ad rem Angelicus: *Ad hoc quod homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio*³. Hinc versus:

*Crede, time, spera, tibi sit delectio cœpta,
Propositum atque dolor, si abluï, adulte, cupis.*

CAPUT QUINTUM

DE BAPTISMI EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS

550. Q. 1. *Quinam sint effectus Baptismi?*

R. Effectus Baptismi est: — 1. remissio plena peccatorum omnium tum originalis, tum personalium actualium, si quæ commissa fuerint: est contra manichæos, messilianos, lutheranos, calvinianos ceterosque protestantes. Ait enim Scriptura: *Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: quicumque baptizati estis Christum induistis*⁴. Hinc omnes renati in Baptismate appellantur passim *innocentes, immaculati, puri, innoxii, facti Deo dilecti, hæredes Dei, cohæredes Christi*; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur⁵. Hinc Ecclesia publice canit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Concordant Patres: Justinus, Cyprianus, Origenes,

¹ Act. ii. — ² Jac. v. — ³ In 4, d. 6, q. 1, a. 3.

⁴ Rom. viii, et Gal. iii. — ⁵ Rom. vi.

Nazianzenus, Nyssenus, etc. Sit pro omnibus D. Augustinus: *Baptismus abluï peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt; sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur*¹.

Et decretorie Tridentinum: *Si quis per Jesu Christi Domini Nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus*².

2. Est condonatio cujuscumque pœnæ peccatis antea commissis debitæ, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur, ut idem habet Tridentinum. Hoc ipsum tradit Florentinum in decreto pro Armenis; et sane æquum est, ut qui ad vitam novam renascitur, nihil habeat de veteri. Firmatur ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ erat nullam pœnitentiam satisfactoriam imponendi adultis baptizatis, etsi ante baptismum magnis criminibus irretitis. Quod si quandoque catechumenis ante baptismi susceptionem opera pœnitentiæ imponebantur, id factum est, ut melius disponerentur ad ipsum baptismum: hinc in mortis articulo illico baptizabantur, etsi nondum expleta pœnitentia; nec si postea convalescebant, illam cogebantur resumere.

Non tamen liberat a malis vitæ præsentis, et merito; pœnalitates enim post baptismum remanent, non ut homo per eas pro peccatis ante baptismum admissis satisfaciat; sed ut eas perferendo mereatur merecedem laborum, virtutem perficiat, ac Christo conformetur. Ratio vero, ob quam sublato originali peccato quod est causa, adhuc remaneant pœnalitates quæ sunt effectus, est quia sanata quidem est persona, non autem revocata ad pristinam integritatem sauciata natura.

3. Collatio ex opere operato tum gratiæ sanctificantis tum gratiæ sacramentalis. Primo *gratiæ sanctificantis*; neque enim nisi per illius infusionem delentur peccata: unde bene

¹ L. III, c. *Duas Epist. Pelag.*, c. iii. — ² Sess. v, can. v.

ait de baptizatis Apostolus : *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*¹. Pulchre vero Nazianzenus : *Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio*² : quæ porro nonnisi de gratia immanenti per modum utique habitus, seu de gratia sanctificanti prædicari possunt. — Secundo *gratiæ sacramentalis*, ad rite nempe Christiani munia obeunda, cum ideo sit Baptisma institutum.

4. Capacitas tum alia Sacramenta suscipiendi, tum de aliis Ecclesiæ bonis participandi; baptizatus enim sit *civis Ecclesiæ, frater Christi, cohæres, membrum illius, templum et organum Spiritus sancti*, sicut ait D. Chrysostomus³. Huic tamen respondet obligatio leges Ecclesiæ observandi; siquidem homo per baptismum fit Ecclesiæ subditus.

5. *Characteris impressio* (ex dictis de Sacramentis in genere) : quo quidem baptizatus Deo consecratur et ejus servitio æternæ mancipatur. Sicut enim milites regi, cujus notam seu tesseram gerunt, inservire tenentur; ita etiam baptizatus per indelebilem characteris ob signationem Deo in æternum consecratus manet⁴.

6. *Cognatio spiritualis*, at jure tantum Ecclesiæ ex dicendis de matrimonii Sacramento (R).

¹ I Cor. vi. Etsi olim disputatum fuerit circa modum, uti constat ex Concilio Viennensi; nunquam tamen dubitatum fuit circa veritatem hujusce infusionis.

² *Orat. xi.* Simul autem cum sanctificante gratia infunduntur non tantum dona Spiritus sancti et virtutes Theologicæ, ut eruitur ex Tridentino (sess. vii, c.); sed etiam ceteræ virtutes morales, uti habetur in Catechismo rom. Firmatur auctoritate Clementis V, qui in Concilio Viennensi hanc opinionem tanquam probabiliorum et dietis Sanctorum et Doctorum moderatorem Theologiæ magis consonam et concordem sacro approbante Concilio ducit eligendam. — V. Baudrand. *L'Âme élevée à Dieu*, leq. viii.

³ Homil. ad Neophit. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 158.

⁴ V. Klee, *Histoire des dogmes*. t. II, p. 144, ubi pluribus id astruit. Graviter errant qui docent characterem Baptismi consistere vel in lumine fidei, quod per Baptisma in anima infunditur; vel in animæ conjunctione cum Deo, sive in vita animæ ipsius quæ in Baptismate efficitur. Ex hoc enim sequeretur errasse Tridentinum vel cum declaravit characterem

Hi sunt genuini baptismi effectus, non vero quos prædicant novatores, perquam absurdos. quibus Tridentinum totidem dogmaticos canones opposuit sessione VII de baptismo. Nempe canone 6 definit : *Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.* Canone 7 *si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.* Canone 8 *si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Canone 9 *si quis dixerit ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post baptismum fiunt vi promissionis in baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo, anathema sit.* Canone 10 *si quis dixerit peccata omnia quæ post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri, anathema sit.*

551. An (quæres) effectus qui prædicantur de baptismo proprio dicto, conveniant etiam aliis baptismis? R. Quoad alios baptismos notamus :

1. Baptismus Joannis non operatur istos effectus : est contra Lutheranos et Calvinistas, qui tenent Baptismum tum Christi tum Joannis ejusdem esse virtutis; et utrumque operari per solam eos suscipientis fidem. Hinc Tridentinum : *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*¹. Nempe primus ex opere operantis tantummodo penitentiam operatur; alter vero operatur gratiam ex opere operato.

2. Baptismus fluminis (sive votum seu desiderium recipiendi Baptismum verum), si adjunctam habeat perfectam contritionem de peccatis commissis, vices supplere Baptismi, est de fide ex definitione Tridentini². Sane qui diligit, non manet in morte; et qui Deum diligit, a Deo diligitur³ : unde quoad remissionem peccatorum et collationem gratiæ

Baptismi esse indelebilem, vel cum definitivè gratiam Dei et fidem ipsam amitti posse; quo in casu certe amitteretur etiam character Baptismi, si in vita animæ esset constituendus.

¹ Sess. vii, *De Bapt.*, can. i. — V. Bellarminus, *De Bapt.*, c. xxi. — Bible de Vence, dissert., vol. VI : Sur les trois baptêmes des juifs, de saint Jean et de Jésus-Christ.

² Sess. iv, c. iv. — V. Et Innocentius III expresse etiam definit, *decr.* l. VI, t. XLII, c. iv.

³ Joan. xiv. Prov. viii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 96.

baptismus flaminis eosdem effectus producit ac Baptismus aquæ. Non tamen quoad characteris impressionem, et cujuscumque reatus pœnæ remissionem: cum hoc solius sit Sacramenti. Hoc autem Baptismi desiderium sufficit, si sit implicitum, quod nempe continetur in generali dispositione faciendi omnia a Deo præscripta, ut docet D. Thomas¹.

3. Baptismus sanguinis, quasi ex opere operato ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi, remittit culpam, et pœnam; excluso tamen caractere sacramentali. Hinc Innocentius III ait: *Injuriam facit martyri qui orat pro martyre*². — In adultis tamen præter acceptationem martyrii, quæ sit saltem habitualis ex motivo supernaturali, requiritur probabiliter etiam contritio, vel dilectio Dei super omnia. Probatur ex illo Apostoli: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*³. Hæc est Angelici doctrina, qui ait: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate: ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, et non e converso*⁴. Neque martyrium subire importat semper charitatem perfectam habere; nam potest quis velle potius mori, quam novum peccatum committere, sed propter metum inferni tantummodo.

552. Q. 2. Quid de cæremoniis Baptismi?

R. Baptismi cæremonias *vetustate* laudari fatetur ipse Calvinus⁵; *universalitate* præstare, constat ex utriusque Ecclesiæ ritualibus; tandem commendari *sanctitate* ex mysteriis quæ significant, probant passim cæremoniarum expositores⁶. Harum porro aliæ Baptismum antecedunt, ut *nominis impositio, exorcismi*. Aliæ ipsum comitantur, ut *abrenuntiatio Satanæ*, de qua pulchre Augustinus: *Non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis: Renuntio; renuntiate*

¹ 5 p., q. 68, a. 2.

² *Decr.*, l. III, t. XLI, c. vi. Prodest etiam infantibus, ut probat Ecclesiæ praxis, quæ SS. Innocentes ut martyres colit. Unde qui contrarium asseret, habendus saltem ut temerarius.

³ I Cor. xiii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 98.

⁴ 2, 2, q. 124, a. 2.

⁵ Illarum meminit S. Justinus, *Dial. cum Triph.*; Tertullianus, *De præscr.*, c. xli; S. Cyprianus, *Ep.* II; S. Cyrillus, *Cath.* I; S. Ambrosius, l. I, *De Sacr.*, c. III; S. Augustinus, l. III, *De pecc. orig.*, c. XI; S. Clemens, l. III, *Recog.*; S. Gregorius Nazianz., *Or. in Bapt.*; S. Joann. Chrysostomus, *Hom.* vi, in capite II. *Ep. ad Coloss.* — V. Catechismus Rom. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, part. II, lec. xxxiv.

⁶ V. Porro, *De re sacramentaria*: de cæremoniis Baptismi.

*non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguæ sed actu vitæ, non tantum labiis sonantibus sed operibus pronuntiantibus*¹. Item *fidei professio, unctio Olei sacri*. Aliæ tandem subsequuntur, ut est *unctio chrismatism, cerei accensi traditio, etc.*

Ad cæremoniarum dignitatem et Sacramenti reverentiam notandum: 1. quod cærimoniæ e Rituali R. sint omnino suscipiendæ, ac religiose observandæ; 2. quod eas negligere in parte notabili sit mortale, nisi baptisma privatim administretur. Sic communiter putant esse mortale baptizare sine patrinis designatis, cum id sit de præcipuis cæremoniis; aut baptizare in aqua non consecrata vel sine unctione Chrismatism, vel cum Chrismate alterius anni, nisi oleum novum Pastor non sit accepturus per decem, aut per undecim dies, et sit vitæ periculum in infante².

553. Si Baptismus sit repetendus, an etiam cæremoniæ repetendæ sint, alii affirmant cum Salmanticensibus et D. Antonino; quia hæ habentur uti accessorium, ejus proprium est, ut sequatur naturam principalis. Sed communius negant cum Coninchio, Suarez aliisque: quia in Sacramentis characterem imprimendis tenenda est regula canonica et generalis, nempe nihil iterandum, sed caute supplendum quod incaute prætermissum³. Utraque sententia probabilis est, sed prima nobis videtur suadenda in praxi, si absque scandalo fieri possit aut infamia, vel admiratione; quod merito timeri potest, si de adultis agatur.

Si autem puer domi fuerit valide baptizatus, aliqua cogente necessitate, tunc absolute intra nonum ab ortu diem (vel cum primum fieri poterit) ad Ecclesiam est deferendus, ut omnia suppleantur: et quidem sub mortali, cum agatur de re gravi; et Rituale ritum tunc adhibendum assignat. Hoc tamen non est de more in hæreticis conversis; ne plebs putet eorum Baptisma, si rite collatum, nos improbare⁴.

¹ De Sym. ad catech.

² V. Liguori, qui inter diversas sententias sic resolvit, *Op. Mor.*, l. VI, n. 141.

³ *Decret. Greg.*, l. I, tit. xvi, c. 1.

⁴ V. Benedictus XIV, *Notifikatione* LXXXIV.

554. Monet Rituale R. : *Curet Parochus, ne obscena, fabulosa, vel ridicula, vel inanum deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius quatenus fieri potest, Sanctorum.* Ex quo deducit Croix, non esse peccatum imponere nomen alicujus non Sancti; cum hoc sit monitum, non præceptum. Imo ait neque illicitum nomen in Baptismo semel impositum mutare auctoritate propria; cum hoc nullo jure sit prohibitum: id licet saltem in Confirmatione¹. Quæsitum fuit: an confirmandus, tempore confirmationis quando episcopus dicit: *N... signo te signo crucis, etc.*, præter nomen suum baptismale possit aliud nomen Sancti sibi imponi curari? S. C. Rituum respondit: *Posse*; 20 sept. anno 1749.

555. In publica Baptismi collatione patrini adhibendi sunt: paternos autem dicimus personas illas, quæ baptizatum quasi patres spirituales de fonte suscipiunt in curam propriam. Antiquissimus est in Ecclesia eorum usus, et historici aliqui eum desumunt ab Hygino pontifice sæculi II. A veteribus appellantur *susceptores, fidejussores, sponsors.* Rationem hujus institutionis ex eo deducit Angelicus, quod spiritualis generatio assimiletur carnali, in qua parvulus nuper natus indiget nutrice et pædago: quod de ipsa Confirmatione valet, quæ est Baptismi complementum². Tenet autem probabiliter Croix ad hoc, ut quis valide sit patrinus, requiri de

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 145. It. Rosignoli (Novariensis), *Devoti ossequi ai santi del mese e del nome.* Hic duo notamus cum Benedicto XIV. — 1. Bulla *Quam provinciale* mandat servari canonem Concilii III Albanensis, quo prohibetur, ne Christianis apud Mahumetanos degentibus turcica nomina imponantur. — 2. Bulla *Omnium sollicitudinum* firmat decretum inquisitoris Touraon, quo Missionariis Indiarum orientalium prohibetur nomina imponere idolorum, vel falsæ religionis pœnitentium. Sed nomina desumenda præcipit e *Martyrologio Romano* juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem perantiquam sane, ut ita Sanctorum frequens memoria nos excitet ad virtutem, et eorum auxilium super nos invocetur, uti ex SS. Ambrosio et Chrysostomo discimus; quod probat ipse Benedictus XIV, *De Canoniz. Sanctorum*, l. IV, par. II^a, c. xix.

² 5 p., q. 67, a. 7. Diximus in publica Baptismi collatione; nam in privata licet congruentius adhibeantur patrini, non tamen præcipiuntur: semper tamen adhibetur in collatione Confirmationis, etsi privatim ea conferatur. — V. Ferraris, *v^o Baptismus*, a. 7.

necessitate septennium; secus non videtur capax muneris sui suscipiendi.

Obligationes patrinorum sic pandit Angelicus: *Ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædago: et ideo obligatur ad habendum curam de ipso, si necessitas immineret* (intellige circa res fidei et morum), *sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum salutis spirituali filiorum curam impendere*¹. « Par malheur, ait Goussel, ce qui était une exception au temps du saint docteur est devenu très-général de nos jours. »

556. Q. 5. *Quid agere debet minister post Baptisma?*

R. Rituale monet Parochum: 1. adnotet de vice in vicem sine mora in libro apposito, et modo præscripto nomina baptizati et parentum, annum, diem et horam nativitalis, etc. Multi Parochum damnant de mortali, si hæc negligat; cum id evenire non possit sine gravi familiarum damno; 2. ut moneat paternos de cognatione spirituali contracta, et de ceteris eorum obligationibus inde prodeuntibus; 3. ut matribus et nutricibus præcipiat, ut caveant a decumbendo cum infantibus ob periculum suffocationis. Imo in pluribus Synodis (uti in Novariensi) hic decubitus cadit sub reservationem.

¹ 5 p., q. 67, a. 7. Cetera vid. *De Matrim.*, disp. III, c. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 146.

DISPUTATIO TERTIA
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

CAPUT PRIMUM

DE NATURA, INSTITUTIONE, NECESSITATE,
MATERIA ET FORMA

557. Q. 1. Quid est Confirmatio?

R. *Confirmationis nomine secundum Novæ Legis Sacramentum solet appellari; quia baptizatos in accepta gratia obfirmat, et vires ac robur animo suppeditat, ut fidem intrepide profiteantur. Appellatur per antonomasiam: Impositio manuum, signaculum spirituale et dominicum, signaculum vitæ æternæ, Sacramentum Chrismatis, Chrisma salutis, Chrisma sanctum (a græco, chriô, ungere): unde dicitur quoque Confirmatio Sacramentum unctionis.*

Definitur autem: *Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo per manuum impositionem et sacri Chrismatis in fronte unctionem, sub præscripta forma, baptizatis Spiritus sanctus datur, tam ad firmiter credendum, quam ad fidem ipsam constanter fortiterque propugnandam. Dicitur: 1. Sacramentum novæ Legis: sic Confirmatio convenit cum Sacramentis ceteris; 2. quo per manuum impositionem, et sacri Chrismatis in fronte unctionem sub præscripta forma: sic habetur materia et forma; 3. Baptizatis, sic indicatur subiectum Confirmationis solos esse Christianos, non infideles, neque catechumenos; 4. Spiritus sanctus datur; etiam in Baptismo infunditur S. Spiritus ad animæ regenerationem: sed baptizati sunt adhuc parvuli in Christo, solidioris escæ incapaces; ideoque parum idonei ad agonem hujus vitæ. At in Confirmatione plena fit donorum sancti Spiritus communicatio, unde anima fortis evadit ac strenua; 5. datur tam ad*

firmiter, etc.; quæ porro verba finem peculiarem Confirmationis exponunt¹.

Definitum est in Tridentino contra Lutheranos et Calvinistas (qui omnium fere primi hoc negarunt; inter quos eminent Dallæus et Basnagius) Confirmationem verum esse Sacramentum a Baptismo distinctum: *Si quis dixerit Confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, anathema sit².* Præverant plurima alia Concilia uti Eliberitanum anno 305; Arelatense II, an. 445, vel 451: Aurelianense I, an. 511; Hispalense II, Toletanum IV, Lugdunense II, Florentinum in decreto ad Armenos, etc. Et clare evincitur ex Scriptura, ubi legimus: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum³.*

Constat quoque ex PP.: D. Hieronymus ait: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum⁴.* Et D. Augustinus: *Sacramentum Chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus⁵.* Idem docent Cyprianus⁶, Chrysostomus⁷, Cyrillus⁸ et alii. Accedit perpetuus et universalis omnium Ecclesiarum orientalium, etsi a se invicem sint in pluribus discrepantes, consensus, uti ostendit Renaudotius.

Tandem ratio theologica firmat; nam ad constituendum strictum Sacramentum novæ Legis requiritur signum sensibile, gratiæ divinæ collatio, et divina institutio. Atqui hæc

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 161. — Martinet, *Inst. Theol.*, t. IV.

² Sess. VII, *De Conf.*, can. I.

³ Act. VIII. — ⁴ *Dial. contra Luciferianos.*

⁵ Lit. cont. Petil., l. II, c. CV. — V. Klee, *Histoire des dogmes*, t. II. — Ferraris, *vº Confirmatio.*

⁶ Ep. LXXII et LXXIII. — ⁷ Hom. XVIII in Act. Apost. — ⁸ *Catech.* XXI.

tria hic habentur : 1. signum sensibile in manuum impositione : *Imponebant manus super illos*; 2. gratiæ divinæ collatio ex illo : *Et accipiebant Spiritum sanctum*; 3. divina institutio; cum ritus externus a sola Dei institutione possit habere vim gratiæ conferendæ. — Patres autem passim vocant Confirmationem *perfectionem* Baptismi, non ratione Sacramenti, sed ratione effectus, quatenus homo utroque Sacramento munitus plene sanctificatus est; cum non tantum natus habeatur spiritualiter, sed et roboratus¹.

558. Christus non instituit Confirmationem *eam exhibendo*, ait Angelicus, *sed eam promittendo* : siquidem non nisi post Ascensionem plenitudo Spiritus sancti descendit². Putant alii eam institutam fuisse, cum Salvator parvulis manum imposuit; alii dum recubuit cum Apostolis in ultima cœna³. Est tamen probabilis ipsam fuisse institutam eo temporis intervallo, quo a mortuis rediit per dies quadraginta cum Apostolis suis commoratus est *loquens de Regno Dei*⁴. Et sane existimandum est eo tempore ipsum instituisse hoc Sacramentum, quo Apostolis suis promisit gratiam supervenientis Spiritus sancti; quo plenam eis in mysticum Ecclesiæ corpus contulit potestatem; quo plura alia revelavit mysteria; quo magis Apostoli indigebant ad se roborandum contra fremitum gentium ac impios judæorum conatus. Et hoc maxime, si aliud tempus assignari nequeat ratione satis congrua : *His diebus, ait Leo Magnus, magna confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria*⁵.

Dices : *In manuum impositione per Apostolos facta, Spiritus S. qui dabatur, non erat interior gratia sanctificans, sed exterior collatio donorum, scilicet linguarum, prophetiæ, etc., seu gratiæ gratis datæ, ut ex Scriptura passim constat; ergo illa manuum impositio non habet rationem veri Sacramenti. Ergo, etc.*

R. In impositione manuum Apostolorum, seu in Confirmatione, duo sunt effectus distinguendi : unus principalis, ordinarius et permanens scilicet illa specialis gratia qua fideles ad profitendam fidem roborantur. Alter accidentalis, extraordinarius et temporaneus qui in gra-

¹ S. Cyprianus, *Epist. lxxii.* — ² 5 p., q. 27, a. 1.

³ Id probant ex quadam Epistola S. Fabiani Pontificis ad Orientales; que tamen Epistola ab eruditis apocrypha habetur. Huic sententiæ videtur conformis singularis plane revelatio Emerich, ut ex libro *La dolorosa passione di N. S. G. C. secondo la contemplazione di Anna Caterina Emerich Agostin. a Dimen, morta in odore di santità*, 9 febr. 1824.

⁴ Act. i.

⁵ Serm. De Ascens. Domini.

tiis gratis datis consistebat : qui secundarius effectus conveniens erat pro statu et conditione nascentis Ecclesiæ, ut per miracula facilius dilataretur. Unde sicut cum arbusta plantamus, tandiu aquam infundimus, quamdiu radices egerint, ac postea omnis irrigatio cessat; ita miracula perpetrata sunt quamdiu fides nondum tenaces radices jecerat, at fide radicata, miracula cessarunt. Sed cessante effectu secundario, non cessavit primus, ut docet Augustinus¹. Imo neque primis temporibus non semper cum gratia Sacramenti dabatur aliæ gratiæ extraordinariæ, ut patet ex illo Apostoli : *Numquid omnes prophetæ; numquid omnes gratiam habent curationum, numquid omnes linguis loquuntur, etc.*²?

559. Q. 2. *An Sacramentum Confirmationis sit necessarium?*

R. Confirmatio non est necessaria necessitate mediæ; certum est enim salutem nos posse consequi etiam sine illa, cum scriptum sit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*³. Id patet etiam ex constanti romanæ Ecclesiæ praxi, quæ infantes statim a Baptismo non solet confirmare : quod non ageret, si hoc Sacramentum existimaret necessarium necessitate mediæ.

560. Sed quæstio magna est, si sermo sit de necessitate præcepti. Alii obligationem per se gravem tuentur tum ex præcepto naturali; quia grave detrimentum sibi infert qui negligit ad tentationes superandas se tali robore munire ad hoc instituto; tum ex præcepto positivo tam ecclesiastico quod habetur in jure Canonico⁴ : tam divino; nam Christus præcepit Apostolis, *ut expectarent promissionem Patris*, nempe Spiritum sanctum, cujus donum in Confirmatione tribuitur⁵. Alii quibus adhæret S. Thomas (quidquid aliqui dicant) levem obligationem tantummodo esse affirmant per se, quam volunt fieri posse gravem solum per accidens, v. g., ad scandalum, vel periculum grave declinandum; quia ad superandas tentationes sunt alia plura remedia. Hæc tamen sententia hodie non videtur satis probabilis, postquam Benedictus XIV Bulla *Etsi pastoralis*, declarato, quod omnes

¹ De Baptismo, l. III, c. xvi.

² I Corinth. vii. — ³ Mar. xvi. — ⁴ C. Omnes i, d. 5, de cons.

⁵ Act. i. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 181.

Confirmationem suscipientes a Presbyteris Græcis invalide confirmantur, hæc ait de illis: *Monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad Confirmationem accedere renuunt et negligunt*¹.

561. Q. 3. *Quænam est materia remota et proxima Confirmationis?*

R. Ad 1: Materia remota Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo.

1. Ad *oleum* quod pertinet, dicimus illud necessarium esse de necessitate Sacramenti²; et quidem de olivis expressum, ut docet Angelicus³. Et merito; quia hoc oleum cum sit ex natura sua pingue et diffuens, melius inservit ad significandam gratiam Spiritus sancti, quæ, uncto capite, in confirmatos effunditur. Aliunde cum simpliciter dicitur *oleum*, semper intelligitur oleum olivarum.

2. *Balsamum* quod sit de necessitate præcepti, a nemine potest negari. Sed utrum sit etiam de necessitate Sacramenti; negant probabiliter Continuator Tournely, Juveninus et alii; attamen sententia communior et probabilior affirmat cum S. Thoma ac Catechismo R. Sic enim Confirmationis efficacia ac robor optime significatur, quia balsamum et bonum Christi odorem et immunitatem a vitiorum corruptela designat. Hinc Innocentius III Sacramentum hoc *Chrismationem* appellat: et Eugenius IV ad Armenos expresse docet materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo et balsamo⁴.

3. Chrisma *benedicendum* esse de necessitate Sacramenti constans traditio probat. Tertullianus habet: *Egressi de la-*

¹ Sunt adhuc tamen qui tenent ea verba Benedicti XIV non concludere pro omnibus; quia (inquiunt) hic Pontifex tantum loquitur de invalide confirmatis a Presbyteris Græcis, qui renuunt ad Confirmationem de novo accedere, quasi habeant validam primam: unde hic habetur ratio peculiaris. Attamen non recederem a prima sententia.

² Ex c. ult. de Sac. Unct.; et ex Decreto ad Armenos.

³ 3 p., q. 78, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 162.

⁴ Quia tamen hæc sententia, ipso fatente Benedicto XIV, non est omnino certa: ideo in necessitate erit sub conditione conferenda Confirmatio etiam solo oleo confecta. Aiunt enim contrarii primis sæculis nullam fieri balsami mentionem; quod tamen Bellarminus negat; refert enim S. Clementem mentionem fecisse *fragrantiz odoris chris-matis*.

*vacro perungimur benedicta unctione*¹; et Cyprianus ait *oleum in altari sanctificari*². Etiam Nicænum I consecrationem Chrismatis meminit. — Est autem ab episcopo benedicendum uti a proprio ministro. An autem episcopalis benedictio sit non tantum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti, affirmant communius cum Angelico; in decreto enim Eugenii IV materia Confirmationis dicitur *Chrisma ab Episcopo benedictum*. Hæc sententia uti tutior tenenda est; quamvis quæ docet benedici posse etiam a simplici Sacerdote de Papæ licentia, sit speculative probabilis. Sicut enim Papa potest committere chrismandi facultatem simplici Sacerdoti; ita videtur posse quoque eidem committere ipsius Chrismatis benedictionem³.

R. Ad 2: Circa materiam proximam Confirmationis plures sententiæ: sed tres sunt principales. Prima cum Aureolo, Sambovio, Sirmondo et aliis paucis docet materiam proximam, essentialem et unicam esse illam manuum impositionem, quæ habetur in Pontificali, cum Episcopus in principio sacri ritus extendit manus suas ad confirmandos inquit: *Omnipotens, sempiternus Deus*, etc. unctionem autem, quæ fit postea, dicit esse cæremoniam pure accidentalem, institutam ab Ecclesia. Hæc opinio habetur ut improbabilis: sane Episcopi communiter non dubitant confirmare eos, qui postquam primus ille ritus est completus, accedunt: quæ agendi ratio, ut innuit Benedictus XIV, cum communiter recepta sit et passim servetur, nemine contradicente, manifeste docet illam manuum impositionem non esse necessariam⁴.

Secunda cum Merbesio, Juveninio, Concina, Gotti, Dubamel, etc., dicit materiam proximam essentialem tam ab im-

¹ De Baptismo, c. vii. — ² Epist. LXX.

³ Hic notandum: 1. Chrisma ex præcepto gravi Ecclesiæ feria V in Cæna Domini benedicendum esse. In qua quidem benedictione adhibentur preces ad Deum: *Omnis enim creatura ex Apostolo sanctificatur per verbum Dei et orationem*. Signum crucis; nam crux ex Leone M. *fontis est omnium benedictionum*. Salutatio Chrismatis, quæ nempe ad Christum directa est per Chrisma repræsentatum; 2. sub gravi prohibitum esse uti Chrismate anni elapsi. In hac re Papa solus dispensat, ut docet Benedictus XIV Constitutione *Cum ad 1744*.

⁴ De Syn., l. XIII, c. xix. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 163.

positione manuum componi quæ fit in principio, quam ab unctione quæ deinde adhibetur.

Tertia demum sententia quam sequimur cum Berti, Estio, Gonet, Salmanticensibus, Scoto, Sylvio, Soto, Suarez, Vitasse, Orsi, Tournely, Erouen, Perrone, etc., materiam adæquatam totalem, et necessariam omnino collocat in Chrismatis unctione, quam agit Episcopus in fronte confirmandi, et in simultanea illa manus impositione super chrismandum, quando dicit: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis*, etc.: quæ proinde manus impositio ab unctione est indistincta. Hæc sententia est communis vel fere communis, et Bellarminus eam appellat certissimam: et a nobis etiam tenetur uti talis; tum propter auctoritatem SS. Angelici, Bonaventuræ et Antonini: tum propter sapientissimum illud Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur*. Ex historia autem patet illam Chrismatis unctionem fuisse semper adhibitam in Ecclesia tam Latina quam Græca: quod non ita fuit de illa prima manu impositione¹. Confirmatur ex Catechismo R.; ex decreto Eugenii IV ad Armenos: tandem ex Epistola Encyclica Benedicti XIV *Ex quo primum* data ad Archiepiscopos et Episcopos ritus græci 1756, ubi de sola unctione Chrismatis manu Episcopi peracta fit mentio, tanquam de materia totali adæquata. Ex quibus omnibus Sylvius deducit id esse de fide tenendum².

Unctio autem juxta communem sententiam de necessitate Sacramenti fieri debet in fronte. Patet tum ex praxi Ecclesie: tum ex Sacramen-

¹ Quamvis in Scripturis non fiat expressa mentio unctionis; ex traditione tamen constanti probatur Confirmationem ita semper collatam fuisse, nempe per unctionem cum simultanea manus impositione. — V. *Dissertatio* S. Alphonsi, *Op. Mor.*, l. VI, n. 164. — Item *Dissertatio historico-theologica de Chrismate confirmatorio*, card. Orsi.

² Mirum esse non debet (prout scite observat Bellarminus), si Patres doceant nunc per unctionem, nunc per impositionem conferri hoc sacramentum (et modo per utramque); cum enim utraque compleatur eodem tempore, nominando unam et alteram innuebant. Ita D. Thomas, 3 p., q. 72, a. 2, tradit chrisma esse convenientem materiam; et Lect. I in e. vi ad Hebræos memorat impositionem illam quæ unctionem comitatur.

tario Gregorii Magni; tum ex decreto Eugenii IV. Imo de essentia Sacramenti ex communi sententia in modum crucis facienda est; alioquin verba formæ non verificarentur: et advertere debet Episcopus, ne Chrisma in pollice deficiat. — Quod autem fieri possit ab Episcopo etiam penicillo vel alio instrumento, nos merito negamus; tunc enim deesset immediata impositio manus quæ requiritur¹.

562. Q. 4. *Quænam est forma Confirmationis?*

R. Sicut sunt diversæ opiniones circa materiam proximam Confirmationis; ita et circa formam. Nos, aliis prætermisissis, uti communem tenemus quæ docet, sicut materia adæquata, totalis et proxima est unctio Chrismatis facta per manum Episcopi in fronte confirmandi; ita totalem et adæquatam formam consistere in verbis istis, quæ ab Episcopo latino proferuntur actu, quo dictam unctionem operatur: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Sic tradit Angelicus, et Catechismus Romanus. Sic definit Eugenius IV in Decreto ad Armenos inquires: *Forma autem est, signo te signo crucis, etc.* — Ad essentiam pertinent verba *signo* vel *confirmo* (si diceretur *corroboro*, mutatio est accidentalitatis); expressio *Trinitatis* (quæ a Græcis invocatur prius); illud *te*; item *signo crucis* vel *chrismate salutis*. D. Thomas cum communi².

Forma vero Græcorum est: *Signaculum doni Spiritus sancti*: ubi juxta illius linguæ genus subintelligitur *ecce* vel *datur tibi*. Quæ forma utique valida est, uti declaravit Urbanus VIII.

¹ Si Episcopus habeat infirmum pollicem manus dexteræ, licite poterit unctiones peragere alio digito; sed peccaret (graviter quidem juxta quosdam, venialiter autem juxta alios) si sine causa ita perageret: cum sit contra præscriptum.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 168.

CAPUT SECUNDUM
DE MINISTRO, SUBJECTO, EFFECTIBUS
ET CÆREMONIIS

563. Q. 1. *Quisnam est minister ordinarius Confirmationis?*

R. Minister ordinarius Confirmationis, qui nempe vi ordinationis suæ completam potestatem accipit, est solus Episcopus. Est de fide contra Photium, Græcos hodiernos, Valdenses, Wiclephitas et Hussitas: sic enim ait Tridentinum: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum; sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit*¹. Id eruitur ex Actis Apostolorum, ubi semper leguntur confirmasse Episcopi. Id firmat Patrum auctoritas: *Per manus impositionem Episcopi*, ait Cyprianus, *datur unicuique credenti Spiritus sanctus*². Et Cornelius papa de Novatiano scribebat: *Neque ab Episcopo consignatus est*³. Et semper una fuit Ecclesiæ tum orientalis tum occidentalis praxis. — Id suadet tandem ratio; nam milites designare non est omnium, sed Ducum. Atqui per Confirmationem Christiani designantur milites Christi; ergo hoc ordinarie non nisi Ecclesiæ Præsulum esse debet, id est Episcoporum.

564. *Quisnam (quæres) est minister extraordinarius Confirmationis?* Certum est contra Estium, Lermnier aliosque simplicem Sacerdotem *ex speciali summi Pontificis delegatione* valide et licite posse confirmare. Constat ex decreto ad Armenos; eruitur ex Tridentino, quod dicens Episcopum esse ordinarium Ministrum, supponit alium existere extraordinarium. Firmatur ex praxi et auctoritate Gregorii M., Nicolai IV, Urbani V, Sixti V, qui hanc dederunt delegationem. Etiam Benedictus XIV Bulla *Eo quamvis* indulsit, ut Coptis Sacerdotes missionarii in necessitate Confirmationem darent. Unde dicendum est, Sacerdotes per ordinationem incomplete

¹ Sess. VII, de Conf., can. VII. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 170.

² Ad calc. Oper. — ³ Ep. ad Fabium.

et inchoative potestatem hanc accipere, quæ completa fit ac perficitur per Ecclesiæ delegationem.

Diximus *ex speciali summi Pontificis delegatione*, adeo ut jure saltem novo ecclesiastico nulla sit Confirmatio, si Sacerdos ab Episcopo delegetur; id enim suprema Sedes sibi reservat (S).

565. Q. 2. *Quodnam est subjectum Confirmationis?*

R. Subjectum sunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati. *Omnes*, quia nemo est, qui adversus Christianorum hostes et naturæ imbecillitatem non debeat Spiritus sancti fortitudine roborari. *Soli*, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum; nemo sane in Ecclesia potest adolescere ac roborari, nisi prius in ipsam intraverit. *Nondum confirmati*: sic indicatur Sacramentum hoc non iterari.

Etiam perpetuo amentes (ideo magis, si quem habuerint aliquando rationis usum) esse possunt subjectum Confirmationis. Licet enim nunquam videantur spiritualiter pugnaturi; id tamen per accidens contingit. Et fieri aliunde potest, ut aliquo saltem perfruantur lucido intervallo, quo eis tam magnum robur prosit ad salutem æternam.

Infirmis autem et moribundis *hoc Sacramentum dandum est ut in resurrectione perfecti appareant*¹. Præterea nonne ab ipsis æque, imo fortius cum hoste pugnandum?

Quoad infantes vero, ipsi valide suscipiunt hoc Sacramentum, quacumque ætate: sic fuit usus in Ecclesia latina usque ad sæculum XIII (et etiam nunc in græca Ecclesia usus est, ut Confirmatio infantibus ministretur immediate post Baptismum). Verum hodie apud nos, deficiente alia causa, v. g., periculo mortis vel longa absentia Episcopi, *maxime convenit Sacramentum iis differre usque ad annum septimum*, ait Catechismus R.: et idem legitur in Pontificali. Sane tunc rationis usum assecuti Sacramentum uberiori fructu certe suscipient. Et hoc præcipit Benedictus XIV Constitutione *Eo quamvis*, ubi ait consultissime cautum esse, ut in ea solum

¹ S. Thomas, 3 p., q. 67, a. 12. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 176. At complures probabiliter excusant Episcopos qui se non conferunt ad infirmos confirmandos, ab omni peccato, ob incommodum eisdem proventurum, et praxim communem.

ætate conferatur hoc sacramentum, in qua fideles intelligerent tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento.

566. Q. 3. Quænam dispositiones requiruntur in confirmando?

R. Ut valide suscipiatur Confirmatio, in infantibus sufficit Baptisma. In adultis vero requiritur insuper intentio; qui tamen ut etiam fructuose eam suscipiant, debent esse in gratia, cum sit Sacramentum vivorum. Verum probabilis Pœnitentiæ Sacramentum videtur tantum de consilio etiam pro iis, qui sibi mortalis conscii sunt modo contritionem eliciant; nam Pontificale romanum habet: *Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.* — Ait tamen Angelicus: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat* (putans nempe bona fide se contritionem perfectam habere, cum tamen non habeat) *per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur remissionem peccatorum.*

Curandum insuper: 1. ut quantum ætas tulerit, confirmandus rudimenta fidei, orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, et Sacramenti suscipiendi naturam edoctus sit. Benedictus XIV Constit. *Etsi* eos prohibet, qui parum sunt instructi in doctrina christiana; 2. ut jejunos (jejunio naturali) accedat, si adultus mane confirmetur, quod laudat Catechismus R. Item ut orationi vacet Apostolorum exemplo, qui erant perseverantes unanimiter in oratione et jejunio¹. Et monendus etiam, ut cum vestitu decenti, fronte non sordibus conspersa, nec capillis obtecta confirmandus accedat. Id enim ad Sacramenti reverentiam pertinet.

567. Q. 4. Quinam Confirmationis effectus?

R. Confirmatio hos habet effectus: 1. confert gratiæ sanctificantis augmentum; cum enim Confirmatio sit Sacramentum vivorum, primam gratiam jam supponit in subjecto,

¹ Synodus Novariensis præcipit, ut per triduum in Benedictione Sanctissimi Litanæ M. V. et *Veni Creator* decantetur ad divinam gratiam efflagitandam. — V. Benedictus XIV, *Notificat.* vi.

ideo ex se confert secundam gratiam, seu gratiæ augmentum. Diximus *ex se*; per accidens enim ex doctrina Angelici potest etiam aliquando primam gratiam producere¹.

2. Confert gratiam Sacramentalem, seu propriam hujus Sacramenti: et est speciale robur ad fortiter pro fide præliandum. *Per Confirmationem*, ait Eugenius IV in Decreto ad Armenos, *augemur in gratia et roboramur in fide: et S. Hilarius Arelatensis Confirmationem vocat gratiam augmenti simul et roboris*²: unde si Eucharistia confirmat cor hominis nutriendo. Confirmatio illud roborando confirmat. — Huic autem gratiæ comites sunt septem dona Spiritus sancti: *In hoc Sacramento*, ait D. Thomas, *datur Spiritus sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes*; et Tertullianus dicit, quod Ecclesia per Confirmationem nos *Spiritu sancto vestit*³. Sunt autem hæc dona ex Angelico, *perfectiones hominis, quibus disponitur ut bene sequatur instinctum Spiritus sancti*⁴.

3. Imprimat characterem ex dictis de Sacramentis in genere. Et cognationem spiritualem inducit ex dicendis de Matrimonio.

568. Q. 5. Quænam sunt cæremoniæ Confirmationis?

R. Plures sunt Confirmationis cæremoniæ; aliæ, quæ ipsam antecedunt; aliæ, quæ ipsam comitantur; aliæ, quæ ipsam subsequuntur.

Præcipua quæ antecedit, est patrum designatio, quæ merito fit; qui enim pugnare debet, de modo certaminis instruendus est. Hujus mentio habetur in Sacramentario Gregorii Magni. Porro patrinus penes nos manum dexteram imponit super dexterum humerum ipsius confirmandi: et id sufficere respondit S. R. C. 20 sept. anno 1749.

Statim alapa comitatur, quæ leviter infligitur in maxilla confirmati; tum ut Confirmationis recordetur; tum maxime ex Catechismo R. ut intelligat se paratum esse debere ad omnia fortiter toleranda pro Christo. Postea statim abstergitur frons confirmati gossypio comburendo⁵.

¹ 3 p., q. 72, a. 7. Vide *de Sacram. in genere* ubi de gratia.

² Homil. in Pent. — ³ *De præscr.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 169.

⁴ 1, 2, q. 68. — Vid. de donis Spiritus sancti, Goussset, *Théol.* n. 139. — Gonet, *De Spiritus sancti divinitate.* — Nat. Alexander, *De Confir.*, etc. — Saint-Jure, *L'Homme spirituel.* — Martinet, *Instit. Théol.*, de Confirmatione, l. II, a. 8, § 1.

⁵ Alicubi ex Pontificati frons Confirmati linea vitta signo crucis notata

Postremo Confirmationem subsequitur communis benedictio, quæ confirmatis omnibus simul ab Episcopo datur in fine. Quæ quidem cum sit simplex cæremonia ex communi Doctorum, probabiliter ait Tamburini quod non videtur obligare facta admonitio, ne ante illam ab Ecclesia discedatur. Imo Layman et Palaus docent illam monitionem esse omittendam, si magnus sit populi concursus, ut aliis fiat locus, ac pluribus quoad pueros præsertim inconvenientibus occurratur, qui diu in templo sistere nequeunt⁴.

569. Q. 6. *Quid ex Synodo Novariensi circa Confirmationem?*

R. Ex Synodo Novariensi quoad Confirmationem præcipue debet curare Parochus: ut 1. suos instruat de hujus Sacramenti efficacia ac suscipiendi modo; — 2. in illius administratione seorsim mares a fœminis collocet, ac templi fores custodiat. Item Episcopum præsentem moneat, si qui forte sit gravi morbo correptus nondum confirmatus, licet puer ne sine tali maximo subsidio decedat; — 3. ipse solus suorum schedas conficiat; ac postea colligat et confirmatorum nomina in suo libro adnotet cum omnibus suis circumstantiis: tum ad cognoscendam cognationem, tum propter Ordines fortasse a confirmatis suscipiendos, tum ut subveniatur dubitanti de suscepta Confirmatione; — 4. si adsint confirmandi ex aliena Parœcia, eorum elenchum et schedularum exempla mittat postea ad illorum Parochum (pag. 85, 285 et seqq.).

570. *Monitum*: Curet Parochus instruere jam confirmatos, ut bene utantur gratia qua donati sunt; sicut enim non sufficit militi, ut arma arripiat, sed is etiam strenue uti debet ad hostes debellandos; ita pariter non sufficit christiano, ut per Confirmationem gratiam roborantem seu spiritualem armaturam obtinuerit, nisi hac utatur ad spirituales suos hostes profligandos. Quale opprobrium pro christiano milite si superne roboratus cuivis tentationi succumbat, viliter arma cedens²!

obligatur, eaque plures pro consuetudine aut pauciores dies gestanda est.

— Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 186.

¹ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 188. — Abrate, *Lo spirito del Parroco*.

² V. Contenson, l. II, p. I, dist. IV, c. 1, *Reflexio ultima*.

DISPUTATIO QUARTA

DE EUCHARISTIA

571. Q. *Quid est Eucharistia?*

R. *Eucharistia* quæ græce sonat *bonam gratiam, gratiarum actionem*, dicitur Sacramentum Corporis Christi, tum quia Christus illud instituit *gratias agens*¹; tum quia per illud possumus dignas pro acceptis beneficiis gratias Deo rependere; tum quia in eo Christum recipimus omnium gratiarum fontem.

Dupliciter Eucharistia consideratur: vel respective ad homines, quos sanctificat, sub qua ratione est Sacramentum; vel respective ad Deum, quem colit et placat, sub qua ratione est Sacrificium. *Differunt autem plurimum inter se hæ duæ rationes*, ait Catechismus R., *Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur: quare sacra Eucharistia dum in pyxide continetur vel ad ægrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet.*

572. *Eucharistia*: — 1. sumpta pro sacrificio simul et Sacramento dicitur *eulogia*, id est benedictio juxta illud: *Calix benedictionis, cui benediximus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Pascha juxta illud: *Pascha nostrum immolatus est Christus*². *Synaxis*, id est collectio, quia multi convenire solent fideles, ut intersint sacrificio et participes fiant Corporis Domini; — 2. sumpta pro sacrificio tantum dicitur *Missa*; quia, sacrificio peracto, in pace dimittitur populus. *Sacrificium panis et vini, altaris oblatio*, etc.; — 3. sumpta pro Sacramento tantum dicitur *cæna Dominica, Communio*; vel simpliciter *Sanctissimum Sacramentum* ob ejus excellentiam; vel *agapa*, id est dilectio, quia est summæ Dei erga nos dilectionis argumentum,

¹ I Cor. XI. — ² I Cor. X. — ³ I Cor. V.

Postremo Confirmationem subsequitur communis benedictio, quæ confirmatis omnibus simul ab Episcopo datur in fine. Quæ quidem cum sit simplex cæremonia ex communi Doctorum, probabiliter ait Tamburini quod non videtur obligare facta admonitio, ne ante illam ab Ecclesia discedatur. Imo Layman et Palaus docent illam monitionem esse omittendam, si magnus sit populi concursus, ut aliis fiat locus, ac pluribus quoad pueros præsertim inconvenientibus occurratur, qui diu in templo sistere nequeunt⁴.

569. Q. 6. Quid ex Synodo Novariensi circa Confirmationem?

R. Ex Synodo Novariensi quoad Confirmationem præcipue debet curare Parochus: ut 1. suos instruat de hujus Sacramenti efficacia ac suscipiendi modo; — 2. in illius administratione seorsim mares a fœminis collocet, ac templi fores custodiat. Item Episcopum præsentem moneat, si qui forte sit gravi morbo correptus nondum confirmatus, licet puer ne sine tali maximo subsidio decedat; — 3. ipse solus suorum schedas conficiat; ac postea colligat et confirmatorum nomina in suo libro adnotet cum omnibus suis circumstantiis: tum ad cognoscendam cognationem, tum propter Ordines fortasse a confirmatis suscipiendos, tum ut subveniatur dubitanti de suscepta Confirmatione; — 4. si adsint confirmandi ex aliena Parœcia, eorum elenchum et schedularum exempla mittat postea ad illorum Parochum (pag. 85, 285 et seqq.).

570. Monitum: Curet Parochus instruere jam confirmatos, ut bene utantur gratia qua donati sunt; sicut enim non sufficit militi, ut arma arripiat, sed iis etiam strenue uti debet ad hostes debellandos; ita pariter non sufficit christiano, ut per Confirmationem gratiam roborantem seu spiritualem armaturam obtinuerit, nisi hac utatur ad spirituales suos hostes profligandos. Quale opprobrium pro christiano milite si superne roboratus cuivis tentationi succumbat, viliter arma cedens²!

obligatur, eaque plures pro consuetudine aut pauciores dies gestanda est.

— Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 186.

¹ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 188. — Abrate, *Lo spirito del Parroco*.

² V. Contenson, l. II, p. I, dist. IV, c. 1, *Reflexio ultima*.

DISPUTATIO QUARTA

DE EUCHARISTIA

571. Q. Quid est Eucharistia?

R. *Eucharistia* quæ græce sonat *bonam gratiam, gratiarum actionem*, dicitur Sacramentum Corporis Christi, tum quia Christus illud instituit *gratias agens*¹; tum quia per illud possumus dignas pro acceptis beneficiis gratias Deo rependere; tum quia in eo Christum recipimus omnium gratiarum fontem.

Dupliciter Eucharistia consideratur: vel respective ad homines, quos sanctificat, sub qua ratione est Sacramentum; vel respective ad Deum, quem colit et placat, sub qua ratione est Sacrificium. *Differunt autem plurimum inter se hæ duæ rationes*, ait Catechismus R., *Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur: quare sacra Eucharistia dum in pyxide continetur vel ad ægrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet.*

572. Eucharistia: — 1. sumpta pro sacrificio simul et Sacramento dicitur *eulogia*, id est benedictio juxta illud: *Calix benedictionis, cui benedictimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Pascha juxta illud: *Pascha nostrum immolatus est Christus*². *Synaxis*, id est collectio, quia multi convenire solent fideles, ut intersint sacrificio et participes fiant Corporis Domini; — 2. sumpta pro sacrificio tantum dicitur *Missa*; quia, sacrificio peracto, in pace dimittitur populus. *Sacrificium panis et vini, altaris oblatio*, etc.; — 3. sumpta pro Sacramento tantum dicitur *cæna Dominica, Communio*; vel simpliciter *Sanctissimum Sacramentum* ob ejus excellentiam; vel *agapa*, id est dilectio, quia est summæ Dei erga nos dilectionis argumentum,

¹ I Cor. XI. — ² I Cor. X. — ³ I Cor. V.

et mutuae inter fideles charitatis vinculum¹. Item *panis angelicus panis vitae, Corpus Christi, viaticum*², etc.

Præter oracula prophetarum, qui non obscure Eucharistiam prænuntiarunt³; et veteris mundi sacrificia quæ illam præsignificaverunt, plures figuræ illam adumbrarunt: *lignum vitæ* vim conferens vivendi in æternum⁴; *manna* habens omnis saporis suavitatem⁵; *panis* quo Elias ambulavit 40 diebus et noctibus⁶; *tabernaculum*, in quo Deus inhabitans dux itineris erat⁷; præcipua *Agnus paschalis*, pro salute hominum immolatus⁸, etc.

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM

CAPUT PRIMUM

DE NATURA ET INSTITUTIONE EUCHARISTIE⁹.

573. Q. 1. *Quid Eucharistia, prout est Sacramentum?*

R. Eucharistia si consideretur *in fieri*, est conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanentibus spe-

¹ Agapæ proprie significant convivia, quæ a fidelibus habebantur tum in signum mutuae unionis tum in honorem convivii Christi, quando Eucharistiam instituit: de his loquitur Apostolus (I Corinth. xi). Primitus habebantur ante sacram Communionem; sed jam ab Apostolorum tempore statutum erat, ut non nisi postea fierent, ut ita jejuni omnes sumerent Corpus Christi; et huc referunt illa Apostoli verba: *Cetera cum venero, disponam*. Quia tamen in manducatione hujus cœnæ irrepserant abusus, agapæ ubique proscriptæ fuere et Carthaginense anno 397 eas expresse damnavit; aliquo tantum vestigio remanente in aliquibus Ecclesiis, in quibus inter Missarum solemnia pax tribuitur, et etiam bolum panis. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc. — Tommasius, S. Thomas, Billuart.

² V. Klee, *Hist. des dogmes*, et Habert, *Theologia*, etc.

³ Ps. xxi, xxii et lxxvii; Joann. vi; Isaïæ xxx; Zachar. ix; Prov. ix.

⁴ Gen. ii. — ⁵ Exod. xvi. — ⁶ III Reg. xix. — ⁷ Exod. xxv.

⁸ Exod. xii; I Corinth. v.

⁹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 189 et seqq.; ita *Opera dogmatica*, sess. XIII.

ciebus, ad spiritualem fidelium refectionem. Si vero consideretur *in facto esse*, est Corpus et Sanguis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem fidelium refectionem. Hoc posteriori modo communiter accipitur Eucharistia prout est Sacramentum, et definitur: *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino ad caelestem animarum nostrarum alimoniam institutum, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, et substantialiter sub speciebus panis et vini continetur*. Dicitur ad caelestem, id est spiritualem alimoniam; quemadmodum enim per cibum et potum alitur vita hominis corporalis, ita per Eucharistiam alitur vita hominis spiritualis, dicente Christo: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*.

Differt maxime a ceteris hoc Sacramentum; quia cetera sunt posita in actu transeunte, hoc in re permanenti; in aliis nulla fit materiæ in aliam naturam mutatio, in hoc substantialiter materia mutatur.

Si excipiantur Sociniani et hodierni rationalistæ, omnes unanimiter catholici, schismatici et hæretici docent Eucharistiam verum esse Sacramentum. Hoc definitum est a Florentino et Tridentino¹; et nititur ratione theologica; in Eucharistia enim reperiuntur conditiones verum Sacramentum N. L. constituentes. Videlicet: 1. ritus sensibilis, et sunt species externæ panis et vini; 2. divina institutio; nam *Domini Jesus*, verba sunt Apostoli, *in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est Corpus meum*²; 3. gratiæ promisso: *Si quis manducaverit ex hoc pane, inquit Christus ipse, vivet in æternum: qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*³. Accedit omnium fidelium persuasio, et Patrum consensus: unus sufficit S. Augustinus inquisiens: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ: munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia; in ceteris sanctis Sacramentis quale munus est*⁴!

574. Moraliter specie unum est hoc Sacramentum, quamvis

¹ Sess. vii, can. i.

² I Cor. xi. — ³ Joann. vi.

⁴ In Ps. ciii. — V. Ferraris, v^o *Eucharistia*.

duplici conficiatur materia, tum quia est unus et idem Christus sub utraque specie; tum quia ambæ materiæ unam animæ alimoniam respiciunt, quemadmodum cibus et potus unum est alimentum, ut ait Catechismus R. Diximus *specie unum est*: numero enim potest esse multiplex; nam Eucharistia est instituta per modum convivii, at in convivio moraliter tot sunt refectioes, quot sunt refecti. Unde si diversæ species consecratæ eodem tempore et in eodem altari proponantur, unum erit Sacramentum: si vero eadem species dividantur, et in diversis proponantur altaribus, diversa erunt Sacramenta (T).

575. Q. 2. *An Eucharistia sit aliquid stabile et permanens?*

R. 1: Lutherani et Calvinistæ, licet Eucharistiam fateantur verum esse Sacramentum; volunt tamen illud totum esse positum in solo usu et sumptione, ita ut Sacramenti rationem non habeat, nisi actu illo transeunte, quo sumitur. Kepnistius vero concessit Eucharistiam esse Sacramentum proprie dictum; sed tantum cum benedicitur, frangitur, distribuitur et cum statim post confectionem defertur ad infirmos. Imo aliqui inter Protestantes Eucharistiam in gratiam infirmorum fatentur conservari posse etiam ad triduum; sed triduo elapso, omnem Sacramenti rationem prorsus evanescere, ita ut reviviscant panis et vinum, sicut erant ante consecrationem.

R. 2: Errores huiusmodi sic Tridentinum omnes simul damnavit: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem D. N. J. C.; sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post: et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit*¹. Et concurs est doctrina Patrum, Irenæi², Origenis³, Nysseni⁴, Ambrosii⁵, Augustini⁶, etc. Sit pro omnibus S. Cyrillus qui ait: *Postquam*

¹ Sess. xiii, can. iv.

² L. IV, adversus hæres., c. xviii, n. 5. — ³ Homil. xiii, in Exod.

⁴ Orat. catech., c. xxxvii. — ⁵ L. IV, de Sacram., c. iv.

⁶ Enarrat. in Ps. xxxiii.

*autem oculos tuos sancti corporis contractu sanctificaveris, illud percipe advigilans*¹. Et Constitutiones Apostolicæ antiquæ praxim fidem faciunt, dum dicunt: *Cumque universi et universæ communicaverint, accipientes diaconi quæ supersunt, in pastophoriis reponunt*².

Ratio suffragatur, quod Eucharistia natura sua sit permanens: 1. Christus antequam Apostolis Eucharistiam traderet, ait, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*. Ergo Eucharistia ante sumptionem jam existebat; ergo in sumptione Christus eam non constituit; 2. Eucharistia fuit instituta tanquam cibus spiritualis animæ nostræ: at natura cibi ejuslibet talis est, ut in sua natura existat independenter ab ejus usu et sumptione; 3. Sacramentum hoc conficitur a Sacerdote, qui solus valide consecrat. At si tantum in ejusdem usu et sumptione esset constituendum, non conficeretur a solo Sacerdote; sed plerumque a fidelibus, a pueris, imo a mulieribus ipsum suscipientibus³.

Ad rem Martinet: Usus non expectat Eucharistia, ut fit in aliis sacramentis, ad manifestandam suam efficaciam; hic enim est ille de quo legitur: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes*. Imo præter thronum gratiæ, placuit Christo in Eucharistia collocare compendium evangelii, memoriam mirabilium suorum, ac gymnasium religionis; ibi enim cumulavit exempla omnium virtutum, præsertim obedientiæ, patientiæ, charitatis, paupertatis, etc.

576. Q. 3. *Quandonam Eucharistia fuit instituta?*

R. Sentiant omnes, Christum Eucharistiam immediate et per se instituisse in ultima cæna, quam cum Apostolis suis celebravit in civitate Jerusalem pridie quam pateretur. Id patet clarissime ex Scripturâ:

¹ Catech. mystagog. v, n. 21.

² L. VIII, c. xiii.

³ Etiam prioribus sæculis ea fuit Ecclesiæ consuetudo, ut Eucharistiam ad varios usus servaret. Sic per Diaconos mittebatur ad fideles, qui sacris interesse non poterant. Sic fideles illam adportabant domum, serviente tyrannorum persecutione, ut si eorum in manus incidissent, cibo illo cælesti se ad pugnam roborarent. Reservabatur etiam favore peregrinantium, ut iis firmum in itinere præsidium esset. Quod si aliquando Eucharistia consumari præcipiebatur, id erat vel ne ingruente persecutione profanationi exponeretur, vel quia locus decens pro ejus conservatione non erat, vel ne hostiæ diu conservatæ putrescerent, ut ex historia constat. — V. Knoll, Billuart, Drouen.

*Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem*¹, etc. — At si quærat de die præcisa tam admirandæ institutionis, non satis conveniunt. Provenit discordia ex duplici controversia: prima, utrum Christus institutioni Eucharistiæ præmiserit celebrationem Paschatis mosaici; secunda in casu affirmativo, quonam die Pascha comederit. Hoc posito, dicimus: Christus Pascha legale vere celebravit et quidem legitimo die, luna nempe 14^a mensis Nisan, hoc est feria 5^a ad vespervas. Ubi notandum Judæos a novilunio mensem inchoare: unde apud ipsos idem est primus dies ac prima luna: mensis autem Nisan est martius.

1. Quod Christus verum Pascha Hebræorum celebraverit, admittit communiter contra Lamy et Calmet: imo contrariam sententiam nimis audacem appellat Benedictus XIV². Sane in Scripturis habetur, Christum ab Apostolis interrogatum fuisse, ubi vellet parari sibi comedere Pascha. Ipso imperante, paraverunt: Jesus discubuit cum Discipulis; atque, ut luculentissime patet ex contextu, cum illis Pascha manducavit³. Hinc Tridentinum aperte ait, quod Christus, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha⁴.

2. Quod autem id factum sit luna 14^a mensis Nisan exeunte, communiter docent Latini contra Græcos; dicitur enim Christus prima die Azymorum, quando Pascha immolabant Judæi, fecisse Pascha cum Discipulis suis⁵. Atqui hæc dies erat luna 14^a sub vespervis, ut habetur in Levitico⁶: Mense primo, quartadecima die mensis, ad vespervam phase (hoc est Pascha) Domini est, et quintadecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est⁷. Quæ solemnitas a vespervis diei antecedentis incipiebat⁸.

¹ Matth. xxvi.

² De Fest., l. I, c. vi. — ³ Matth. xxvi.

⁴ Sess. xxii, c. i. — ⁵ Marc. xiv. — ⁶ Lev. xxiii.

⁷ V. Petavius, *De Doctrina Temporum*, l. XII. — P. Honoratus a S. M. *In artem criticam*. — Berti, Witsse, Billuart. — *Bible de Vence*, diss. vi, vii: Sur la dernière Pâque de Jésus-Christ. — Et pereruditum opus F. Patritii, *De Evangelii libri tres*. Romæ, 1855.

⁸ Apud Judæos tres dies distinguebantur: *Naturales*, qui ab una media nocte ad aliam protraherentur; *artificiales*, qui ab ortu solis ad occasum in duodecim horas distribuebantur; *legales* seu *festivi*, qui accipiebantur a vespera præcedentis diei ad vespervam sequentis. Qua distinctione admissa, plures apparentes difficultates solvuntur: sic Joannes, qui c. xiii ait Christum legalem cœnam fecisse *ante diem festum Paschæ*, locutus est de die naturali a media nocte ad mediam noctem traducto; vel de artificiali ab ortu usque ad occasum solis. Ceteri vero Evangelistæ de die legali, a ves-

3. Quod tandem id evenerit feria quinta ad vespervas, probari potest ex testimonio Joannis: *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum*¹, etc. Ergo Christus fuit occisus feria vi; Parasceve enim Hebræorum nostræ feriæ vi correspondet. Vespere autem antecedenti Christus suam Passionem inchoavit; ante Passionem Pascha celebravit; ergo revera feria v.

Art. I. — Realis Christi præsentia in Eucharistia.

577. Q. Qui realem Christi præsentiam in Eucharistia inficiantur?

R. Juxta nonnullos Joannes Scotus in Hibernia sæculo IX primus omnium ausus est affirmare, quod in Altari consecratur, neque vere Corpus neque vere Christi Sanguinem esse; sed omnia specie geri et non veritate. Verum hoc valde incertum est².

Unde: 1. hujus erroris parens censetur Berengarius Turo-nensis sæculo XI, qui in Conciliis compluribus cito damnatus fuit, uti videre est penes Witassium.

2. Sæculo XII Petrus De Bruis, a quo hæretici *Petrobru-siani*, aperte docuit Sacramentum Eucharistiæ nihil esse, neque Deo offerri debere. Eidem acriter adhæserunt paulo post Enriciani sic dicti a quodam Enrico De Bruis sectatore præcipuo.

3. Venerunt sæculo XVI Carlostadius, Zuinglius, Ecolam-padius, Bucerus et Calvinus, qui omnes diversa quidem via, in id tamen conveniunt, ut negent veram ac realem Christi

pera nempe usque ad sequentem vespervam, cum scripserunt *prima die azy-morum*. Matth. xxvi; Marc. xiv; Luc. xxii.

¹ Cap. xix, 51, *Pascha nostrum* non jam inductum est in memoriam hu-juse institutionis; sed Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Ideo au-tem Pascha appellari cepit, quia primis Ecclesiæ sæculis non raro contingebat, ut illa solemnitas in diem Paschatis Hebræorum caderet: in Asia talis erat usus. In prima tamen Nicæna Synodo (anno 325) sanctum est, ut Paschæ dies festus dominica post quartam decimam lunam ab omnibus ageretur; ne christiani judæos imitari viderentur. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v^o Pâque.

² V. Perrone, *De Euch.*, c. vi.

præsentiam; alii enim contendunt verba Christi *hoc est Corpus meum* sensu metaphorico intelligenda esse, nempe pro figura corporis. Alii volunt Christum manducari per fidem, quia fidelis credendo illum sibi attrahit et reddit præsentem. Alii censent Corpus Christi aliquam virtutem e cœlo diffundere in animam communicantis; alii aliter.

4. Demum errorem secuti sunt Sociniani et rationalistæ. Qui omnes *Sacramentarii* in scholis nuncupantur. — Contra istos sit de fide:

PROPOSITIO

*In Eucharistiæ Sacramento post panis et vini consecrationem, Dominus N. J. C. verus Deus et homo, vere, realiter et substantialiter sub specie illarum rerum sensibilibus continetur*¹.

Prob. 1: Ex Scriptura, ubi Eucharistiæ institutio sic refertur: *Cœnantibus eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: Accipite et comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratius egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*². Quo nil evidentius: Christus nempe docet in Eucharistia esse suum illum ipsum Corpus, quod pro nobis in cruce tradendum erat; et

¹ « Le mot *vere* (ad rem S. Alph., *Opera dogm.*, sect. xiii) est destiné à exclure la présence figurée de Jésus-Christ, comme l'entendent les sacramentaires; la figure est opposée à la vérité, et c'est pour cela qu'on dit *vere*. Le mot *realiter* a pour but d'exclure la présence imaginaire, parce que les hérétiques prétendent que la chair de Jésus-Christ n'est point dans l'Eucharistie corporellement, comme elle est au ciel, mais par la foi qui l'y représente, c'est-à-dire comme si elle y était. Calvin consent à dire que le corps réel de Jésus-Christ est dans la cène, mais il ne veut pas reconnaître qu'il y est réellement. On dit enfin *substantialiter* pour exclure la présence de seule efficacité ou vertu, à laquelle Calvin réduit la présence du corps réel de Jésus-Christ, en disant que la substance du corps de Jésus-Christ n'est point dans l'Eucharistie, mais bien sa vertu, par laquelle il se donne à nous avec ses richesses. »

² Matth. xxvi; Marc. xiv; Luc. xxii; I Cor. xi.

illum ipsum Sanguinem suum, qui erat ibidem effundendus. Atqui verum et reale Corpus suum tradidit: verum et reale suum Sanguinem effudit, non in figura et in signo. Quis enim dixerit de simplici figura, de nudo signo et imagine Christum fuisse allocutum (prout plurimi novatorum cum rationalistis contendunt) quando Eucharistiam Discipulis suis promittens inquebat: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita? Amen, amen, dico vobis: nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*¹?

Neque illud *manducare et bibere* sensu metaphorico accipi potest, nempe de manducatione et potu spirituali; Christus enim ipse omnem sensum metaphoricum hic aperte excludit inquebat: *Caro vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus*. Nemo autem dixerit cibum et potum spirituales esse *vere cibum et vere potum*. Deinde Apostolos et Judæos litteraliter omnino locutiones Christi accepisse, evidentissime patet, nam primi novitate sermonis quasi offensi inquebant ad invicem: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Alii autem litigabant inter se dicentes: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Sed si Christus, qui est *via, veritas et vita*, metaphorice fuisset locutus, debuisset ex eorum animis talem et tantum errorem et offensionem sustollere. Et tamen non solum non sustulit, imo crebra repetitione sensum suum litteralem aperte confirmavit: *Amen, amen, dico vobis: nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*².

Neque obstant verba, quæ postea subjunxit Christus: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Hoc enim subjunxit non ad indican-

¹ Joann. vi.

² In sensu litterali esse accipienda verba Christi, patet vel ex ipsa difficultate sensum figuratum adstruendi. Jam ab anno 1570, Bellarminus refert, ducentæ numerabantur hæreticorum expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: *Hoc est Corpus meum* (De Eucliar., l. I, c. viii).

dam spiritualement manducationem per fidem, sed ad excludendam materialem Capharneitarum intelligentiam, qui Corporis Christi manducationem modo cruento intelligebant, ita ut illius Corpus in propria specie premeretur dentibus et in frustra divideretur. *Non prodest quidquam*, explicat Augustinus, *sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur: non quomodo spiritu vegetatur; accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum*¹.

Prob. 2: Ex constanti et universali Ecclesiae traditione, cujus quidem 1. testes sunt omnes Patres². Satis tamen sit referre eorum testimonia quae ad tria priora saecula spectant; iis enim saeculis Ecclesiam fuisse puram vel ipsi fatentur haeretici. S. Ignatius episcopus et martyr, discipulus S. Joannis Evangelistae, de haereticis docetis seu phantasiastis scribit³: *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam Carnem esse Salvatoris Nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benigntate suscitavit*: ergo doctrina erat S. Ignatii in Eucharistia esse illam ipsam Christi Carnem, quae passa est et suscitata. S. Justinus martyr de Eucharistia scribebat saeculo II: *Alimoniam incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus*⁴. Tertullianus autem saeculo III: *Caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur*⁵; sed caro non vescitur Corpore Christi per fidem, vel sensu metaphorico. Hoc argumentum desumptum ex doctrina Ecclesiae per tria priora saecula tanti roboris visum est ipsis Protestantibus, ut plures eorum ad fidem Catholicam perduxerit⁶; — 2. traditionis testes sunt tum Concilia, ut Nicenum primum, et secundum, Alexandrinum, Lateranense quartum, etc.; tum liturgiae quae usque ad saeculum XVI publico cultui inservierunt in universa Ecclesia tam occiden-

¹ Tract. XXVII in Joann. — V. Bossuet, *Histoire des variations*.

² P. Perrone velut in synopticam tabulam Patrum doctrinam redegit ad decem capita.

³ Ed. ad Smir., c. vii. — ⁴ Apol. i, n. 66. — ⁵ De resurrectione, c. viii.

⁶ V. *Viaggio di un gentiluomo irlandese in traccia di una religione*, di Tommaso Moore. Milano, Agnelli, 1854. — Charvaz, *Guida del Catechismo valdese*, p. III, l. VII, rag. v.

tali quam orientali, ut monumentis probant Renaudotius, Martenius, Bona, Thomassinus, Mabillonius, Muratorius, Lebrunius et alii. Quae quidem omnes liturgiae expresse hanc veritatem supponunt et tuentur; — 3. testes sunt omnes sectae antiquae, gnostici, valentiniani, marcionitae, ariani, nestoriani, armeni, syriacobitae, graeci schismatici, etc., qui circa hoc dogma convenere omnes, atque superstites adhuc conveniunt; — 4. vel ethnici testes sunt suis calumniis, quibus Christianos arguebant, quod ipsi nempe carne humana et sanguine vescerentur in suis conventibus.

Prob. 3: Ex praescriptionis argumento, ita ut inimici nullum hujus doctrinae initium extra Christum et Apostolos indicare possint; cum tamen nos adsignemus primam doctrinae contrariae originem. Remanet ut concludamus cum Tridentino: *Si quis negaverit sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C. ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo uti in signo vel figura aut virtute, anathema sit*¹.

Realis autem Christi praesentia in Eucharistia convenit Deo, qui ideo infinitas ejus perfectiones mirabili prorsus modo manifestat; convenit indoli religionis christianae, quae oportebat ut aliquid plus haberet de veteri lege, ut nempe si haec in suis sacrificiis exhibebat Christum in figura, illa Christum contineret in veritate; convenit hominibus, quorum fides, spes et charitas per hoc mysterium mirabiliter perficiuntur.

Obj. 1.: Christus de seipso ait: *Ego sum panis*², nec tamen ita dicendo seipsum mutavit in panem; ergo dicens: *Hoc est Corpus meum*, panem in corpus suum non mutavit. — Adde: Joannes affirmat quod *Verbum caro factum est*³, quin tamen inferri possit Verbum conversum esse in carnem; ergo vere dici potest *hoc est Corpus meum*, quin panis substantia fuerit immutata. — Praeterea: nonne de ferro candente et de dolio vinum continente recte dicitur *hic est ignis*, *hoc est vinum*, etiamsi nulla intercesserit mutatio? Ergo dicere potuit Christus *hoc est Corpus meum*, etsi substantia panis adhuc subsistat, et in ea sit inclusum Corpus Christi Domini.

¹ Sess. xiii, can. i. — V. Klee, *Histoire des dogmes*, hoc tit.

² Joann. vi. — ³ Joann. ii.

R. ad 1. : Priora verba metaphorice intelligenda sunt; siquidem non absolute Christus se panem appellavit, sed *panem vivum, panem vitæ*, scilicet comparate ad manna Hebræorum, de quo sermo erat : at posteriora verba sensum litteralem habent, lutheranis ipsis fatentibus, et patet ex contextu. Adde repugnare Christum mutari posse in panem, cum id vetat ipsius natura quæ immutabilis est; at nulla pugna, si panis in Christi corpus convertatur. — Ad 2. : Verbum est inconvertibile in panem; at panis bene mutari potest: unde verba Apostoli pro modo suo sunt accipienda, quod nempe Verbum assumpsit humanitatem, sed haud immutando; panis vero immutatus fuit, et tota ejus substantia in Christi corpus conversa est, solis panis speciebus remanentibus. — Ad 3. : ferrum candens ignis dicitur, quia omnes ejus partes ignis pervadit: item vini dolium vinum appellatur, quia ex communi usu destinatum est ad vinum continendum. At in nostro casu nec panis partes omnes Corporis Christi pervadit, nec a natura sua vel communi usu panis destinatus est ad continendum Christi Corpus. Hinc qui de pane, in quo lateret aurum, diceret *hoc est aurum*, falsum diceret: quia panis nec a natura sua, nec etiam ex hominum consuetudine ordinatus est ad continendum aurum.

Obj. 2. : Christus post consecrationem apud Matthæum subjunxit: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum*, etc. Ergo vinum adhuc erat in calice post consecrationem; ergo non nisi figurate dicitur Sanguis Christi Jesu.

R. Eo in loco non agitur de calice consecrato: sed de calicis non consecrati distributione, quæ ante Eucharistiæ institutionem obtinuit, ut clarius patet apud Lucam². Ceterum non pugnat quod sanguis Christi vinum adhuc appelletur; tum quia ex vino conversus est: res autem in aliam versa in Scripturis primum etiam nomen retinet juxta illud: *Ut autem gustavit architrachelinus aquam vinum factam*³; tum quia sanguis Christi adhuc apparentiam habet vini, et in Scripturis res per eam, quam habet apparentiam, sæpe indicatur: sic Deus qui sub forma ignis apparuit, *ignis consumens* vocatur⁴. — Sic etiam nonnulli Patres Eucharistiæ appellant typum, figuram, imaginem, signum corporis Christi, ratione nempe specierum panis et vini, quæ ex Christi institutione sunt signum et figura corporis sui, non absentis quidem, sed presentis et sub ipsis realiter contenti.

Obj. 3. : Dogma realis Christi presentis in Eucharistia rectæ rationi repugnat; repugnat 1. *quod unum corpus, nempe Christi, sit simul*

¹ Cap. xxvi. — ² C. xxii. — ³ Joann. xi.

⁴ Deut. iv. — V. Alasia, Knoll, Liebermann, Billuart, etc.

in pluribus locis, scilicet in tot hostiis consecratis; 2. quod accidentia subsistant sine subjecto, nempe panis et vinum sine panis et vini substantia: et sane si instituat chymica analysis particulæ aliquæ consecratæ, in ea reperitur substantia vegetalis panis et vini; 3. quod Christi Corpus nos nutriat et ejus Sanguis nos etiam inebriet; 4. quod Corpus Christi profanetur, frangatur, corrumpatur.

R. Eucharistia (perinde ac reliqua Religionis mysteria) cum superet rationis nostræ captum, fieri nequit, ut demonstretur eam rectæ rationi repugnare; ut enim duorum terminorum ostendatur intrinseca repugnantia, clara illorum cognitio habenda est, ut sic comparentur, et ex comparatione contradictio resultet: nempe scire deberemus quid sit corpus in ordine supernaturali, quid corpus glorificatum, et in statu sacramentali, quæ locorum natura, et materiæ essentia: quæ tamen omnia ignoramus. Nequeunt igitur adversarii judicare de repugnantia corporis Christi in Eucharistia, seu in statu corporis gloriosi et sacramentalis, prout non posset cæcus, qui nullam coloris ideam habeat, judicare et affirmare, quod repugnet circulus rubei coloris. Hoc autem indirecto principio omnes objectæ difficultates de facili solvi possunt. Sed respondendo directe:

Ad 1. dicimus: sicut potest homo speculum formare, in quo unus idemque homo appareat multiplicatus, licet multiplicatus non sit: poterit Deus cujus virtus est infinita multiplicem panem in vero Christi corpore convertere, ita ut unum idemque eodem tempore in pluribus locis vere et realiter existat, quin tamen varium et multiplex sit¹. — Ad 2. : cum Deus possit per seipsum producere omnes effectus, qui fiunt per quæcumque causam creatam: poterit etiam per seipsum conservare accidentia sine subjecto, subtracta substantia, per quam prius veluti per propriam causam conservabantur². Impossibile est

¹ Audiatur Angelicus (q. 76, a. 5): *Corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ, id est per modum, quo substantia est sub dimensionibus; non autem per modum dimensionum, id est non per modum illum, quo quantitas dimensionum alicujus corporis est sub quantitate dimensionum loci. Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est in qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive dimensiones sint actu divisæ, sicut cum aer dividitur vel panis secatur, sive sint actu indivisæ, divisibiles vero in potentia.*

² Iterum Angelicus (q. 76, a. 5; et q. 77, a. 1): *Cum enim effectus magis pendeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare*

autem, ut instituat processus chymicus corporis gloriosi et incorruptibilis, ut est Christi corpus post ejus resurrectionem : quod si analysis chymica instituat in species, jam ipse corrumpuntur; cum immutentur, ac partes secernantur : ergo sicuti cessat in stomacho nostro realis Christi corporis presentia, statim ac corrumpuntur Eucharistica species, sic cessat, dum per chymicam operationem eadem species immutantur. — Ad 5. : utique Christi corpus in Eucharistia, cum sit incorruptibile, nequit per se nos nutrire; sicut neque etiam nos nutrit aut inebriat substantia panis et vini, quæ in eo non sunt. Deus itaque extraordinaria ratione supplet (aut novæ substantiæ reproductione ut aliquibus placet, aut alio modo sibi cognito); Deus enim ad exercitium fidei nostræ constituit, ut panis, idem dic de vino, consecratus easdem subeat vires, et eosdem producat effectus divina virtute, quos produceret, si consecratus non esset¹. — Ad 4. : corpus Christi utpote gloriosum non magis attingitur in profanationibus, quam ipsa divinitas, quæ etsi ubique præsens, non ideo tamen dicitur sordescere in sordibus; homines igitur sacrilegi sibi nocent, non Christi corpori in se. Nec alteratis speciebus eucharisticis, ideo corrumpitur Christi corpus, sed desinit esse; ideo corruptio, fractio, et similia proprie non nisi de speciebus prædicari possunt².

potest in esse accidens, subtracta materia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam. Sicut enim alios effectus causarum naturalium potest producere sine naturalibus causis, sicut corpus humanum formavit in Virgine sine virili semine. Manifestum est, quod accidentia non sunt in substantia corporis Christi, sicut in subjecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici... Ideo relinquitur quod accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto, virtute divina.

¹ Denuo Angelicus : Unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere, quia igitur speciebus sacramentalibus datum est divina virtute, ut remaneant in suo esse, quod habebant, substantia panis et vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere; et ideo omnem actionem, quam poterant agere substantia panis et vini existente, possunt etiam agere substantia panis et vini transeunte in Corpus et Sanguinem Christi... Species Sacramentales sunt quidem accidentia; habent tamen actum et vim substantiæ; quantitas dimensiona retinet naturam propriam et accipit miraculose vim et proprietatem substantiæ, et ideo potest transire in utrumque, in substantiam et dimensionem... Ex hoc cibis nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti; species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam quæ ex eis generatur; per eandem rationem possunt converti in corpus humanum, per aquas possunt converti in cineres, et vermes; et ideo manifestum est, quod nutriunt (5 p., q. 77, a. 3; et q. 77, a. 5 et 6).

² Corruptio (ait Angelicus, q. 77, a. 4) est motus ex esse in non esse.

Art. II. — De transsubstantiatione et cultu Eucharistiæ debito.

578. Q. 1. Quomodo Christus est præsens in Eucharistia?

R. Stabilita vera et reali Christi presentia in Eucharistia contra Calvinianos et alios, nunc pugnandum est cum Lutheranis, qui admittunt quidem dogma veræ et realis presentia Christi in Eucharistia; sed negant panem et vinum in ejus corpus et sanguinem transmutari. Horum alii contendunt in Eucharistia Christum hypostatice conjungi cum pane et vino, sicut Verbum divinum unitur cum humanitate; et talem conjunctionem *impanationem* et *invinationem* appellant. Alii contendunt substantiam corporis Christi quodam quasi modo consociari cum substantia panis et vini, ita ut vel cum eo, vel sub eo, vel in eo existat: ad hoc inventum indicandum *consubstantiationis* vel *companationis* nomine utuntur.

Verum Catholici docent totam ipsam substantiam panis et vini converti in corpus et Sanguinem Christi ita, ut panis et vini nihil amplius remaneat præter externas eorum species: et in hoc situm est dogma *transsubstantiationis*, quod est veluti sequela dogmatis de reali Christi presentia, quod sic a Tridentino definitum est: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem con-

Species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis et vini existente; et ideo hujusmodi esse potest corrumpi a contrario agente; sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, illa substantia abeunte. Species sacramentales licet sint formæ non in materia; habent tamen esse quod prius in materia habebant. Corruptio illarum non est miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamen miraculum, quod factum est in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto quod prius habebant: sicut et cæcus miraculose illuminatus, naturaliter videt.

versionem catholicam Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit¹. Id jam declaratum fuerat in Lateranensi IV, in Constantiensi, ac Florentino. Id firmat traditio SS. Patrum²: sit pro omnibus D. Ambrosius³: *Qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erat?* Omnes tandem liturgiæ ab Apostolorum ætate ad nos usque concordant, ut videre est apud Renaudotium et alios.

Id autem plane constat ex Scriptura: nam verba illum *hoc est Corpus meum* (idem die de vino) non significant panem esse simplicem figuram corporis Christi; Lutherani enim nobiscum fatentur realem Christi presentiam in Eucharistia. Non significant panem uniri hypostatice cum Christo; addit enim Christus *Corpus meum, quod pro vobis tradetur*; at panis non est pro nobis traditus, nec crucifixus, sed verum Christi corpus. Non significant sub pane, vel in pane, vel cum pane contineri corpus Christi; nam talis sensus esset evidenter contortus et omnium loquendi legum subversivus: ex eo enim quod duo simul in eodem loco consistunt, non sequitur unum eorum esse alterum, aut unum de alio affirmari posse. Ergo significant panem mutatum esse in verum corpus Christi. Hinc vel ipse Leibnitzius Lutheranus homo habet: *Pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in Corpus Christi, vinum in Sanguinem; passimque hic veteres agnoscunt metastoicheiosin, quam litini transsubstantiationem recte vertunt...: quemadmodum agitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit (U).*

579. Q. 2. *An Christus totus contineatur sub qualibet specie et parte?*

R. Affirmative: veritas catholica sic definita est a Tridentino: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit*⁴. Christus sane præbens Eucharistiam Discipulis suis dixit: *Manducate ex hoc, bibite ex hoc omnes*; atqui non

¹ Sess. XVIII, can. III. — V. Bossuet, *Histoire des variations*, I. II.

² F. Wiseman, *Conferenze sulle dottrine e pratiche più importanti della Chiesa cattolica*, Conf. XIV, XV et XVI. — Klee, *Histoire des dogmes*, etc.

³ De initiandis, c. IX.

⁴ Sess. XIII, can. III.

omnes ex eo manducassent totum corpus neque totum bibisset sanguinem, sicut promiserat, si quælibet particula totum non continisset: manducatio enim debebat esse multiplex; debebat ergo omnis particula totum Christum continere. Hinc Ecclesia canit: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.*

Dicitur in Tridentino canone *separatione facta*: unde de fide non est totum Christum esse sub singulis specierum partibus etiam ante divisionem. Attamen omnino certum videtur; neque enim fractio efficere potest, ut Christus totus sit ubi antea totus non erat. Neque ideo multiplicia admitenda sunt corpora Christi sub unaquaque specie; Christus enim non est sub specie eo modo quo corpora naturalia sunt in locis, sed eo fere modo qua anima est in corpore, quæ tota singulis corporis partibus unita est.

580. Notandum autem ex eodem Tridentino¹, quod *vi verborum* solum corpus sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini existit; quia *vi verborum* illud unum in Sacramento ponitur, quod per verba formæ exprimitur; et per verba quibus consecratur vinum, exprimitur solus sanguis. Per hoc tamen non potest inferri, quod totus et integer Christus sub unaquaque specie non contineatur; si enim non *vi verborum*, utique *vi*, ut vocant, *concomitantæ* (quæ est conjunctio unius cum alio) corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, et sub utraque existere animam et divinitatem Christi, certum est; quia corpus Christi in Eucharistia est vivens, impassibile et immortale. Christus enim, ait Apostolus, *resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*²; non potest esse tale sine sanguine et anima: anima autem et corpus propter hypostaticam unionem necessario cum divinitate sunt conjuncta.

Et Concilium Constantiense habet: *Firmissime credendum et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* Idem docet Florentinum in decreto ad Armenos. Concordant Patres; S. Ignatius

¹ Sess. XIII, cap. III.

² Rom. VI.

docet in Eucharistia contineri *carnem, quam Pater suscitavit*¹. S. Ephrem testatur nos *agnum integrum comedere*². S. Joannes Chrysostomus ait: *Quot sunt qui modo dicunt: Vellem ejus (Christi) formam, typum, vestimenta, calceamenta videre? ecce illum vides, ipsum tangis, ipsum comedis*³. S. Augustinus dicit, Christum in ultima coena panem consecrando, *se ipsum in manibus gestasse*⁴; et ita porro. Ideo autem sub distinctis symbolis corpus et sanguinem suum præbuit; quia hisce voluit cruentam etiam suam mortem significare ac sacrificium instituere.

Imo in Eucharistiæ speciebus non solum totus et integer Christus, sed etiam Pater et Spiritus sanctus per concomitantiam continentur; Pater enim et Spiritus sanctus propter summam identitatem omnium divinarum personarum in una natura, inseparabiles sunt a Verbo juxta illud Christi: *Pater in me est, et ego in Patre*⁵. Ergo facta consecratione, tota Trinitas incipit esse in Eucharistia, non absolute, quia cum ubique sit, non potest absolute incipere esse alicubi; sed specialiter et novo quodam modo, mirabilissimo prorsus.

581. Q. 3. *Quandonam Christi Corpus desinit esse sub speciebus?*

R. Christus desinit esse in Eucharistia, quando tanta fit specierum immutatio, ut juxta consuetum loquendi modum non amplius videatur panis et vinum, sed materia corrupta; hæc enim est illius natura, ut tamdiu remaneat, quamdiu rationem habet cibi et potus. Hinc deducimus pro praxi, species in tabernaculo elausas frequenter renovandas esse; cum corruptioni magis subjectæ sint. S. R. Congregatio 7 apr. 1753 vult, ut Sacramentum renovetur qualibet dominica die: Benedictus XIV Constitutione *Etsi* vult ut particula singulo octiduo, vel hyemali tempore ad summum quintadecima die renoventur.

Quod vero ad susceptores pertinet, alii censent in laico species consummari intra quinque *Pater* et *Ave*; in Sacerdote vero postquam ille vestibus sacris est exutus: Lugó tamen refert plures medicos a se consultos putasse, id intra minutum evenire in laico; in Sacerdote intra medium qua-

¹ Epist. ad Smyrn.

² Serm. *De iis qui Filii Dei naturam scrutantur*.

³ Hom. in Matth. LXXXII. — ⁴ Enarrat. in Psal. xxxi. — ⁵ Joann. x.

drantem. Verum hic ratio habenda est majoris vel minoris stomachi caliditatis, ut patet¹.

582. Q. 4. *In quonam situs est cultus Eucharistiæ debitus?*

R. Cultus SS. Eucharistiæ debitus in his maxime consistit: ut ipsa patriæ cultu, etiam externo et publico, adoretur, peculiari celebritate veneretur et solemniter circumferatur. Hæc omnia de fide sunt a Tridentino contranovatores sic definita: *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu patriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum; vel non publice, ut adoretur, populo proponendum; et ejus adoratores esse idololatrias, anathema sit*². Et recte quidem, ut disserit idem Concilium; *nam illum eundem Deum præsentem in eo (Sacramento) adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adoret eum omnes Angeli ejus; quem Magi procedentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur*³.

Item præstat, ut peculiari celebritate veneretur eum solemniter circumgestando ut ita *Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio*. Atque simul, *ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant*⁴.

Dices: *Christus non dixit adorate, sed tantum comedite et bibite; hinc antiqua praxis et Patres nil habent de Eucharistiæ adoratione*.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 225.

² Sess. XIII, can. VI. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 424. — Ferraris, *vº Processiones*.

³ Quod valet etiam de *humanitate ipsius*; quæ cum facta sit propter hypostaticam unionem propria Verbi, est utique adoranda eodem patriæ cultu. Ita Athanasius, *Ep. ad Edolph. V*, Bulla *Auctorem fidei*, ubi contraria propositio sub n. 61 damnata est.

⁴ Sess. XIII, c. v.

Item id ab idololatria excusari nequit; nam cum Christo etiam species adorantur quæ sunt quid creatum.

R. ad 1. : Mirum esse non debet, si Christus expresse non præceperit Eucharistiæ adorationem; hæc enim necessario sequitur, semel data reali Christi ipsius præsentia in Sacramento: adoratio, inquit protestans Clausen, est consequentia logica dogmatis de reali Christi præsentia. Modus autem adorationis ad Ecclesiam spectat, quæ pro temporum necessitate, ac locorum et personarum adjunctis ritus et solemnitates præscribit sapientissime, ut Leibnitzius et ipse de novatorum secta faletur.

Ad 2. : Falsum est hanc adorationem traditione non probari; nam in antiquissimis liturgiis, ut videre est penes Witassium et Richardum Simonem, Christum in Eucharistia adorandum esse præcipitur; et Patres in hac re concordantes sunt: *Nemo illam carnem manducet, ait Augustinus, nisi prius adoraverit*¹. Et Chrysostomus: *Ipse rex adest, et tu adstas oscitans? igitur adora et communica*²; et ita ceteri.

Ad 3. : Non species adoramus, sed Christi corpus speciebus contentum. Magi, Apostoli, Magdalena, cæcus natus et alii Christum adorare pannis involutum et indutum vestibus. At nemo illos idololatria accusat; quia quisque probe novit, adorationem non ad pannos aut vestes, sed ad Christum Deum directam esse. Multo minus igitur sunt accusandi de idololatria catholici qui Christum sub speciebus panis presentem adorant.

Si Eucharistia (addes) adoranda est, quia Christus sub speciebus panis est præsens, etiam adorandi sunt fideles post acceptam Eucharistiam, imo et animalia et reliqua, quia Deus omnibus creaturis intime præsens est sua immensitate.

R. Eucharistia ideo adoratur, quia Christus in eo continetur solus, nulla alia præsentia substantia, quæ simul adorari videretur; et quia species sacramentales quibus modo prorsus admirabili in Eucharistia velatur Christus, sunt aliquid Christi ut in Sacramento existit, et apprehenduntur unum quid in statu sacramentali. Hæc ratio autem minime valet pro fidelibus a sacra communione statim recedentibus, aut pro creaturis quibus Deus vi immensitatis suæ inest.

583. Q. 5. *Quid de praxi circa Sanctissimi Sacramenti asser-
vationem, et illius exponendi usum?*

R. Ad 1 : *Consuetudo asservandi in Sacratio sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ait Tridentinum, ut eam sæculum etiam*

¹ Enarrat. in Ps. xcviij.

² Homil. iij in epist. ad Ephes.

*Nicæni Concilii agnoverit. Et postea definitivè: Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in Sacratio servari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam... anathema sit*¹. Ne tamen id fiat indiscriminatim sine debita reverentia, Eucharistia ex pluribus decretis S. C. C. ea habitualiter asservari nequit, nisi in parochialibus Ecclesiis. Quoad alias Ecclesias requiritur *præsidium Apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quæ illius præsumptionem inducat*, ut ait Benedictus XIV Bulla *Quamvis Justo*. Semper autem obligatio est gravis eam asservandi cum lumine: unde aiunt Quintanus et Diana mortale esse, si ob negligentiam gravem integra die vel aliquibus integris noctibus, non curetur, ut lumen ardeat. Quaquam Marchantius obligationem et consuetudinem tam universalem neget².

R. Ad 2 : Usus Eucharistiæ exponendæ et antiquus est, ut probat Christianus Lupus; et salutaris, cum retrahat a vanis atque ad devotionem excitet. Quia tamen frequentata vilescent, ideo curandum ut omnia debito ordine fiant: qua in re dico: 1. si quis privatus hanc expositionem fieri curet ad publicam devotionem promovendam, tunc publica potius quam privata causa esse videtur; 2. in hoc spectandum est, an in iis locis ubi fit expositio, devotio et cultus Sacramenti augeatur magis vel minuat, et juxta hanc regulam censeo expositionem faciendam vel omittendam; debita semper obtenta Ordinarii licentia. *Illud in primis certissimum est* (ait Benedictus XIV, Decreto 16 apr. 1746 incipiente *Accepimus*) *huic sedi Apostolicæ, in quibuscumque ecclesiis (nota) etiam privilegio immunibus sive sæcularibus sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et episcopi facultas intervenerint; solius autem episcopi partes esse, ut causæ publicæ meritum expendat ac declaret*³. Hæc de expositione publica.

584. Ad levamen autem infirmi in mortis angustiis alicubi in usu est expositio privata: ideo tunc non licet Sacramentum extrahere eoque populum benedicere; sed tantum aperire tabernaculum et sacram pyxidem clausam ac velatam in ostiolo constitui et adorari, sex saltem cereis accensis atque incenso adhibito. Vid. Benedictus XIV Bulla *Cum ut recte*, data anno 1755 (V).

¹ Sess. xiii, cap. vi et can. vii.

² V. *Analecta juris Pontif.*, v. I: Lampe devant le S. Sacrement.

³ Et *Notificat.* xxx; it. *Decreta S. C. C.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 424. Advertendum autem, quod Parochi pro hujusmodi oratione facta pro infirmo ex Synodo Novariensi percipere poterunt libellam unam monetæ novæ pedemontanæ (pag. 141). Ec potest etiam fieri hæc privata expositio cum Ostensorio velato, ut ex *Notificatione* cardinalis Morozzo, 14 aug. 1854.

Art. III. — De necessitate Eucharistiæ¹.

585. Q. 1. An Eucharistia sit necessaria necessitate medii?

R. Putant quidam Græci schismatici ac plures Calvinistæ, auctore Dallæo, Eucharistiam omnibus et singulis fidelibus necessitate medii necessariam esse secundum realem susceptionem. Sed veritas catholica est, eam non esse necessario sumendam necessitate medii; nam incorporatio cum Christo facta in Baptismo sufficit, ut quis Christi ipsius membrum evadat, et filius Dei adoptivus cum jure ad cœlestem hæreditatem: *Quicumque baptizati estis, ait Apostolus, Christum induistis²; nihil damnationis est in eis, qui sunt in Christo Jesu³*. Et Augustinus, cujus auctoritate abutuntur Græci, habet: *Si percepto Baptismate, de hac vita migraverit (infans), soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumen veritatis⁴*. Hinc merito Tridentinum: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit⁵*.

Diximus secundum realem susceptionem; utrum enim Eucharistia necessaria sit in voto (seu desiderio) necessitate medii, affirmant probabilius cum Angelico: *Baptismus, ait, est principium vitæ spiritualis et janua sacramentorum; in Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis et omnium Sacramentorum finis⁶*; qui porro vitam incipit, ejus perfectionem et finem aliquo modo debet velle et intendere. Quod tamen neminem turbare debet; adulti enim tale votum habent, dum sacramenta Baptismi aut Pœnitentiæ suscipiunt; voluntas enim ipsorum præcepta implendi, hoc etiam præceptum Eucharistiæ saltem implicite comprehendit. Parvuli vero votum habent, non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiæ quæ pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptisma.

Quæ tamen privata expositio ne fiat, exposito Sanctissimo pro oratione 40 horarum, eodem altari.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 192 et seqq. — ² Gal. III.

³ Rom. VIII. — ⁴ L. I, *De pecc. mor.*, c. XIX. — ⁵ Sess. XXI, c. IV.

⁶ 3 p., q. 73, a. 3. — V. Billuart, *Salmanticenses*, et Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 192.

Si (dices) Eucharistia non est necessaria necessitate medii secundum realem sumptionem, occur Ecclesia per duodecim priora sæcula etiam infantibus Eucharistiam administravit? cur verba illa Christi Domini: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis?*

R. A disciplina ad dogma hæc in re non tenet illatio: non enim Ecclesia conferebat infantibus Eucharistiam, quia putaret iis esse necessariam; sed quia putabat utilem. Sic iis conferre solebat etiam Confirmationem; nullus tamen ex hæreticis inde concludet etiam Confirmationem esse necessariam necessitate medii. Adde: falsum est quod antiquitus ubique infantibus Communio tribueretur; nam docente Catechismo R., illa consuetudo fuit in quibusdam locis tantum recepta. Ceterum ob majorem reverentiam hujus Sacramenti, Ecclesia latina merito illud parvulis dari prohibuit, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ juxta D. Thomam¹. — Verba vero Christi: *Nisi manducaveritis, etc.*, continent præceptum pertinens ad adultos. Non enim dixit: *Nisi quis manducaverit*, quo in casu omnes omnino comprehendisset; sed *nisi manducaveritis*; unde verba dirigens Christus in secunda persona ac presentibus, non nisi ad eos, qui præcepti capaces sunt, illa dirigere voluit, ideoque ad adultos tantummodo.

586. Q. 2. An Eucharistia de necessitate præcepti sumenda sit?

R. Duplex de hæc gravissima obligatione adest præceptum, divinum nempe et ecclesiasticum:

1. Habetur præceptum divinum in illis Christi verbis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis²*. Ex communi vero sententia nos obligat ad Eucharistiam suscipiendam non solum in mortis periculo; sed etiam sæpius in vita. Sicut enim ad conservandam vitam corporalem necesse est non semel, sed sæpius cibum sumere terrenum; ita ad conservandam vitam spiritualem necesse est non semel, sed sæpius sumere cibum cœlestem. Certum est tamen quemque huic præcepto satisfacere per se loquendo, si communicet saltem semel in anno; sic enim Ecclesia tempus determinavit. Attamen per accidens fieri potest, ut quis teneatur sæpius, vel quia alicui cœtui nomen dedit, in quo pluries

¹ P. 3, q. 80, a. 9. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 301.

² Joann. VI. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 195 et 295.

Communio sub præcepto præscripta est; vel quia id necesse est ad superandam aliquam peculiarem tentationem, cui victoria non sufficiant alia remedia, uti orationes, jejunia et similia¹.

2. *Præceptum ecclesiasticum* habetur ex percelebri decreto Concilii Lateranensis IV celebrati anno 1215²: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua salvis peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur. . . . Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur et moriens christiana careat sepultura.* Huic Concilio conceit Tridentinum his verbis: *Si quis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit*³. Quod quidem præceptum communicandi semel in anno tempore paschali (nisi sit ex gravi causa differendum) certissimum est, obligare sub gravi: cum de re gravi agatur, ac de determinatione divini præcepti gravis. Item non adimpleri per communionem sacrilegam: sic enim non susciperetur *reverenter*, ut vult Lateranense; neque *digne*, ut vult Christus: hinc contraria propositio ab Innocentio XI sub n. 55 damnata est⁴.

587. Annum hujus obligationis, quamvis aliqui putent

¹ S. Thomas, p. 5, q. 80, a. 11. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 2. Hoc tamen in casu qui Communionem negligeret, non peccaret contra divinum Eucharistiæ præceptum; sed vel contra virtutem, adversus quam patitur illam tentationem, vel contra præceptum sui Ordinis.

² *Decr. Greg.*, l. V, t. XXXVIII, *De pœnit.*, cap. *Omnis XII*. Ante hoc tempus præceptum erat communicandi ter in anno, in Natali Domini, et Resurrectione et Pentecoste. — V. *Catechismus Romanus*; et Liguori *Opusc. sull' onorario delle Messe*. — Item ipse Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 315, q. 2.

³ Sess. XIII, c. IX. — Ferraris, vº *Paschalis Communio*. — *Analecta jur.* pont. an. 1860.

⁴ V. Benedictus XIV, *Notificatione XLV*.

computandum esse a januario ad decembrem; communius tamen sententia et consuetudo ubique recepta solet hodie computare a Paschate ad Pascha; quia talis censetur annus ecclesiasticus. Tempus autem Paschale, quo vere urget præceptum (sic declarante anno 1440 Eugenio IV Bulla *Fide digna*) exorditur a Dominica Palmarum, et cessat Dominica in Albis; unde qui toto ille paschali tempore non communicat, etsi pluries in anno Eucharistiam susceperit, huic præcepto gravissimo non satisfacit. Episcopi tamen solent privilegio, necessitate, vel consuetudine plus temporis concedere, sive ad anticipandum sive ad posticipandum, ut in Novariensi Diœcesi, et alibi passim fit¹.

588. Q. 3. *An qui Paschali quindena non communicavit, obligetur adhuc ad communicandum illo anno?*

R. Aliqui cum Armilla distinguunt, et dicunt, quod si quis omiserit communionem ex malitia, non amplius eo anno communicare tenetur; quia jam transgressus est præceptum quod tempori præfixo affixum est. Tenetur vero si ex impotentia, puta itinere in mari, fuerit impeditus; quia tunc præsumitur Ecclesia consensisse in dilationem, sed noluisse ab obligatione communionis hominem eximere.

Plures vero graves auctores cum S. Antonino negant teneri illo anno ad communionem qui eam omisit sive ex malitia sive ex impotentia; nam præceptum Communionis est affixum tempori paschali, sicut præceptum audiendi missam et jejunandi est affixum festis et vigiliis. Unde sicut quis non tenetur jejunare nec Missam audire, transacta vigilia et festo; ita neque communicare elapso tempore paschali; sed sufficit si illum de omissione pœniteat. Negant enim hujus sententiæ patroni adesse duplex præceptum, nempe communicandi in anno et communicandi in paschate; sed dicunt unicum præceptum Ecclesiam imposuisse affixum tempore paschali, quo transacto nulla amplius remanet eo anno obligatio communicandi. Id unum excipiunt, si pœnitens fuerit impeditus a Communionem de Confessarii consilio; hoc enim expresse cautum est a Lateranensi ipso Concilio.

¹ Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 296; cum Lugo et Continuatore Tournely, Navarro et aliis.

Hæc sententia non est contemnenda; attamen communior cui subscribimus, affirmat eum qui in Paschate non communicavit, non posse expectare ad aliud Pascha, sed teneri sub gravi, etiam elapso termino Paschatis, eo anno adhuc communicare; non enim extincta est tota præcepti obligatio. Revera hoc præceptum non est sicut præceptum jejunandi vel audiendi missam tali die, sed continet virtualiter duo præcepta, alterum communicandi saltem in anno, alterum communicandi in Paschate: porro si hoc transiit, illud adhuc perseverat. Et satis colligitur ex verbis *semel saltem in anno, ad minus in Pascha*; ergo si communio in paschate fuit omissa, debet ea impleri antequam terminetur annus. Ita Hurtadus, Aversa, Layman, Continuator Tournely, etc.

589. An autem debeat impleri *quam primum*, adeo ut qui omittit communicare in paschate, peccet quoties data opportunitate communionem, vult differre, negant Lugo et Billuart, quia cum præceptum communicandi in paschate non possit amplius observari, remanet sola obligatio alterius præcepti, communicandi saltem semel in anno; satis est ergo ut ultra annum non differatur. Sed communiter et probabilius contradicunt ceteri, quia ut patet ex verbis Concilii Lateranensis et Tridentini hoc præceptum non est datum ad finiendum, sed ad sollicitandam obligationem, quæ quidem continuo urget: sicut qui termino præfixo non solvit debitum, obligatio solvendi magis, continuo et semper illum tenet. Hinc recte parochi sollicitant ad satisfaciendum quamprimum suæ obligationi qui non communicarunt Paschali quindena. Ita inter ceteros Antoine, Croix, Gonet, Elbel, Henuus, Continuator Tournely, Lugo, Suarez et Benedictus XIV *Notificatione* LV¹ (X).

590. An (quæres) teneantur fideles tollere impedimenta, ut præcepto annuæ communionis satisfaciant? Affirmative, præceptum enim divinum est, maximi momenti ac valoris, quod valde confert ad animæ salutem: unde illud rigide obligat ad auferenda impedimenta etsi gravia. Hinc commune est, quod excommunicatus tenetur obtinere absolutionem ut possit huic præcepto satisfacere; et probabilius etiam

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 297.

carcere detenti tenentur quærere libertatem, ut communicent. Item navigationem differre qui aliter nequit illud præceptum adimplere, nec gravissimum damnum in rebus suis sit subiturus⁴.

591. Q. 4. *Quinam tenentur in Paschate communicare?*

R. Per se loquendo in Paschate communicare tenetur *omnis fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit*, ut ait Lateranense. Ergo tenetur etiam carcere detentus, uti praxis probat: etiam infirmus, ut monet Rituale, quamvis ante Pascha jam communicaverit.

Diximus *per se loquendo*; nam — 1. ad pueros quod attinet, communissimum ac probabilius est cum Antoine, Diana, Suarez, Navarro et aliis innumeris, eos non teneri statim ac usum rationis consequuntur; discretionis enim anni accipiendi sunt respective ad materiam: porro major discretio requiritur in Eucharistia, quam in Pœnitentia (cum Pœnitentia respiciat actus proprios, nec ita in ea sit exercenda fides). Sic communis usus interpretatur obligationem quoad pueros, tum ut ipsi cum majori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant, tum ne facile exponantur periculo transgressionis. Ajunt autem communiter hanc obligationem (extra periculum mortis) incipere ab anno 9; et non posse differri ultra 12, aut ad plus 14: S. Carolus assignat annum 10. Quæ tamen omnia non prohibent, quominus pueri prius admitti queant, *si possunt aliquam devotionem concipere*, ut ait S. Thomas²; — 2. quoad adultos ex citato Concilio excipitur casus, quo *proprius Sacerdos* rationabiliter judicaverit Communionem differendam esse. Ubi notandum est ex communi, quod nomine *proprii Sacerdotis* intelligitur vel Parochus vel Confessarius³.

592. Q. 5. *Ubinam fieri debet Communio Paschalis?*

R. Communio paschalis a proprio pastore absolute non est suscipienda in parochiali ecclesia, cum extra illam possit parochus suo subdito administrare; quia tamen id fieri vix solet, ideo generatim dici potest illam faciendam esse a pro-

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 299.

² 5 p., q. 80, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 501.

³ V. Benedictus XIV, *Notificatione* XLV. — Liguori, *Homo Apost.*, tr. VII, n. 26.

prio pastore in parœciali ecclesia. Certo autem huic præcepto non fit satis, si communio vel in ipsa Cathedrali (ab alio quam a proprio parochi) suscipiatur. Ita generatim DD. explicant canonem Lateranensem : ita præcipiunt plurima decreta posteriora : ita se praxis habet, et merito ; oves enim a proprio pastore cognosci debent. Excipe :

1. Sacerdotes, qui ubivis celebrent, ex consuetudine satisfaciunt ; non tamen, si tantum communicarent ; — 2. Religiosos, qui ex privilegio etiam in suis Ecclesiis admittere possunt proprios familiares, modo et actu inserviant, et intra eorum septa ac domos resideant (seu in proprie dicto regularium habitaculo), et sub eorum obedientia vivant, ut ex Tridentino docet Benedictus XIV¹ ; — 3. Peregrinos et vagos, qui nempe se communicant ex Rituali Romano ubi actu degunt (neque necesse est, ut Communionem sumant de manu Parochi illius loci, nam peregrini et vagi proprium non habent pastorem, ut communissime dicunt). Item est de militibus, qui non sint in statione nec domicilium aut quasi-domicilium in civitate habeant ; — 4. eos omnes, qui habent licentiam Pontificis vel proprii Episcopi aut ejus Vicarii generalis, vel Parochi, uti omnes concedunt. Quæ licentia ex Lugo, Suarez aliisque potest esse etiam præsumpta, si tamen adsit moralis certitudo de consensu ; cum tunc expressæ æquivalet² (Y).

593. Hac in re ex Synodo Novariensi notantur præcipua (pag. 48) : 1. ut Parochi per se, quoad fieri potest, Communionem hanc imperiantur sedulo invigilantes, ne ulla fraus admittatur ; 2. ab absentibus, cum redeunt in patriam, peractæ Communionis testimonium expostulent ; sin intra 15 dies curent, ut communicent. Et inobedientes graviter moneant, ac demum Episcopo significant ; 3. ut pueros decennes disponant : neque eis ultra duodecimum annum Communionem deferant ; 4. monentur Ecclesiastici omnes, ut juxta consuetudinem solemniter communicent in Cœna Domini, nisi causa eos impediât.

¹ Sess. xxiv. c. xi. — V. Bouix, *De jure Regularium*, par. V.

² V. Benedictus XIV, *Notificationibus* xviii, lvi et lvii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. vi, nn. 240 et 500. — Pavone, *Spicilegio*, n. 522.

SCHOLIUM. — *De Viatico.*

594. Q. 1. *An extet præceptum suscipiendi Viaticum?*

R. Extat utique præceptum grave communicandi in articulo atque periculo mortis. Constat 1. ex Nicæno Concilio generali I, quod præcipit *antiquam hanc legis regulam necessario observandam* ; 2. ex praxi fidelium, qui non nisi cum scandalo audirent infirmum eo tempore nolle communicare ; 3. ex ratione ; cum enim cibus iste cœlestis sit institutus ad roborandum contra hostium impugnationes, tunc ille sumendus, cum magis oppugnamur. Unde mulieres difficulter parituræ, periculose navigaturi vel præliaturi, cum moraliter possint, sub gravi tenentur communicare.

595. Quia tamen non agitur de Sacramento omnimodæ necessitatis, ideo non repugnat illud aliquando prohiberi, si id nempe componi non possit cum reverentia ipsi debita. Hinc : 1. in dubio vomitus, non est tribuendum, nisi cessaverit ad sex circiter horas : et si vomitus proveniat ex cibo, ad experimentum particula non consecrata tribui potest ; — 2. quoad *tussim*, nisi ea sit adeo frequens, ut non possit infirmus particulam trajicere, Communionem non impedit ; quia alius est vehiculus, nempe guttur, quo trajicitur cibus, alius canalis, nempe aspera arteria, unde ejiuntur flemmæ et suspiria. Monet Rituale : *Diligenter curandum est, ne iis tribuatur Viaticum, a quibus ob phrænesim, sive ob assiduam tussim aliumque similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri possit.*

Utrum autem liceat non tantum festinare valde, sed currere (ne infirmus sine Viatico moriatur), est probabile, scandalo præcluso¹.

596. Etsi periculose infirmus possit etiam non jejunos generatim loquendo communicare ; si tamen facile possit Viaticum suscipere jejunos in sequenti die, teneretur utique expectare ; nam non nisi ratione moralis impotentia a jejuni-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. vi, n. 242. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Viaticum.

liberatur. Diximus *generatim loquendo*, nam secus esset, si adsit periculum mortis, vel si infirmus non possit commode expectare, uti si differre deberet medicamen opportunum: quod valet etsi fortasse possit una aut altera hora post mediam noctem jejunos accipere hoc Sacramentum; nam hora tam intempestiva illud ministrari non posset sine gravi incommodo ac difficultate, neque expedit si periculum mortis non urgeat. De reliquo bene aiunt, in hoc non esse scrupulose agendum, inquirendo videlicet, an possit vel non possit sumi Sacramentum a jejuno; cum in Concilio Constantiensi periculose infirmi generatim excipiantur a jejunii lege¹.

597. Solius est Parochi Viaticum administrare extra necessitatem, ut lege et consuetudine constat. Præstat vero ut Parochus, cum nequit id agere per se, alium deleget, sed Confessarium, si forsan infirmus Confessione indigeat. Eucharistia autem, ut ait Rituale, deferenda est manifeste et honorifice cum luminibus; ideo non nocte, nisi urgeat necessitas. Tridentinum anathemate damnat qui dicunt *non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur*². — Post Viaticum infirmus adjuvandus est ad gratias agendas divino Hospiti, aliosque virtutum actus exercendos; fiat tamen moderate ac quiete, ne potius gravetur ægrotus.

598. Vel ipsi pueri tenentur Viaticum suscipere, si doli capaces sint et cibum istum cœlestem et supernum a communi et materiali discernant; etsi nondum habeant ætatem requisitam ad primam Communionem. Ita communissime cum Benedicto XIV³; nam ex una parte tenentur tunc ex præcepto divino communicare, cum tempus urget ac necessitas impellit; ex alia sufficientem devotionem concipere possunt.

¹ Sess. xiii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 285, quær. 3.

² Sess. xiii, can. vii. « Nous exceptons le cas où il s'agirait de l'administrer à un fidèle qui est en grand danger, et dont les parents impies, tout en tolérant qu'un prêtre s'approche du malade, s'opposent absolument à ce qu'on fasse aucune cérémonie religieuse dans la maison. Ce cas arrive malheureusement quelquefois dans ce siècle de tolérance et de liberté. » Ita Card. Gousset, *Théol. Mor.*, t. II, n. 240. — Sic potest Viaticum sine ullo apparatu et secreto ferri in locis hæreticorum, ubi alio modo non permitteretur.

³ *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. xii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 391, Ad

Si porro tenentur pueri Viaticum suscipere, tenentur etiam parochi illius administrationem curare et urgere. Sed aliter consuetudo statuit quoad præceptum Paschale.

599. Q. 2. *An pluries possit eidem infirmo Viaticum dari?*

R. Infirmo etiam non jejuno, etiam durante eadem gravi infirmitate et eodem periculo, potest pluries Communio ministrari: nam Sacramentum hoc sumitur non solum ad satisfaciendum præcepto; sed etiam ad robur contra tentationes, quæ in morte validiores sunt. Imo Benedictus XIV monet Episcopos, ut id Parochis suis insinuent: imo Episcopi possunt ex eodem Pontifice pœnam decernere in Parochos, qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectent falsis prætextibus. Hac autem in postulatione Ecclesiastici aliis exemplo sint; neque enim sine fidelium offensione esse potest, ut ipsi (vel etiam ad longum tempus) infirmi raro vel nunquam communicent, et non nisi fere in extremis Viaticum et Unionem suscipiant⁴.

600. Hic audiatur Synodus Novariensis (pag. 94): *Si periculosa infirmitate perseverante, post aliquot dierum intervallum æger, quamvis non jejunos, ad se Eucharistiam iterum deferri exposcat, ejus pio desiderio Parochus non desit; sed tunc communi utatur*

rem Careno, *Delle regole a rettamente amministrare i Sacr. Esam.* xix: « Lorsque les enfants sont en danger de mort, il suffit qu'ils sachent bien discerner le pain naturel du pain eucharistique, parce qu'ils participent au moins à la grâce du sacrement *ex opere operato*. Nous avons à l'appui la discipline des premiers siècles de l'Église, dans laquelle on donnait la communion aux enfants sous l'espèce du vin, immédiatement après le baptême, afin qu'ils participassent à cette grâce *ex opere operato*. Cette discipline n'est plus en vigueur, mais la raison s'applique aux enfants qui sont en danger de mort. »

⁴ Quod autem spatium intercedere debeat inter ipsas communionem, alii communis censent octo dies circiter; alii autem non improbabilius dicunt quod infirmus assuetus sæpius communicare ex devotione, bene potest altero die statim post Viaticum communicare non jejunos; alii id in singulis diebus admittunt. Ceterum Gury ait ad varias locorum, personarum, statuumque particularium circumstantias attendendum esse; sic facilius concedi potest communicatio infirmis religiosis vel aliis personis piis in monasterio degentibus, sive sint jejuna sive non, quam ceteris; quia tunc minor habetur apparatus populique admiratio: cum S. Eucharistia eo in casu non sit publice per plateas deferenda. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 285.

forma: Corpus Domini, etc. Similiter quantum per alias in parochiali munere occupationes licet, nunquam denegat hoc spirituale subsidium iis, qui etsi in nullo versentur probabili mortis periculo, ejusdem tamen Eucharistiæ pluries sumendæ desiderio flagrant, præsertim si bene valentes in frequenti Sacramentorum usu religiose se exercere consueverint: quibus sub dicta communi forma et jejuniis tantummodo conferatur. Cum vero unaquæque Parœcia fere semper id genus infirmorum complectatur, qui citra vitæ periculum satis incommoda valetudine utentes diu exire domo nequeant, illos iccirco solemnioribus saltem festis Eucharistia reficiendos Parochis omnibus totis viribus suademus. Utinam pietissimam adeo perutilemque consuetudinem per totam Diœcesim nostram inolescere perspiceremus! (Ex Concilio Provinciali Mediolanensi V.)

601. Utrum qui mane communicavit, si eadem die incidat in mortis periculum, iterum communicare teneatur, disputant. Alii affirmant cum Diana et Hurtado, quia urget præceptum communicandi in mortis periculo. Alii negant cum Anacleto et Roncaglia; quia Ecclesiæ praxis firma et sub gravi ubique recepta prohibet bis in die communicare, idque maxime ob reverentiam tanti Sacramenti. Alii cum Gobat dicunt id liberum esse ipsi infirmo, ita ut possit, si velit, denuo Eucharistiam sumere per modum Viatici: nullo tamen præcepto adstringi. Hisce opinionibus adductis, ita concludit Benedictus XIV: *In tanta opinionum varietate Doctorumque discrepantia integrum erit Parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit*¹.

Ceterum quarta sententia est, que probabilius distinguit cum Lugo morbum violentum, ut si ex alto loco quis ceciderit, a morbo naturali, ut si apoplexia corripiatur. In primo casu tenetur communicare, non in secundo; nam in hoc secundo videtur posse dici jam mane communicasse in periculo; quia jam aderat morbus, licet occultus; quod non valet de primo casu².

¹ De Syn., l. VII, c. xi. *Quid de illo qui Viatico sumpto, mortaliter peccavit?* Non tenetur illud denuo sumere; quia præceptum de Viatico jam adimplevit. Concina, Suarez et alii.

² F. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XV, n. 40; tr. XVI, n. 59; *Op. Mor.*, l. IV, n. 241.

CAPUT SECUNDUM

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIE

602. Q. 1. Quænam est materia Eucharistiæ?

R. Materia Eucharistiæ est panis et vinum: de fide est, et constat tum ex ipsa Eucharistiæ institutione, si quidem Christus panem et vinum adhibuit, idque Apostolus facere jussit¹; tum ex Conciliorum generalium Lateranensi IV, Florentini ac Tridentini definitione; tum ex unanimi Patrum traditione ac constanti omnium Ecclesiarum usu et praxi. Unde si quando fideles lac, mel, etc., offerebant ad altare, non ideo erat ut ea consecrarentur, sed benedicta Clericorum sustentationi cedebant. — Utraque autem materia necessaria est necessitate præcepti divini, tum quia ita exigit Eucharistiæ natura quæ est per modum convivii, quod cibi et potu perficitur; tum quia Christus utrumque videtur expresse jussisse, illis nempe verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*.

603. Hinc consecratio unius tantum speciei esset quidem valida, sed gravissime illicita. *Valida* quidem; tum quia verba sacramentalia id efficiunt, quod significant; tum quia statim una species proponitur adoranda; tum quia id egit ipse Christus, qui unam prius consecravit; tum quia talis est sensus et praxis Ecclesiæ universalis. At gravissime *illicita*, et in nullo omnino casu licet speciem unam consecrare absque alia (etsi agatur de Viatico administrando): quod patet tum ex facto Christi, tum ex Tridentino², ubi dicitur Christus præcepisse Apostolis, ne aliter seipsum offerrent;

¹ Luc. xxii, et I Cor. xi. — F. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Missa, a. 8.

² Luc. xxii; Tridentinum, sess. xxii; item can. *Conferimus*, dist. ii, de consecr. Imo Lugo non improbabiler censet, quod si Sacerdos intenderet unam tantum speciem consecrare, invalide ageret, quia Sacerdos non recipit potestatem hoc Sacramentum conficiendi, nisi in sacrificiis. Per accidens tamen in omnium sententia et citra culpam aliquando contingere potest unam speciem consecrari sine altera absque peccato. Sic, v. g., post consecratam hostiam Sacerdos loquelam subito amitteret, neque esset alius, qui posset Sacrificium perficere. — F. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 196.

quam sub utraque specie. Ex quo infertur hoc præceptum divinum esse, et ideo in illo nunquam posse dispensari, ut communiter docent.

604. Q. 2. *Qualis esse debet panis in Eucharistia?*

R. Panis ad validitatem Eucharistiæ confici debet ex farina triticea et aqua naturali (quæ non refert si sit marina, cum hæc vera sit aqua). De fide est: et hoc Ecclesia tum ex Christi exemplo, tum ex communi verborum acceptione semper tenuit, uti demonstrant Patrum testimonia, liturgiæ utriusque Ecclesiæ et Concilia omnia sive generalia sive particularia: quare Rubrica habet: *Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum*. Ergo non est materia apta panis ex oryxa, milio indico (vulgo millet), hordeo, amylo, phaseolis, fabis, pisis, lentibus, nucibus, avena, panico, castaneis, amygdalis et similibus rebus præparatus; quia non esset panis usualis. Item neque massa triticea cruda aut frixa: vel panis triticeus, sed alio liquore, quam aqua confectus, ut butyro, lacte, ovis: quia non esset panis usualis. Neque hostiæ rubræ alteriusve coloris non naturalis quibus litteræ obsignantur; per admixtionem cinnabaris alteriusve materiæ heterogenæ notabiliter alterantur. Sed quoad mixtionem ad rem Angelicis: *Modica permixtio non solvit speciem; quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo*¹. Panis autem ex siligine est saltem materia dubia, quem ideo in omni casu nefas est adhibere.

Diximus ad validitatem Eucharistiæ; nam ad licitam etiam ejus confectionem ex præcepto Ecclesiæ requiritur penes Latinos panis azymus, ac in forma orbiculari major pro celebrantibus, pro ceteris minor. Item curandum, ut hostiæ ac particulæ sint tenues, nitidæ, non ante 15 dies circiter confectæ; et quoad fieri potest ab Ecclesiasticis viris, vel a sacris virginibus præparatæ, ut tam mundam oblationem decet². Ce-

¹ 5 p., q. 74, a. 3 ad 3. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 199.

² Hoc etiam urget Synodus Novariensis, tit. *De Missa*. Dicunt Pasqualigus, Gobat et alii, quod si casu non possit haberi hostia consueta pro Missa, Parochus debet cum particula celebrare ad hoc ut populus satisfaciatur præcepto, illum præmonendo ut sic omnis admiratio auferatur; est enim gravis causa, et aliunde æqualiter tam in majori, quam in minori hostia sacrifi-

terum consecrare sine causa hostiam maculatam vel fractam, est tantum veniale, nisi adsit scandalum, aut macula vel fractura sit enormis: imo notabiliter fracta vel maculata si post oblationem deprehendatur, licite consecratur; quia jam aliquatenus est Deo dicata.

605. Apud Græcos vero panis requiritur fermentatus. Attamen ad Sacramenti substantiam nihil interest sive azymus, sive fermentatus panis adhibeatur, modo sit triticeus; quia tam unus quam alter est simpliciter panis, et unus ab alio quoad speciem non differt. De fide est sic in Florentino definitum ab utriusque Ecclesiæ Patribus: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. Accedit perpetua universæ Ecclesiæ praxis, quæ pro locorum ac circumstantiarum varietate utrumque panem semper adhibuit. Quin imo et ipsi Græci latinæ Ecclesiæ usum consecrandi in azymo approbarunt, et solum sæculo XI Michael Cerularius Patriarca CP. in latinorum morem debacchatus est. Firmatur exemplo Christi, qui uti nunc omnes consentiunt, celebrato paschate legali, instituit Eucharistiam in pane, qui tunc temporis ex legis præscripto ei præsto erat, nempe azymo. Neque dicas Christum legalia abrogasse: utique legalia abrogavit, quæ cum professione christiana componi non possent; non autem cetera, secus non liceret jejunare, festa celebrare, etc.

Præcipit tamen idem Florentinum Concilium, ut unaquæque Ecclesia suum ritum sub gravi servet: et sane uterque ritus sustinetur. Fermentato utuntur Græci, tum ne se judæis conforment; tum ut ostendant, Dei Filium carne indutum esse, sicut fermentum miscetur farinæ. Azymo utuntur Latini, tum ut Christum imitentur, qui sic consecravit; tum ut sic edoceamus, quod de Christi Corpore participantes, epulari omnes debemus non in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis².

ciū perficitur. Alii dicunt ex pluribus particulis unitis fiat una quasi Hostia. Alii sunt etiam qui volunt a celebratione prorsus abstinendum, ob nimiam admirationem. Secunda sententia videtur verosimilior.

² I Corinth. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 202.

606. Q. 3. *Quale vinum est materia apta ad Eucharistiam?*

R. Solum vinum de vite esse materiam idoneam Eucharistiæ de fide est, ut ex sensu Ecclesiæ constat, atque ex Decreto ad Armenos. Et sane liquor, quo usus est Christus ad Eucharistiam, *generatio* seu *genimen vitis* expresse vocatur. Praxis Ecclesiæ id confirmat, cujus testes sunt inter ceteros S. Justinus¹, S. Cyprianus²; item omnes liturgiæ. Est contra veteres hæreticos ebionitas, encratitas, manichæos et alios, ideo *aquarios* nuncupatos, quia aquam pro vino adhibebant; et contra recentiores, qui Calvino duce, docent aptam materiam esse quidquid vini loco homines bibere solent.

Quare valide non poterit consecrari Eucharistia, si liquor exprimatur ex pomis, cerasis aliisque fructibus, quia vinum non esset. Vel si succus exprimatur ex uvis omnino acerbis: cum sit tantum via ad vinum. Vel si vinum in pane sit imbibitum; quia non est potus, sed cibus. Vel si sit ad dimidiam aut tertiam partem decoctum; tunc enim julapium est, non vinum. Item neque est apta materia spiritus vini, cum non sit proprie vinum, sed stillatus vini. Attamen vinum aromatis conditum illicite quidem, sed valide adhiberetur: nisi tanta sit alteratio, ut in communi æstimatione vinum non amplius censeatur (Z).

607. *Quid (dices) de musto et vino congelato?* Mustum non licet adhibere ob fæces, quas habet permixtas, nisi in necessitate. Hinc Julius papa habet: *Si necesse fuerit, botrus in calice exprimatur*. Ergo est validum; sane mustum *jam habet speciem vini*³. — Vinum vero congelatum, si resolvatur, adhiberi poterit; cum vini naturam habeat. Si autem maneat congelatum, graviter prohibetur ob reverentiam Sacramenti; quamvis verius sit materia de se apta, quia licet non sit actu potabile, est tamen potabile de sui natura (sicut est comestibilis panis durus): et adhuc vinum appellatur. Anacletus, Tamburini⁴, etc.

¹ Apol. i, n. 65. — ² Epist. xxii.

³ S. Thomas, 3 p., q. 74, a. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 408.

⁴ Idque clare probatur ex Rubrica Missalis, ubi dicitur: *Si sanguis congelatur, involvatur calix pannis calefactis... donec liquefiat*. Ergo suppo-

608. *Quid (addes) de aceto et de vino acescente?* Acetum, cum sit vinum substantialiter corruptum et ideo genuinam vini naturam non amplius retineat, certe non est materia valida: quod etiam dicendum est de *vappa*, nempe de vino, cujus vis omnino evanuit. — In vino autem acescente valide consecratur; sed peccat graviter Sacerdos, si tale vinum scienter adhibeat et agatur de acrimonia ita gravi, ut vinum jamjam censeatur ingressum in limites corruptionis. At si haberet aliquod tantum quasi principium acrimoniæ, et aliud vinum non posset substitui; tunc levis esset tantum inordinatio¹. Et ita aiunt accipiendam esse Rubricam, quæ hoc damnare videtur.

Qui vero post actam consecrationem rationabiliter dubitat, an vinum fuerit acetum, aliud vinum legitimum consecrare debet sub conditione, *si prior materia non fuerit consecrata*. Periculum enim relinquendi Sacrificium mutilum est justa causa repetendi consecrationem sub conditione; cum integritas Sacrificii sit de jure divino.

609. Q. 4. *Utrum aqua ad Eucharistiæ consecrationem sit omnino vino miscenda?*

R. Affirmative et de fide est a Tridentino sic definitum: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit*²: est contra Lutherum, qui talem mixtionem habet ut merum figmentum humanum; contra Calvinistas (quibus adhærent Lutherani recentiores) qui docent id esse liberum et indifferens. Hujus porro gravis præcepti inter alios meminit Justinus, Irenæus, Cyprianus, Gregorius Nissænus et Ambrosius. Hanc admixtionem omnes vetustissimæ liturgiæ præscribunt: itemque Concilia, ut Carthaginense III anno 596, Bracharense IV anno 675, etc. Ex Tridentino autem id

nitur minime corrumpi species vini, alias ibi desineret esse corpus Christi: ergo vinum congelatum est verum vinum. Unde contraria Conciniæ et Lessii sententia non pollet solida probabilitate. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 207.

¹ V. Benedictus XIV, *Notificatione lxx.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 206.

² Sess. xxii, can. ix. — V. Klee, *Histoire des Dogmes*.

factum est, tum quod Christus Dominus ita fecisse creditur¹; tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur².

610. Aqua autem miscenda: — 1. debet esse naturalis; quia sic fert præceptum et consuetudo Ecclesiæ. Ideo si quis misceret aquam rosaceam vel aliam artificialem, etiam in casu necessitatis, quamvis valide consecraret; peccaret tamen mortaliter, quia agitur de præcepto admodum gravi.

2. In ipso calice est miscenda; quia commixtio hæc agi debet ad Rubricarum præscriptum; ideo non domi, sed in ipso Sacro: non in ampulla vel vase alio, sed in calice ipso, qui ad Eucharistiæ consecrationem adhibetur. Secus non sufficeret ad significationem Sacramenti.

3. Hæc mixtio fieri debet non ex necessitate Sacramenti, nam Concilia pro materia solum vinum assignant; et aliunde aqua non significat neque Corpus neque Sanguinem Christi: unde si fuit omissa, non amplius post consecrationem facienda est. Sed fieri debet de necessitate præcepti, saltem ecclesiastici: quod addimus, quia sunt qui id probabiliter repetunt ex præcepto divino, cum non incongruenter præsumant ita fecisse Christum in Eucharistiæ institutione; cum talis esset usus illius terræ³.

4. Aqua tandem, quæ vino miscetur in Eucharistia, esse debet modica: *Parum aquæ*, ait Rubrica Missalis; *aqua modicissima*, ait Eugenius IV; et D. Thomas dicit non requiri, ut quantitas aquæ sit magna, sed sufficere ut sit sensibilis. Aliqui probabiliter dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam partem; alii usque ad quintam, quia ut aiunt, nullum vinum adeo debile creditur, quod tam modica aqua corrumpatur. Imo alii putant sufficere, ut aqua non excedat tertiam partem; in Concilio enim Triburiensi dictum

¹ Tradit Irenæus, *Hær.*, l. IV, c. xxxiii; Cyprianus, *Epist. lxxiii ad Cæcil.*; S. Basilius, in *Liturgia*.

² Sess. xxi, *De Sacr.*, c. vii.

³ V. S. Thomas, 5 p., q. 74, a. 7. Sunt qui tradunt id primitus præceptum ab Alexandro I.

fuit: *Dux sint partes vini, tertia aquæ*. Verumtamen in praxi Escobar, Viva et Palau id non admittunt, nisi vinum sit generosum¹. Potius generatim est consulendum ex Gury, ne Sacerdos excedat octo vel decem guttulas: et si casu nimium aquæ infuderit, iterum aliquid vini erit addendum.

Quamvis non sit de fide, est tamen pro certo tenendum aquam illam in sanguinem converti; nam Tridentinum ait, post consecrationem solas species panis et vini remanere. Suadet ratio; particula enim demonstrativa *hic* demonstrare debet totum quod est in calice².

611. Q. 5. *An et quomodo materia consecranda debet esse præsens?*

R. Ad validitatem consecrationis præsentiam materiæ requiri certum est; id enim exigit forma demonstrativa *hoc, hic*: nempe requiritur conjunctio physica materiæ cum forma.

Duo autem sunt de necessitate hujus præsentiae.

1. Ut ipsa materia non valde a celebrante distet, et sensu aliquo ab ipso percipiatur vel ratione sui, uti si videatur: vel ratione vasis, in quo continetur, uti si clausa in pyxide super corporali: vel ratione cumuli, uti si particulae unæ aliis sint impositæ, etc.; id enim censetur vere præsens, quod potest demonstrari humano modo. Secus esset de hostia post parietem posita, vel tabernaculo inclusa; non enim videtur tunc connaturaliter designari per pronomen *hoc*. Secus pa-

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*; Appendix III, n. 98; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 210.

² Quomodo fiat hæc conversio, Thomistæ et Scotistæ communissime docent cum Catechismo R. et Pontificali, prius aquam converti in vinum, inde in sanguinem. Ratio est, quia non convertitur in sanguinem, nisi materia consecrabilis; hæc autem ex Tridentino et Florentino non est, nisi vinum de vite. Alii tamen censent cum Collet, Logo, Tournely, etc., aquam immediate in sanguinem transire; nam ex recentioribus physicis non est admitenda transmutatio elementorum: et hoc experimento probant, cum nempe arte chymica bene invicem separentur. Unde dicendum est, vinum cum illa aqua fieri vinum usuale, ideoque totum simul esse consecrabile. Ultraque sententia est per se satis probabilis. Hanc questionem fuse prosequitur Capisuechius Ordinis Præd. in *Opere, Controversiæ Theologicæ selectæ*. Romæ, 1670.

riter, si materia ita parva sit, ut percipi omnino non possit; nam Sacramenta sunt signa sensibilia.

2. Ut materia sit certa ac determinata; cum enim forma sit demonstrativa exigit determinationem rei demonstrandæ: hinc qui habet coram se undecim hostias et non vult consecrare nisi decem, non determinando, ex Rubrica non consecrat. — Si post consecrationem advertat Sacerdos duas esse hostias, licet putaret unam, ambas sumat, quia ambæ sunt consecratæ: neque officit error speculativus; nam semper prævalet intentio absoluta consecrandi materiam sibi præsentem, et maxime si manibus contentam, nisi aliunde fiat positiva exclusio. Si tamen id evenerit post offertorium, tunc unam reponat, quam postea sumat uti panem benedictum, peracta Missa.

Ceterum tum ex præscripto Rubricæ, tum ad omnes animi anxietates tollendas (agendo de pane) oportet ut Sacerdos materiam consecrandam statim ponat super corporale; et hæc una sit illius intentio, consecrandi materiam quam scit positam intra corporale, quin numerum designet¹ (AA).

612. Q. 6. *Quænam est Eucharistiæ forma?*

R. *Forma hujus Sacramenti*, ait Eugenius IV in decreto ad Armenos, *sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Et universalis ac perpetua praxis probat, ac Patrum doctrina: Sicut Deus dicendo fiat lux* (ait inter alios S. Joannes Damascenus), *fecit lucem; ita dicendo hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, perficit hoc Sacramentum*². Pro duplici igitur materia duplex est forma Eucharistiæ.

Forma præscripta pro consecrando pane desumpta est ab evangelista Matthæo³, et sunt verba: *Hoc est enim Corpus meum. Illud enim ponitur secundum consuetudinem R. Ecclesiæ a B. Petro apostolo derivatam, et hoc propter continuationem ad verba præcedentia. — Forma vero pro consecratione calicis sequens assignatur: Hic est enim calix San-*

¹ Si particulæ consecratæ misceantur non consecratis, totus cumulus hostiarum sub conditione consecrandi non consecratis, consecratur. — V. Li-
guori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 216.

² L. IV, *De fide*, c. XIII. — ³ Cap. XXVI.

guinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ omnia fere verba ex diversis Scripturæ locis accipi possunt: nam quod dicitur *hic est calix* habetur Lucæ XXII, et I Corinthiorum XXI. Matthæi autem XXVI dicitur: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod autem addatur *æterni*, et iterum *mysterium fidei*⁴, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit secundum illud I Corinthiorum II: *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* Hæc omnia Angelicus⁵. Quo posito dicimus:

1. In consecrationis panis verba de essentia sunt: *Hoc est Corpus meum*; nam hæc complete significant, et important conversionem panis in Christi Corpus. Hinc ad essentiam non pertinet verbum *enim*, et ideo ejus omissio non esset nisi venialis: sed non improbabiler Concina, Roncaglia et Suarez damnant id de mortali; ac revera in re tanti momenti non videtur levis quæcumque mutatio deliberate apposita. Neque ad essentiam pertinent cetera antecedentia verba, quæ habentur in Missali: non illud *accipite et manducate*; cum hic Christus solum commemoret usum Sacramenti. Non illud *qui pridie quam pateretur*, etc., quia hæc non sunt verba Christi. Neque dicas, quod hisce verbis historicis prætermis-
sis, sequentia verba *hoc est Corpus meum*, indicarent corpus sacerdotis, non Corpus Christi; respondet enim Angelicus: *Quod si Sacerdos sola verba prædicta hoc est Corpus meum, proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum; quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur*⁵.

⁴ Dicitur *mysterium fidei* ex Innocentio III, *quoniam aliud ibi creditur, aliud cernitur*. Dicitur *æterni*, quia usque ad mundi finem est duraturum et quia est de bonis spiritualibus, et æternis.

⁵ 3 p., q. 78, a. 2 et 3. Quamvis autem consecrationis verba sint historica in quantum Christi verba referunt; assertive tamen vel significative ea proferre debemus, cum intentione faciendi quod Christus, ejus nos personam gerimus, fecit, id est consecrandi.

⁵ 3 p., q. 78, a. 1, ad 4. Quæ sententia est communis et probabilissima; sed sententiam, quæ vult saltem esse incipiendum a *qui pridie*, etc., non

2. Verba essentialia in consecratione calicis communis hæc tantum habentur: *Hic est calix Sanguinis mei*; tum quia hæc est mens Justini, Damasceni, etc.; tum quia hæc jam satis significant præsentiam Sanguinis Salvatoris sub speciebus vini. Sunt tamen qui requirunt etiam sequentia: *Novi et æterni Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ita ut exprimatur virtus passionis Christi: cum ad hanc quoque Eucharistia sit instituta. Quod cum satis sit probabile, et ipse Angelicus non satis percipiatur: ideo qui ea omisissent, deberent integram sub conditione formam repetere (BB).

613. Ad rem Collet pro praxi: « Il faut prononcer les paroles de la consécration avec une voix distincte, respectueuse, continue, naturelle, comme si c'était un discours ordinaire, mais gravement sérieux. C'est pourquoi on blâme avec raison des prêtres, d'ailleurs estimables, dont les uns font à chaque parole une pause considérable, qui semble en couper le sens et la suite; les autres prononcent les paroles avec de si violents efforts, qu'on les croirait agités de mouvements convulsifs, agités qu'ils sont dans toute leur personne. Afin de ne manquer à rien, ils renversent tout; pour eux *hoc* devient *hocque, meum, meumme*, et ainsi du reste. Nous ne les prions que de se demander à eux-mêmes s'ils croient que Jésus-Christ ait parlé de cette manière lorsqu'il institua la sainte Eucharistie. Ce qui est certain, c'est que ce ton afflige les personnes pieuses, étonne les fidèles et fait rire les impies. » (*Traité de la Messe*, c. v.)

CAPUT TERTIUM

DE MINISTRO ET SUBJECTO EUCHARISTIE

614. Q. 1. *Quisnam est minister consecrationis in Eucharistia?*

audeo dicere improbabilem; tanto magis, quia Rubrica quando forma est repetenda ratione materiæ dubiæ vel ex eo quod forma calicis fuerit semiprolata ab uno Sacerdote qui obierit, et ab alio sit repetenda ad integrandum sacrificium, præcipit, ut sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie*; et *Simili modo*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 222.

R. Prima ætate Montanistæ et alii vel ipsis mulieribus potestatem Eucharistiam consecrandi contulerunt; postea Waldenses eam tribuerunt omnibus et solis viris; Lutherus tandem id omnibus concessit Christianis vi Baptismatis, quamvis ad vitandam confusionem nemo consecrare debeat extra necessitatem vel delegationem. At catholica fides docet, solos Sacerdotes esse consecrationis ministros; constat: — 1. Scriptura, ubi Christus solis Sacerdotibus in Apostolis hanc tradidit potestatem per verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; — 2. traditione, cujus testes sunt omnes liturgiæ, et omnes Patres, uti Justinus¹, Cyprianus², Athanasius³, Basilius⁴, Epiphanius⁵, Origenes⁶, etc. Unus audiatur D. Hieronymus: *Si diaconi, qui Sacerdotibus adeo proximi sunt, consecrandi potestatem non habent, eo minus ceteri clerici, et laici inferiores*⁷; — Conciliis: ita definivit Nicænum I, Lateranense IV, Florentinum, atque sic tandem Tridentinum⁸: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Opponunt: S. Laurentius diaconus videns Sixtum pontificem ad martyrium duci, sic eum allocutus est, referente D. Ambrosio: *Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris: cui commisisti dominici Sanguinis consecrationem*⁹; ergo etiam Diaconi consecrant. — Docet cardinalis Bona ex veterum loquendi more dici diaconum consecrare, *quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio et sanctificatio nostra, et fons atque essentia omnis sanctificationis*. Idque patet ex contextu; ipse enim sanctus Levita non sacrificantem, sed sacrificantis ministrum se profitetur; nec de Sacerdotis absentia loquitur, sed de consortio: nam subjungit: *Cui consummandorum consortium Sacramentorum (commisisti), huic Sanguinis tui consortium negas?* Adde in aliis D. Ambrosii Operibus et exemplaribus legi *sanguinis dispensationem, non consecrationem* (vid. Maurina editio in adnot.).

615. Q. 2. *Quisnam est distributionis Eucharistiæ minister?*

¹ Apolog. 1. — ² Epist. iv. — ³ Apol. II. — ⁴ Epist. xciii.

⁵ Epist. ad Joann. Hier. — ⁶ Hom. iv in Numer. — ⁷ Contra Luciferianos.

⁸ Sess. xxii, can. II. — ⁹ L. de Officiis ministrorum, c. xli.

R. Quæstio est de licito; cum enim Eucharistia per se subsistat, valide a quolibet administrari potest. Porro licitæ distributionis duplex est minister, ordinarius et extraordinarius.

a. Minister ordinarius distributionis Eucharistiæ est quilibet Sacerdos. Id constat: 1. ex Tridentino, quod habet: *In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet*¹; 2. ex ratione: cum consecratio ad distributionem ordinetur, illius esse debet distribuere, cujus est consecrare: cui enim competit plus, competit quoque minus. — Debitus tamen ordo postulat, ut solus Parochus eam dispense; pastoris enim est oves suas pascere. Ideo qui contra illius vel Superioris positivum dissensum eam ministraret, in omnium sensu mortaliter peccaret usurpans jus alterius in re gravi. Dictum est *contra positivum dissensum*; nam hodierna consuetudine consensus semper præsumitur, si excipiatur Communio, quæ fit prima vice a pueris; item Viaticum et Communio paschalis.

Commune est autem, Parochum teneri Eucharistiam ministrare suis ovis non tantum cum urget præceptum, sed etiam quoties rationabiliter petunt: secus frustra Tridentinum ac Patres hortarentur fideles ad Communionem frequentem. Adde pastoris esse non solum arcere a peccato oves suas; sed etiam earum profectui consulere.

b. Minister extraordinarius distributionis Eucharistiæ est Diaconus; sed tantum hoc sensu, quod publice ac solemniter, absente Sacerdote vel ab eo præsentem jussus ob aliquam necessitatem, possit eam ministrare: *Diaconus, habet Arelatense I, Corpus Christi, præsentem Presbytero, tradere non præsumat. Et Cartaginiense IV: Præsentem Presbytero, Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*²; qui jussus saltem tacitus est adeo necessa-

¹ Sess. XIII, c. VIII. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 250 et seq. — ² Decr.

rius, ut si Diaconi (sicut et alii Clerici) sine eo solemniter Eucharistiam ministrarent, incurrant et gravem culpam et irregularitatem¹; et si religiosi, etiam excommunicationem reservatam².

Diximus *publice ac solemniter*; nam privatim ut Eucharistiam ministrarent, olim concessum erat non solum Diaconis, sed etiam aliis clericis; imo laicis, qui eam a Sacerdote accipiebant. Utrum autem id adhuc liceat in necessitate, alii affirmant cum Habert; quia nulla fit Sacramento injuria, cum id usurpetur ad non defraudandum indigentem tanto subsidio. Sed alii negant cum S. Thoma³, tum quia est contra hodiernam et ubique receptam consuetudinem; tum quia non agitur de Sacramento necessitatis: et id non fieret sine gravi admiratione.

616. Q. 3. *Quid servandum in Eucharistiæ distributione?*

R. Ex debita tanto Sacramento reverentia hæc tria præcipue sunt observanda in illius distributione: tempus, locus atque modus.

a. *Quoad tempus*, excepto Viatico, nequit Eucharistia ministrari, et quidem sub gravi, cum agatur de re gravi: — 1. tempore interdicti localis⁴. Item neque nocte Nativitatis

¹ part., distr. XCII, c. XVIII. — V. Liguori, *Opera Moralia*, l. VI, n. 255.

² Ex Decr. Greg., l. V, t. XXVIII, *De Cler.*, non ordinato ministrante, cap. 1.

³ Ex Clem., l. V, t. VII, *De privit.*, c. 1. Quænam sit ista necessitas, ut licite deputetur Diaconus, communiter cum Suarez dicunt sufficere gravem; cum nempe nullus adsit Sacerdos, qui ea possit commode ministrare: si enim necessitas est extrema, tenetur etiam sine mandato illam ministrare; ut Viaticum moribundo. Idque vel ex præsumpta commissione matris Ecclesie, vel ex commissione generali. Hic tamen casus in Ecclesia saltem latina rarus omnino evadit, tum ob sufficientem Sacerdotum numerum; tum ob paucitatem Clericorum, qui in Diaconatu diutius morentur.

⁴ In 4, d. 15, q. 1, a. 3. Ceterum nihil impedit, quominus Diaconus (stola transversa) Sacramentum simpliciter exponat, præsentem Sacerdote qui benedicat. Item et potest (sublata admiratione) Sacramentum de uno transferre ad aliud altare privatim; quod dicunt alicubi esse in usu, ut illud collocetur in Ostensorio ad populo benedicendum, suo tempore.

⁵ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 241.

⁶ C. *Quot in te de poen. et remis.*

D. N. J. C.; neque feria vi in Parasceve, ex pluribus decretis S. R. C. Quoad Sabbatum Sanctum respondit S. R. C. 25 sept. 1857 *non licere* (nisi adsit consuetudo) in missa illius diei post communionem celebrantis Eucharistiam distribuere, etiam cum particulis in eadem missa consecratis; — 2. in extrema diei parte, tum ob scandalum, tum ob hodiernam consuetudinem (imo consuetudo communiter probata est, ne facile illa administraretur post meridiem). Item neque nocte, licet possit summo mane. Ex Rituali autem ea fieri deberet *intra Missas vivorum* statim post Communionem Sacerdotis, ut fuit usus per duodecim priora sæcula, nisi aliqua causa suadeat fieri ante vel post; quod hodie passim fit. Imo hoc etiam curandum, si plurimi essent communicandi, et populus Missam audiens tædio afficiatur expectando¹ (CC).

b. Ad locum quod attinet, hodie receptum est, Eucharistiam tribui posse in omnibus Ecclesiis aut Oratoriis publicis. Diximus *publicis*, nam in privatis ea dari non potest neque particulis in ea Missa consecratis sine expressa Ordinarii licentia ex Benedicto XIV².

c. Quoad modum attendendus est ritus Ecclesiæ consuetus, qui utpote a legitima potestate sub peccato gravi vel levi juxta materiæ rationem est observandus. Hic notamus præcipua: — 1. Communio extra missam ministranda est cum cotta, stola ac luminibus: si tamen sola lumina desint, Suarez dicit esse solum veniale; quod idem putat Roncaglia, si sola omittatur stola. In casu vero necessitatis (ut si infirmus jamjam sit moriturus), communius est et satis probabile cum Croix hæc omnia omitti sine peccato, ne moribundus tanto privetur subsidio. Non tamen liceret ita deferre Eucharistiam infirmo non graviter ægotanti, quia ejus parentes ægre ferunt ipsum communicari; sed honorifice et manifeste est deferenda³; — 2. in ea ministranda uti debet Sacerdos pol-

¹ Diximus *intra Missas vivorum*; utrum id liceat etiam in Missis defunctorum, affirmant ex Tridentino (sess. xxii, c. vi), quod optat, ut fideles adstantes *in singulis Missis* communicent: ergo etiam defunctorum. Ceterum vide in fine vol. I. App. II^a, v^o Administratio Sacramentorum. — Et Benedictus XIV, *De sacr. Missæ*, l. III, c. xviii.

² *De Sac. Missæ*, l. III, c. xviii; et *Encycl.*, 22 junii 1751.

³ Vid. supra, n. 597, exceptionem.

lice et indice; nam licet tota manus sit consecrata, tamen juxta ritum solummodo pollex et index sunt ad hoc munus destinati. Exciipiunt probabiliter casum necessitatis gravissimæ¹.

Si particula in terram decadat, locus panno lineo tergatur, dein abluatur. Si decadat intra clausuram, monialis communicanda particulam lingua sumat, et locus abluatur; et si nulla amplius sit communicanda, particula patena aut pala suscipiatur Sacerdoti tradenda. Si decadat in sinum mulieris, mulier eam quærat et ipsa per se sumat, ac communicet digitos postea abluendo: et si necesse sit, se recipiat in cubiculum Ecclesiæ. Si decadat in vultum, barbam aut vestes communicantis, omittenda purificatio; quia melius semper est vitare admirationem aut turbationem populi.

617. Q. 4. *Quodnam Eucharistiæ subjectum?*

R. Subjectum capax Eucharistiæ sacramentaliter suscipiendæ est omnis et solus homo viator, et baptizatus. *Baptizatus*; quia Baptisma est janua Sacramentorum: unde eam infidelis susciperet tantum materialiter. *Viator*; iis enim qui mortui sunt, ea quæ ad vitam conferunt, inutilia evaserunt. *Omnis*; ergo et indignus, ut contingit in Juda proditore, et in illis, qui *manducantes panem hunc, vel bibentes calicem Domini indigne, sunt rei Corporis et Sanguinis Domini*².

Quid statuendum est de infantibus, de amentibus, semisafuis, mutis, surdis, cæcis, epilepticis, enervamentis ac capite damnatis?

R. Ad singula: 1. *infantibus*, rationis impotentibus, Eucharistia non est danda nec in mortis articulo; tum ob periculum irreverentiæ; tum ob occidentalis Ecclesiæ contrariam consuetudinem.

2. *Amentibus*, si tales perpetuo sint, cum æquiparentur infantibus, est quoque Communio deneganda ex Rituali. Si

¹ In communionem monialium *Misereatur... Ecce Agnus Dei...* *Benedictio Dei...* et cetera omnia dicantur versus moniales, non versus populum. — Quis autem respondere debeat *Amen* in administratione? juxta usum: sic in Gallia respondet qui sumit, Mediolani inserviens, Romæ Sacerdos. — Si consummandæ sint plures particule, potest Sacerdos plures simul sumere: at cum una sit Communio, non debet se signare iterum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 230.

² I Cor. xi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 255.

vero non sint perpetuo tales, potest dari cum habent aliquod lucis intervallum, aut ut dicit D. Thomas : *Si prius quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis (ut evenit in deliris)*¹. Et sane ex una parte præsumuntur interpretative petere; ex altera erit ipsis forsitan necessaria Communio, si nempe non sint, nisi attriti. Ex quo bene inferunt multi sufficere ad dandam Eucharistiam fatuo in mortis articulo, ut ipse dudum pie vixerit.

3. *Semifatus*, si sciunt distinguere cœlestem hunc cibum, ab aliis, Communio est danda tempore paschali et in morte; quia tunc urget præceptum, et ipsi sufficientem devotionem concipere possunt.

4. *Mutis ac surdis* simul a nativitate, urgenti præcepto, est pariter Eucharistia danda, si ex signis constet eos discretionem habere: imo nihil impedit quominus sæpius communicari possint².

5. *Cæcis* Communio dari potest per se toties quoties, cum eos nihil impediatur: est tamen deneganda *mutis, surdis ac simul cæcis a nativitate*, cum in illis nulla discretio inveniri possit.

6. *Epilepticis* negatur Communio in ipso paroxysmo; idem dicendum de *obsessis*, si non sint sui compotes, qui ceteroquin ex Angelico pluries in anno recte communicant; cum

¹ 5 p., q. 80, a. 9. « Mieux vaut risquer de donner le Sacrement à qui est incapable de le recevoir avec tout le fruit qu'il peut produire que d'en priver qui est capable d'en profiter. » *Instruct. sur le Rituel de Langres*. — Liguori, *Homo Apost.*, t. XI, n. 44.

² *Instr. cit.* habet : « Il ne faut pas accorder la sainte communion aux sourds-muets de naissance à moins qu'ils n'aient quelque connaissance des principales vérités de la religion. Si, après avoir été instruits par ceux dont ils comprennent les signes, ils assistent avec dévotion au saint sacrifice, s'ils ont une bonne conduite, s'ils témoignent de la douleur des fautes commises, si l'on voit qu'ils distinguent le pain eucharistique et divin du pain ordinaire, on peut leur donner la sainte communion. Il ne faut pas les priver de la sainte Eucharistie sous prétexte qu'ils ne paraissent avoir qu'une idée confuse du sacrement, puisque l'Église pendant longtemps l'a accordé aux enfants qui n'en avaient pas une plus grande connaissance. »

Communio sit speciale remedium ad dæmones arcendos¹. Hinc ait Cassianus : *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, Communionem a senioribus nunquam meminimus interditam fuisse.*

7. *Capite damnatis* Communio danda est, etiam non jejunis; cum aliter fieri commode nequit. Neque enim in tanto discrimine constituti illo auxilio sunt privandi: et talis est consuetudo in tota præsertim Italia, quam ubique ab Episcopo invehendam esse monet Benedictus XIV². Imo contrarium usum improbat Pius V.

618. Q. 5. *Quænam sunt dispositiones ad suscipiendam Sanctissimam Eucharistiam?*

R. Duplicis sunt generis dispositiones: aliæ ex parte animæ, et aliæ ex parte corporis. Hisce autem versiculis includuntur:

*Quisque volens Christi condigne corpore vesci,
Sit bene devotus; sit corpore menteque totus.*

Art. I. — Dispositiones in subjecto ex parte corporis.

Dispositiones ex parte corporis sunt mundities, jejunium et compositio.

619. Q. 1. *Quid de corporis munditie ad suscipiendam Eucharistiam?*

NOTA. Quæstio non instituitur de menstruis, lepra, alioque naturali morbo maxime perpetuo; morbi enim naturales cum non pertineant ad moralem bonitatem, per se devotionem non impediunt. Hic quæritur tantum de pollutione et actu conjugali. Quo posito:

R. 1: Ad *pollutionem* quod spectat, distinguendum est: vel pollutio paulo ante habita, fuit voluntaria; vel non. Si 1, communiter docent teneri qui se polluit saltem sub veniali abstinere se ea die a Communione ob reverentiam, licet sit

¹ 5 p., q. 80, a. 9. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 505.

² *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. XI. Neque refert, quod jejuni non sint; ad mortem damnati vix abstinere possunt ab aliquo cibo corroborante. Adde ex sensu medicorum eos in prolatione sententiæ febri interna corripri, vehementi animi et sanguinis commotione. Gousset, *Theol.*, etc., n. 250.

contritus ac confessus, nisi aliud justa causa exigat, ut Confessario videbitur. — Si 2, casu quo pollutio nullam relinqueret perturbationem, potest communicare; quia externa macula quæ præterit, ad moralem honestatem non pertinet. Si vero reliquit perturbationem, dicunt communiter esse veniale communicare: nisi vel homo conetur eam quantum in se est repellere; vel aliqua aut necessitatis aut devotionis causa aliud postulet, qua nempe omnis irreverentia tollatur, uti docet Angelicus¹.

R. 2: Ad actum conjugalem quod spectat, dicimus: post Communionem sumptam certum est nullum adesse peccatum in reddendo eadem die; imo est actus virtutis, cum sit debiti solutio. Petere autem aliqui dicunt probabiliter esse veniale, si fiat sine causa: alii communiter dicunt nullum esse peccatum; 2. ante Communionem actum conjugalem exercere ob solam voluptatem, et ea die communicare, erit veniale; cum videatur aliqua indecentia. Ita communiter Concina, Lugo, Salmanticensis, Sanchez cum D. Thoma ac D. Gregorio². Ab hac tamen levi culpa quævis levis causa excusat, ut recte dicunt Antoine et Sanchez cum aliis: puta indulgentia lucranda³.

Hic sapienter dicunt Layman, Sanchez, Suarez, quod Confessarius mulieri interroganti quid agere debeat, si in die Communionis vir debitum petat, respondeat ei, quæ frequenter communicat, ut reddat et communique; ne exponatur periculo peccandi contra justitiam vel charitatem. Si vero pœnitens non tam frequenter accedit ad Eucharistiam, v. g., præcipuis tantum solemnitatibus, illi suadeat, ut precibus (non tamen nimis importunis) compartem roget, ut velit se abstinere in honorem SS. Communionis, cum agatur de casu raro; si nolit, poterit reddere et communicare, nisi ex

¹ In 4, d. 9, q. 1, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 271.

² 3 p., q. 80, a. 7. — V. Decr., part. II^a, can. xxxiii, q. 4, c. vii.

³ Si copula sit ab-que culpa, ut ad procreandam sobolem, tunc quamvis sit congruum ad aliam diem communicare, nulla tamen obligatio est. Quia cum procreatio sobolis sit actus honestus, satis reparat indecentiam: commune est cum D. Thoma.

redditione patiatur insolitam distractionem, quam nequeat facile repellere.

620. Q. 2. *Quid de jejuniis in Eucharistiæ susceptione?*

R. Communicatio sub gravi præceptum est jejunium naturale a medio noctis illius diei, quo communicat. Non tamen de jure divino, cum Christus Apostolis eam non jejuniis distribuerit; sed jure apostolico, ut censet Augustinus¹; quod in pluribus Conciliis firmatum habemus. Hoc autem præceptum non admittit parvitatem neque *ex parte temporis*; unde cum primo ictu horologii media nox sit expleta, qui aliquid sumit post primum ictum (licet ante ultimum) non amplius potest communicare; nam verificatur illum non esse amplius jejunum. Neque *ex parte rei*: unde si quis vel minimum sumpserit, quamvis per modum medicinæ, sub gravi prohibetur communicare, ut ait Rubrica Missalis. Et congruenter ex Angelico factum est, ut nihil in nobis intret ante Christum, tum ob reverentiam, tum ad indicandum quod Christus primum debet locum habere in cordibus nostris² (DD).

621. Ceterum ad jejunium frangendum ex communi tria requiruntur:

1. Ut quod sumitur, *sumatur ab extrinseco*; quod enim sumitur intrinsecus, non reputatur trajici per modum cibi. Hinc deglutiens sanguinem e capite fluentem vel gingivis, non solvit jejunium. Secus si sanguinem sugeret ex digito: sicut frangeret qui noctu, immisso saccharo in ore, adhuc aliquid trajeceret post mediam noctem; esset enim continuata comestio. Item frangeret jejunium qui lavando os, vel degustando jusculum (aut vinum), puta ad dignoscendum, si acrescat, aliquam guttulam cum saliva voluntarie trajiciat; non autem frangeret, ut dicunt omnes cum S. Thoma, si prædictæ guttæ casu trajiciantur, quæ tamen non sint in magna quantitate. Nam neque sumuntur per modum potus, et cum salivæ commixtæ sint, vitari communiter non possunt.

Quoad *reliquias cibi* in ore relictis, dubium est, an jejunium frangat qui eas voluntarie deglutit. Negant probabiliter Quarti, Suarez, Elbel, et illud videtur ipsis cohærere

¹ Epist. iij ad Januar. — ² 3 p., q. 80, a. 8.

Rubrica, dum dicit: *Si reliquæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem; cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ.* Alii tamen communius cum Laymano, Roncaglia, Tournely et D. Thoma¹ affirmant: hæc sententia videtur probabilior. Sed quia non nimis scrupulose in hoc incedendum est, ideo libenter dicimus cum Lugo ac Benedicto XIV², quod reliquæ a dentibus avulsæ, quæ supra linguam sentiuntur, debent expui; sed non adest obligatio diligentiam adhibendi eas e dentibus scalpendi, dum hoc nimis esset scrupulis obnoxium, et tunc si illæ deglutiantur, erit per modum salivæ.

2. Ut quod sumitur, sumatur per modum comestionis vel potionis; quia juxta communem hominum sensum hoc modo tantum jejunium frangitur. Hinc illud non solvit fumus ciborum aut similis; quia hæc sumptio est per modum attractionis. Idem valet, si quis pulverem, vel etiam ex accidenti expirando per os, aut per nares attraheret muscam, pluviam, nivem, et deglutiret; quia talis actio non est comestio, sed respiratio. Attamen si hoc fieret ex proposito in re, quæ rationem habet alimenti, esset vera voluntaria deglutio³.

3. Ut quod sumitur, habeat rationem cibi, vel potus; secus non esset comestio, nec potatio. Hinc non solvitur jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut capilli, ungues, metallum, fila ex lana, ossicula fructuum omnino depurata; quia hæc non habent rationem cibi. Secus esset, si res sint digestibiles, quæ a stomacho alterari et in substantiam hominis converti possint, ut carta, palea, filum ex lino, pulvis, medicinalis; vel cera, quæ fere semper aliquid mellis retinet; arborum folia, etc.

622. *Quæres: Quid sentiendum de usu tabaci?* Olim stricte prohibebatur tabaci usus tum ante Communionem, tum ante Missam; sed aliter hodie se habet usus. Unde commune est nunc licere: 1. tabacum

¹ 5 p., q. 8, a. 8, ad 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 289.

² *De sac. Missæ*, l. III, c. xu. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XV, n. 56.

³ Hinc Sacerdos qui in nocte Nativitatis cum sanguinem muscam bibit, etsi inadvertenter, nequit amplius celebrare alias Missas; quia illam sumpsit per modum quo sumitur cibus et potus. Ita Fagundez.

per nasum sumere, licet aliquid illius in stomachum descendat; non enim sumitur per modum comestionis; 2. fumum tabaci ore haurire; quia fumus non est cibus, nec potus, neque hoc modo sumitur. Saltem id licet ex usu coonestante, ut ait Benedictus XIV⁴; 3. tabacum masticare, semper ac foras omnino expuatur succus; nihil enim in stomachum trajicitur, vel non nisi præter intentionem: nunquam autem per modum cibi id fit, sed per modum salivæ. Non tamen negandum id esse indecens; ideoque veniale, si fiat sine causa.

623. Q. 3. *An sint causæ a jejunio excusantes in Communionem?*

R. Cum jejunii præceptum in Communionem servandum naturale non sit, sed positivum et ecclesiasticum, certum est posse interdum non obligare, gravi nempe causa accedente; quia lex positiva non obligat tam stricte, ut nunquam cesset. Tales autem causæ, ob quas quis potest communicare non jejunus (si non possit jejunus), sunt:

1. *Periculum mortis*, ex quacumque causa proveniat, sive ex morbo naturali; sive ex iudicis sententia; sive etiam ex malitia hominis, puta si mortis metu obligetur quis ad celebrandum non jejunus, non quidem in contemptum, sed quia omnino aliqui volunt audire Missam.

2. *Periculum profanationis*; ut si periculum sit, ne Eucharistia male tractetur, v. g., ab hæreticis vel impiis, si non sumatur; alioquin lex jejunii in illius reverentiam inducta cederet in illius profanationem. Et tunc Eucharistia potest sumi etiam ab eo, qui jam communicavit in eadem die.

3. *Periculum scandali vel gravis infamix*: esset si Sacerdos jam Missam inchoaturus recordaretur se non esse jejunum (quod tamen ab aliis ignoratur), et debeat celebrare coram populo; neque causam innoxiam allegare possit; sed timeantur obmurmurationes, suspiciones et temeraria iudicia, ideo vera scandala, si non celebret⁵.

⁴ *De Syn.*, l. XI, c. xiii; et *De sac. Missæ*, l. III, c. ix. — Lugo, *Respons. Moralit.*, l. I, dub. ix.

⁵ Ait la Luzerne, *Instruct. sur le Rituel de Langres*: « Il est bien difficile que la cessation de la messe ne cause pas de scandale et ne donne pas lieu de concevoir des soupçons défavorables, quoique mal fondés. Il y a toujours à craindre du scandale, excepté lorsque la sainteté du célébrant

4. *Necessitas perficiendi Sacrificii*; cum hæc necessitas sit de jure divino. Hinc si Sacerdos, consecrata hostia, moriatur, ab altero licet non jejuno et etiamsi jam celebraverit, est perficienda Missa: *nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti*; quia omnes unum sumus in Christo propter fidei unitatem, prout ait S. Thomas¹.

5. *Unio moralis ejusdem Sacrificii*. Evenit quando Sacerdos post Missam reperit fragmenta a se consecrata; ea sumere debet etiam in Sacrario, modo vestibus sacris adhuc sit indutus; quia id habetur veluti complementum Sacrificii. Si vero jam vestibus sit exutus, vel si fragmenta sint diversi Sacrificii, vel hostia relicta sit integra, tunc tantum ea sumat, si nequeunt reverenter servari².

6. *Dispensatio romani Pontificis*, qui merito hæc potestate potest uti et usus est, et quidem solus, ut observat Benedictus XIV; romanus enim Pontifex omnia jura in scrinio petoris sui censetur habere³.

624. Q. 4. *Ubi sistit compositio corporis in Eucharistia sumenda?*

R. Compositio corporis in Eucharistiæ sumptione consistit in eo, quod nihil communicandus in oculis, vultu, incessu atque vestitu præ se ferat, quod eos dedecet, quibus dictum est: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*⁴. Hinc mu-

est connue, qu'il a la confiance et l'affection de ses paroissiens. On peut dès lors admettre en règle générale que le prêtre qui a commencé la messe sans être à jeun peut la continuer, quoiqu'il ne soit encore qu'à la consécration. J'en dis autant, et pour les mêmes raisons, si le prêtre est à l'autel pour célébrer, ou s'il est encore à la sacristie, lorsque les fidèles sont déjà rassemblés dans l'église et attendent la messe. » V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 289. Goussel, *Gury*.

¹ In 4, d. 8, q. 2, a. 4. Communissimum autem ac probabilissimum est contra Concilium, Sacerdoti non jejuno ad Viaticum aliis administrandum celebrare; tum quia contra stat. praxis; tum quia hoc Viatici præceptum non obligat, si rite non potest Communicatio dari. Excipiunt recte si infirmus absolute eo Sacramento indigeret: ita Layman, Viva aliique.

² Pariter licet ad deglutienda fragmenta sumere ablutionem; quia licet potus trahatur ante, tamen talis sumptio censetur moraliter una. Ita Rubrica ac Benedictus XIV.

³ Sect. Dec., l. I, t. I, De Constitutionibus, c. 1. — V. Benedictus XIV, Epist. Quadam, 1756. — ⁴ I Cor. vi.

lieres graviter monet S. Carolus, ut modeste accedant, pectore cooperto et sine vano ornato: et si quæ nimis esset immodestia, ei Communicatio denegetur. Hinc Sacerdotes more laicorum communicantes vultu Rituale, ut cotta et stola sint induti: quod tamen omittere commune est, veniale tantum esse; tum quia res non est admodum gravis; tum quia non est sub gravi præcepta. Præstat vero, ut alii clerici cotta induti communicent.

Demum quoad militares congruum est, ut arma deponant, cum ad communicandum accedunt, si excipias milites sancti Joannis Hierosolymitani, qui nempe hoc signo utuntur ad Religionis defensionem¹.

Art. II. — Dispositiones ex parte animæ.

625. Q. *Quænam dispositiones requiruntur ex parte animæ ad salutarem Eucharistiæ sumptionem?*

R. Solam fidem non esse sufficientem præparationem ad Eucharistiæ sumptionem definiivit Tridentinum contra Calvinum et Lutherum²: utique fides requiritur, imo ad percipiendam uberiori cum fructu sacram Synaxim exigitur et viva fides et firma spes et ardens desiderium. Unde D. Chrysostomus: *Ne torpeamus igitur tanta dignati charitate et honore putati; nonne videtis quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam et ad ubera poculi spiritualis; quinimmo cum longe majori trahamus, tanquam infantes lactentes, spiritus gratiam, et unus sit nobis dolor hac esca privari*³.

Sed alia quoque prærequiruntur, ac: — 1. immunitas a censura, cum hæc spiritualibus bonis privet⁴; — 2. immunitas a mortali: *Qui enim manducat et bibit indigne, Apo-*

¹ V. Benedictus XIV, *Notificatione* xcix.

² Sess. xiii, can. xi. — ³ Homil. ix, *Ad popul. Antioch.*

⁴ Quamquam si necessitas urgeat ad scandalum vitandum, neque adsit qui a censura absolvat, communicare liceat; cum hæc prohibitio sit tantum juris ecclesiastici.

stolo dicente, *judicium sibi manducat et bibit*, id est suam condemnationem¹. Unde clamabat Augustinus: *Innocentiam ad altare portate*²; innocentia, seu immunitas a culpa mortali, est illa vestis nuptialis juxta SS. Patres, quam qui non habet in hoc convivio, ligatis manibus et pedibus mittitur in tenebras exteriores.—3. Sacramentalis confessio et absolutio in eo, qui sibi mortalis culpæ conscius est; adeo ut eo in casu ei nullimode sufficiat contritionem perfectam elicere, nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi, et simul desit Confessarius. *Communicare volenti*, ait Tridentinum, *revocandum est in memoriam præceptum*: Probet seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessarij. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*³. Communis porro et vera sententia docet, tale præceptum præmittendi Confessionem non esse tantum ecclesiasticum, sed etiam divinum; nam Apostolus testatur in sua Epistola se illud accepisse a Domino: consuetudo autem Ecclesiastica illud declaravit, non introduxit.

Diximus 1: *Qui sibi mortalis culpæ conscius est*: qui enim est dubius an mortale commiserit, v. g., an adhæserit prævæ cogitationi, etiam quin confiteatur, rigore loquendo potest celebrare et communicari, quia revera non est sibi conscius mortalis. Attamen tenetur ad contritionem, ne se periculo exponat frustrandi effectum Sacramenti: imo in praxi taliter dubitanti ipsa Confessio est suadenda; cum ordinarie id prosit ad conscientie tranquillitatem⁴.

¹ I Cor. xi. — ² Tract. XXIV, In Joann.

³ Sess. XIII, c. VII. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 256; et *Homo Apost.*, tract. XII, n. 25.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 422 et 475; et *Homo Apost.*, tract. XV, n. 54.

Diximus 2: *Nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi*: quæ necessitas debet esse gravis, adeo ut iudicio prudentum censeatur divinum ac positivum illud præceptum cessare. Unde per se non sufficeret celebritas festi, onus Missæ dicendæ ex beneficio, magna devotio, Indulgentia lucranda, Sacerdotis paupertas (nisi esset valde gravis) qui eleemosyna indiget¹. — Esset autem gravis necessitas, si communicatio vel celebratio omitti non posset sine scandalo vel infamiae nota, uti si Sacerdos jam populum convocaverit, et sub nullo prætextu suspendere possit celebrationem: idem esset de eo, qui in communicantium scamno jam reperiretur, nec discedere possit, quin ab illis notetur. Item si allato Vialico ad infirmum, tempus non suppeteret ad complendam Confessionem de mortalibus absque periculo mortis, vel infamiae: tunc audito aliquo peccato, Sacerdos moribundum contritum absolvat, imponendo ei ut dein integre confiteatur, et tunc ipsum communicet. « Une nécessité urgente, ait card. Gousset, subsiste encore lorsque le curé ou le vicaire est obligé de dire la messe soit parce que c'est un jour de dimanche ou une fête de précepte, soit aussi parce que c'est une fête de dévotion que les fidèles ont à cœur de célébrer en entendant la messe, ou bien parce qu'il est urgent de consacrer des hosties pour la communion d'un malade; ou s'il s'agit de célébrer un mariage et que les époux et les parents veuillent entendre la messe; de faire un office funèbre, de célébrer une messe solennelle où la famille du défunt doit assister, à moins qu'on ne consente à ce que la messe soit différée. On suppose toujours que le curé ne peut se confesser, ni se faire suppléer par un vicaire ou un autre prêtre. » Tunc sufficit conteri.

Diximus 3: *Et simul desit Confessarius*. Copia Confessarii non censetur deesse, quia Confessarius cui solemus confiteri, est absens; vel quia alter Confessarius præsens est junior,

¹ Si Sacerdos existens in mortali non posset audire Missam de præcepto, nisi celebret, adhuc tenetur Sacrum omittere sine copia Confessarii; quia præceptum Confessionis est divinum; auditionis Missæ, ecclesiasticum. Si vero agatur de satisfaciendo præcepto annuæ Communionis, disputant; nam tunc duo habemus præcepta divina. — V. Dens.

notior, non doctus. — Censetur vero deesse, si adiri non posset absque magna difficultate, habita ratione itineris, salutis, ætatis, temporis brevitatis, etc. Vel adsit quidem, sed sit jurisdictione privatus, aut non approbatus pro eo loco aut si Confessionem audire recuset. Item est si Confessarius sit penitus ignarus idiomatis pœnitentis, qui etsi possit apud eundem signis manifestare peccati sui dolorem, non ideo tamen tenetur; cum in præsentiarum ordinaria et vera peccati Confessio præscripta sit. « On considère encore qu'il n'y a pas de confesseur, iterum habet ad rem card. Gousset, lorsqu'on ne peut se confesser à un de ses confrères qui est présent, sans causer à soi-même, ou à ce prêtre, ou à un tiers un dommage considérable; ainsi, par exemple, on n'est pas obligé de se confesser alors qu'on n'a qu'un prêtre pour lequel on se sent une répugnance plus ou moins légitime, mais invincible, si à tort ou à raison on regarde ce prêtre comme indiscret, et suspect (jusqu'à un certain point) par rapport au secret de la confession. Finalement on est dispensé de se confesser, si l'on ne trouve qu'un prêtre qui n'a pas de juridiction, soit que ses pouvoirs soient expirés, soit qu'il ne puisse pas absoudre du cas dans lequel le pénitent a eu le malheur de tomber. »

Unde tunc celebraturus vel communicaturus; si sola reservata habeat, nec aliis culpis mortalibus teneatur, satis est ut conteratur: attamen, si advertat se non habere nisi attritionem, tunc tenetur confiteri aliquod veniale aut mortale jam remissum, ut a reservatis, saltem indirecte, absolvatur et ita in gratia communicet. Quod si cum mortalibus reservatis, mortalia non reservata habeat, tunc communissimum est ac probabilius quod pœnitens tenetur ad Confessionem; ratio quia cum urgeat præceptum divinum Confessionem præmittendi communioni vel celebrationi, debet fieri confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri materialiter. Utrum autem eo in casu pœnitens teneatur confiteri etiam reservata simul cum non reservatis, alii affirmant, alioquin non satis cognosceretur totus status pœnitentis: alii negant forte probabilius; nam quantum ad reservata Confessarius nequit esse iudex (nisi agatur de recidivo vel occasionario, ut de ejus

dispositione valeat judicare). Quo in casu Confessarii absolutio indirecte caderet in reservata, in non reservata autem directe.

Diximus 4: *Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, teneatur confiteri quamprimum.* Hoc a Tridentino additum est et præceptum, et quidem communissime et satis probabiliter pro solis Sacerdotibus; tum quia in hac parte Concilium solos Sacerdotes nominat; tum quia cum Sacerdotes frequentissime celebrent, in ipsis facilius occurrit, quam in laicis, necessitas communicandi absque Confessione. Igitur ne ad id assuescant, præceptum *quamprimum* confitendi recte eis impositum est¹.

Illud *quamprimum* rigorosum et grave præceptum continet, et ideo Confessio differri non licet: hinc Alexander VII damnavit has propositiones: 1^a *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti, ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum;* 2^a *illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* — Per illud autem commune est, ac receptum triduuum intelligi, nam ex jure *statim fieri dicitur quod intra triduum fit*²: et Croix affert hac de re declarationem S. Concilii Congregationis. Potest tamen contingere, quod Sacerdos ille teneatur confiteri eadem die et forte eadem hora, uti si tunc Confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit; vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec possit cras confiteri (EE).

¹ Unde inferitur: si Sacerdos communicet more laicorum in necessitate sine Confessione, non teneatur statim confiteri. Secus vero (ut dicunt) si deberet complere casu sacrificium ab alio inceptum; vel si officium parageret in Parasceve, quia etsi tunc non diceret proprie Missam, dicitur tamen simpliciter celebrare ex Rubrica.

² *Lege fin. cod. de Judiciis.* Verius autem et communissime dicunt: hoc Confessionis præceptum eos tantum respicit, qui in peccato, sed necessitate urgente, ideoque sine culpa, elicitâ contritione celebrant, ne scilicet sub prætextu, quod jam sint in gratia constituti per contritionem, confiteri differant. Non ergo respicit sacrilegos, quibus illud præceptum ecclesiasticum non est profuturum; cum jam contemnant divinum præceptum non celebrandi in mortali. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 266.

Quid (dices) de illo qui post Confessionem rite peractam recordatur alicujus mortalis ex inculpabili oblivione non declarati: teneturne illud confiteri antequam communicet?

Affirmant communius; cum mortalis vere ille sit conscius, neque illud sit confessus: et talis est praxis fidelium. Attamen plurimi recentiores cum Collet, Gousset, Gury, et Pontas contrarium docent quoad illum, qui universali peccatorum suorum dolore confessus est. Quod quidem nobis videtur rationi consentaneum; nam qui bona fide est confessus, vi Sacramenti justificatus est; et ideo sufficienter se probavit. Neque potest dici conscius peccati mortalis: cum illud jam remissum sit, solaque maneat obligatio illud clavibus Ecclesiae subjiciendi. Praxis autem quae opponitur est laudabilis usus suadendus (quem pariter et non praecis circumstantiis, quam maxime suadendum putamus), sed non obligationis norma.

COROLLARIUM. — De Communionem sub utraque specie, de Communionem frequenti ac spirituali.

626. Q. 1. An Communionem sub utraque specie sit necessario sumenda?

R. Labente saeculo XIV Petrus Dresdensis, coadjuvante Jacobello Misnensi, usum calicis (jam obsoletum) uti necessarium jure divino pro omnibus resuscitavit. Horum partes susceperunt Hussitae, ideo dicti etiam *Calixtini*: quos omnes damnavit Concilium Constantiense. Errorem autem a Lutero et Calvino instauratum ultimo proscripsit Tridentinum: *Si quis dixerit ex Dei praeccepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit*¹. Id eruitur ex Scripturis, ubi colligitur alterutram speciem totam tribuere virtutem; dicitur enim *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem, etc.*². Firmatur etiam ex traditione; nam per tredecim priora saecula, quibus viguit contraria disciplina saepe sub una tantum specie Communionem tribuebatur, uti infirmis, teste Eusebio³; pueris, teste Cypriano⁴; domi persecutionis tempore communicantibus,

¹ Sess. XXI, can. 1. — ² I Corinth. II. — ³ Hist. Eccl., I, V, c. XXIV.

⁴ Lib. De lapsis.

teste Tertulliano¹, etc. Quod quidem pluribus probant exemplis Billuart ac Perrone².

Ecclesia autem convenienter usum calicis interdixit, ut notat Catechismus romanus: — 1. fuit ad profligandos tum illos, qui eos damnabant sacrilegii, qui sub una tantum specie communicabant; tum illos, qui negabant sub qualibet specie totum contineri Christum; — 2. periculum effusionis sanguinis, in tanta nempe fidelium quotidie crescentium multitudine; — 3. Communionem infirmorum, quibus videlicet qualibet hora erat deferendum Viaticum; — 4. multitudo abstemiorum, et eorum qui sine nausea vel etiam vomitu nequirent haurire ex calice communi; — 5. vini in multis regionibus penuria: porro aequum erat, ut uniformitas servaretur. Adde maximam difficultatem in servanda vini specie in non paucis regionibus; adde spontaneam fidelium desuetudinem fere universalem saeculo XII et XIII. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos et etiam Clericos non conficientes sub panis tantum specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit*³ (FF).

627. Q. 2. Quenam Communionem potest dici frequens?

R. Consentiant Communionem frequentis nomine intelligi non solummodo quotidianam, sed eam etiam quae plusquam semel vel bis fit in hebdomada. De Communionem singulis do-

¹ L. II, Ad uxorem, c. v.

² V. Klee, *Histoire des dogmes*. Ex pluribus unum sit; constat ex S. Leone (serm. IV, De quadr.) manichaeos diu latuisse Romae; quamvis in sacra Synaxi unicum symbolum panis sumerent, vini symbolo relicto a quo ipsi abhorrebant, ita ut necesse fuerit ad illos detegendos omnes indiscriminatum cogere ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie: quod praecceptum Gelasius renovavit. Ergo liberum erat fidelibus alterutrum symbolum in publica Communionem sumere; alioquin non diu adeo se manichei contegere potuissent. Quod si aliquando Patres fideles urgebant ad utramque speciem sumendam, non rigorosum praecceptum adstruebant: sed loquebantur tantummodo cohaerenter ad disciplinam tunc temporis vigentem, a qua recedere pro libitu privatis nefas erat.

³ Sess. XXI, c. II. — Haec disciplina apud Graecos non fuit acceptata, qui in templis adhuc communicant in fermentato sanguine intincto. V. Benedictus XIV, Constit. *Allatae*, 1745; et *De Syn.*, etc., I, VI, c. IX. — Liguori, *Opera dogmatica*, sess. XXI, nn. 1 et seqq.

minicis peracta quæstio est: hæc nobis per se loquendo non videtur habenda uti frequens; multo ergo minus quæ fit singulis quindecim diebus, vel singulis mensibus: quod quidem erudite probat S. Alphonsus¹. Et sane postquam in Ecclesia fidelium plebs numero aucta fuit, sed sanctitate diminuta, id est a sæculo VI, statutum est, ut fideles omnes singulis dominicis communicarent, nisi criminali peccato et manifesto impedirentur². Primitus enim singulis vel fere singulis diebus communicabant, ut refert Cardinalis Bona³.

Jam vero si tunc omnibus Communio hebdomadalis erat in præcepto, ac sola immunitas a mortali requirebatur, ea in se præcise frequens non potest dici: neque enim Eucharistia immutata est, ut hodie major, quam ante reverentia eidem tribuenda sit⁴. Hæc igitur ad eam satis sunt: 1. immunitas a mortali, ne sacrilegio anima gravetur; 2. Communionis desiderium, ne cibus iste fastidio habeatur; 3. Confessarii consilium, ut omnis hallucinatio auferatur (GG).

628. Q. 5. An suadenda Communio frequens in hebdomada?

R. Certum est contra Jansenistas (præsertim Arnaldum) Communionem sæpius factam in hebdomada, imo quotidianam, debitis conditionibus intervenientibus, esse optandam exemplo fidelium primitivorum, qui erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis⁵. Id vehementer exoptat Tridentinum⁶: quod desiderium explicans Catechismus R. docet esse officium Parochi hortari (non tamen acriter, sed blande) fideles ad Communionem etiam quotidianam, eos instruendo, quod sicut corpus, ita et anima

¹ In Opusc. *Risposta apologetica sulla materia della Comunione frequente*. — *Homo Apost.*, app. I, n. 20. — *It. Praxis confessarii*, n. 149.

² *Capitular.*, l. VI, c. xvii.

³ *It. Liturg.*, l. II, c. xvii.

⁴ Si semper fuit reverentia dignissima, et tamen sola immunitas a mortali præcipiebatur ad communicandum singuli hebdomadis, id pro frequentia non habebatur; ad frequentiam enim tanti Sacramenti omnes conveniunt aliquid amplius requiri.

⁵ Act. ii.

⁶ Sess. xxii, c. vi.

eget quotidiano alimento; addens id semper fuisse a sanctis Patribus et Ecclesia valde probatum. Unde S. Carolus Episcopus suæ Provinciæ injunxit severe puniendos esse Parochos, qui oppositum disseminarent. Hoc demum Episcopis omnibus inculcavit Innocentius XI decreto S. C. C. 1679 approbando, ut videlicet in suis subditis hanc alerent devotionem, declarans nihil obstare, quod sint laici, negotiatores, aut conjugati¹. Concludendum ergo cum Basilio M.² *singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti Corporis et Sanguinis Christi, bonum est et perutile*.

Quæ frequentia Clericos maxime urget, quorum quidem assiduum ministerium erga tantum Sacramentum esse debet. Neque enim facile dixeris eos Sacerdotes ex solida devotione quotidie celebraturos esse, si nunc conspicias Clericos sacramentam fastidire, et forsitan etiam frequenter accedentes irridere. De hisce pessime vaticinamur.

Diximus tamen *debitis intervenientibus conditionibus*; quæ ex D. Salesio verificantur in illis, qui sublato jam affectu ad venialia, et superata majori parte pravæ suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, et Directoris consilium.

629. Ceterum cum ex decreto Innocentii XI *Cum ad aures* (quod refert Billuart) iudicio Confessariorum frequens ad Eucharistiam accessus sit relinquendus, nonnulla hic adnotamus, ut Confessarii prudens iudicium ferre valeant: neque enim una pro omnibus regula.

1. Quando anima experitur, communicando se crescere in divino

¹ Quid enim hoc potest impedire? *Non familiæ curæ ac domus*; cum potius ab hac frequentia robor percipiant ad propria munia accuratius obeunda: unde tunc tantum esset modus imponendus, si revera familiæ cura passura esset damnum vel familia turbetur. *Non actus conjugalis*, ut supra dictum est; tum quia redditio debiti est actus virtutis; tum quia primi fideles, licet conjugati, quotidie tamen communicabant. — Ad rem etiam Salesius lib. III, tit. iii, scribit: « Quand vous pouvez communier sans troubler vos supérieurs, faites-le selon l'avis de vos confesseurs; quand vous craignez de les troubler, contentez-vous de communier d'esprit; et, croyez-moi, cette mortification spirituelle, cette privation de Dieu agréera extrêmement à Dieu, et vous le mettra bien avant dans le cœur. »

² Epist. xiiii ad Oceaniam Patriciam, *De commun.* — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VIII, c. xii.

amore, nec minui reverentiam Sacramenti, non debet abstinere a Communionem etiam quotidiana: Unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Ita D. Thomas¹.

2. Quando anima sentit se maxime ad Communionem inclinari, expedit identidem eam mortificare Communionem differendo, et præsertim si inde turbetur, quod argumentum esset superbiæ. Non ita tamen expedit eam mortificare, si sit in ariditate ac tædio; ex Sacramento enim vires acquirat: *Licet tepide*, ait D. Bonaventura, *tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas*².

5. Si Confessarius vult animas valde proficere, curet ut ad sacram Synaxim imparatæ non accedant: et post in gratiarum actione immorentur tempore quo possunt. *Paucissimi sunt directores*, ait S. Alphonsus, *qui sedulo id faciunt; quia paucissimi sunt Sacerdotes, qui post Missam cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet: fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando ac petendo se exercet*³.

4. Tandem placet concludere cum Clericato a Benedicto XIV valde laudato: *Nullus est, cui menstrua Communionem consuli non possit: pauci, quibus Communionem hebdomadaria sit prohibenda: paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda, si excipias aliquam peculiarem circumstantiam, puta aliquod Novennarium. Neque obstat, quod Sacerdotes quotidie celebrent, quamvis non ita ferventiores; nam præterquam quod non excusantur si non conformant mores suos ad tanti Sacramenti dignitatem, alia urget ratio: quod nempe ipsi ex officio constituti sunt mediatores inter Deum et homines, ac Ministri Sacrificii, quod quidem prodest toti Ecclesiæ ex opere operato (III).*

630. Q. 4. Quid de Communionem spirituali?

R. Cum Angelico: *Contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus hujus Sacramenti (Eucharistiæ), in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum*⁴. Hæc Communionem valde in deliciis fuit Sanctis, et in Tridentino commendatur. Hæc animabus valde utilis est et illorum honorum ac gratiarum participes nos facit, quorum fiunt participes qui

¹ In 4 de sent., d. 42, q. 5, a. 1.

² De profess. religiosa, c. lxxviii.

³ Praxis confess., § 4, n. 156.

⁴ 5 p., q. 88, a. 2. — Stapf, § 591.

sacramentaliter communicant: si enim Deus ejuscumque virtutis desiderium præmio afficit, quanto magis desiderium ipsiusmet Dei? Hæc Christo est valde grata, quippe qui id miraculis patefecit: unde Confessarii esse debet illam suis omnibus poenitentibus vehementissime insinuare, si velit eos ad perfectionem ducere.

Tribus porro actibus ipsa spiritualis Communionem conficitur: 1. est *actus fidei*, quo spiritualiter communicaturus Christum sibi realiter in Eucharistia præsentem exhibeat. Talem actum sequi debent ceteri, ad ipsam sacramentalem Communionem requisiti; 2. *actus mentis*, quo se sibi in animo fingat jamjam ad sacram mensam accedere, et hostiam de manu Sacerdotis accipere; 3. *actus gratiarum actionis*, ac si revera hostiam suscepisset. Tali modo Communionem spiritualis fieri potest tam domi, quam extra: et quidem sæpius in die; tam ante quam post cibum; tam mane quam sero. Quanquam tempus opportunius sit ipsius Missæ tempus, quo Sacerdos communicat; cum ipsum Sacramentum oculis tunc exhibeatur, ac ardentius proinde corda inflamet.

Qui tamen est in mortali, esto quod non teneatur confiteri, cum id nullibi præcipiatur; at in corde suo conteri debet, si velit utiliter communicare spiritualiter: hinc Tridentinum requirit vivam fidem charitate informatam¹. Quod si non poeniteat, tunc si nullum doloris actum præmittat, sed velit Deum sistere in corde suo una cum peccato, peccabit mortaliter, cum hoc sit sociare Deum cum Belial. Si tamen poeniteat, sed ejus poenitentia non sit contritio quæ peccatum delet, bona erit ista poenitentia: sed non consequitur speciales gratias quæ huic communionem adnectuntur, ob defectum necessaria dispositionis.

CAPUT QUARTUM

DE EUCHARISTIE VIRTUTE ET EFFECTIBUS

631. Q. 1. Quinam sunt effectus Eucharistiæ?

R. Unicum vel præcipuum Eucharistiæ effectum peccatorum remissionem esse docuerunt novatores, in Tridentino

¹ Sess. xiii, c. viii. — V. Scaramelli. *Directorio ascetico*, tract. I, n. 441. — Rodriguez, *Exercices de la perfection chrétienne*, p. II, tract. VIII, c. xv, n. 7.

tamen damnati: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit*¹. Imo peccatorum remissio per se non est effectus proprius Eucharistiæ; ipsa namque instituta est per modum cibi; at mortuis cibus non datur. Et Christus ait: *Nolite Sanctum dare canibus*²; porro concorditer admittunt per *Sanctum* intelligi Corpus Domini, per *canes* peccatores. Hinc D. Ambrosius: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus*³; et Chrysostomus: *Si pure accesseris, ad salutem accessisti; sin prava conscientia, ad pœnam et supplicium*⁴. Accedunt liturgiæ omnes, quæ præscribunt dari *Sancta Sanctis*; accedunt Concilia, ut Eliberitanum, Ancyranum, Nicænum I, Arauxicanum I, etc.

Quæ citantur contraria documenta, aut de venialium remissione sunt intelligenda: aut si de lethali accipiuntur, non attingunt Eucharistiam nisi prout est Sacrificium propitiatorium; vel si attingunt Eucharistiam prout Sacramentum, non nisi per accidens evenit quod mortalia remittat, prout fere communiter docent cum Angelico: *Si quis facta diligenti discussione suæ conscientiæ... ad Corpus Christi accedat, aliquo mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat, imo magis ex vi Sacramenti (Eucharistiæ) remissionem consequitur*⁵.

Effectus autem Eucharistiæ proprii ac præcipui sunt:
1. intima fidelium cum Christo capite conjunctio juxta illud: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in eo*⁶. Cyrillus hierosolymitanus propterea vocat fideles *concorporeos, ac consanguineos Christi*⁷.

2. Gratia sanctificantis augmentum, ut patet ex Tridentino; et liquet ex illis Christi verbis: *Caro mea vere est cibus*; sicut ergo cibus corporeus vitam auget animalem, sic Eucharistia vitam spiritualem, quæ in gratia sanctificante sita est⁸. Hinc

¹ Sess. XIII, can. v. — ² Matth. VII. — ³ Lib. VI. *In Luc.*, c. IX.

⁴ Hom. XLVI, *In Joann.* VI. — ⁵ In 3, d. 9, q. 1, 5.

⁶ Joann. VI. — ⁷ Cath. XXII, n. 5.

⁸ Sess. XIII, c. II. — Cum autem per modum cibi Eucharistia sit instituta, ideo ut gratiam producat, necesse est ut manducetur, id est ut ex gutture in stomachum trajiciatur. Unde qui eam retinet in ore usquedum corruptatur, gratiam Sacramenti non recipit. Probabilius autem est in manducatione primæ partis speciei gratiam produci, cum jam sit totum Sacramentum.

Chrysostomus: *Tanquam leones igitur ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles*¹.

3. Actualis dulcedo spiritualis, ut habet Concilium Viennense: *In hoc Sacramento... dulcedo Domini degustatur*: consistit autem hæc suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas, quam qui obicem non ponit, miram sentit.

4. Jus ad gloriam juxta illud Christi²: *Qui manducat, etc., habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Hinc ab Ecclesia sancta Communio dicitur *pignus gloriæ*; sane qui vivificantem Carnem manducat, vivificatur.

5. Remissio venialium præteritorum, tum directe vires animæ resciendo; tum indirecte charitatis fervorem venialibus oppositum augendo. Hinc Tridentinum ait, Eucharistiam *esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis*³; et Augustinus hac de causa Eucharistiam *quotidianam medicinam* appellat⁴; et Damascenus scribit quod ipsa *comburit peccata nostra*⁵. — Diximus *præteritorum*, nempe habitu tantum remanentium; nam venialia actu placentia, vel in ipsa Communione admissa non dimittuntur: imo potius mensuram charitatis lædunt ex parte, ut docet Angelicus⁶.

6. Remissio pœnæ temporalis peccato debita, sed tantum indirecte, quatenus excitat fervorem charitatis. Neque enim Eucharistia uti Sacramentum ad satisfaciendum instituta fuit: hinc Anglicus docet quod pœnam remittit, sed *secundum modum devotionis et fervoris*.

7. Præservatio a peccatis ex eodem Angelico et Tridentino: tum quia roborat contra interiora corruptiva; tum quia munit contra exteriores impugnationes. Propterea S. Ignatius illam vocat *pharmacum immortalitatis et antidotum ne mo-*

Item valde probabile est gratiam augeri, quamdiu Eucharistia in corpore manet, majori dispositione accedente, quia est ad modum cibi instituta, qui quamdiu manet in stomacho sano, nutrit: ita Gonet, Mastrius, Tournely, etc. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XV, n. 6; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 227.

¹ Hom. XLVI, in Joann.

² Joann. VI. — ³ Sess. XIII, c. II.

⁴ Epist. LIV, alias 118, c. 5. — ⁵ L. IV, *De fide*, c. XV.

⁶ 5 p., q. 79, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 270.

riamur, sed semper vivamus in Christo Jesu¹. Et Chrysostomus, quem merito doctorem eucharistiæ appellant: Si ii, qui fimbriam vestimenti ejus tangebant, tantam sibi attraxere virtutem, quanto magis ii qui totum ipsum tenent²?

632. Q. 2. An Eucharistia prosit etiam non sumentibus?

R. Si accipiatur in ratione Sacrificiæ, utique Eucharistia prodest etiam eam non sumentibus; quia sacrificium etiam pro aliis offertur. — At in ratione Sacramenti ex opere operato aliis non prodest; nam sumitur ut cibus, qui ex se soli sumenti profectus est. Attamen ex opere operantis tam vivis quam defunctis prodesse potest, ratione scilicet communionis omnium membrorum inter se, vi cujus opera nostra in charitate facta aliis applicare possumus et prosunt³.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM

CAPUT PRIMUM

DE SACRIFICII EUCHARISTICI NATURA
ET MINISTRO

633. Q. 1. Quid est Sacrificium⁴?

R. Sacrificium sic dictum a sacro faciendo, si late sumatur, est omne opus bonum in gloria Dei susceptum. Hoc sensu dicitur: *Immola Deo Sacrificium laudis: Sacrificium*

¹ Epist. ad Ephes., n. 20.

² Hom. I. in Math. xxxvi. Alios effectus habet Eucharistia erga corpus, ut tenent Lugo, Suarez, Salmanticenses, etc., nempe vim diminuendi fomitem concupiscentiæ, excitandi bonas imaginationes, corpus sanctificandi, etc., etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 269.

³ Hinc S. Indicis Congregatio sub Alexandro VIII damnavit librum Theophili Renaudi, qui morem pro defunctis communicandi impugnabat.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 504 et seqq. — Et *Opera dogmatica*, sess. xxii.

*Deo spiritus contribulatus: sacrificate Sacrificium justitiæ*¹; et hæc etiam ratione omnes fideles bonis operibus gloriam Deo exhibentes, Sacerdotes appellantur a D. Petro: *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*². Sed si proprie accipiatur Sacrificium, definitur: *Oblatio rei sensibilis facta soli Deo per ministrum legitimum cum aliqua destructione vel immutatione, ad testandum supremum dominium Dei ipsius in omnes creaturas.*

Dicitur: 1. *oblatio*, quæ vox locum tenet generis: sic enim Sacrificium convenit cum aliis oblationibus, v. g., decimarum; — 2. *rei sensibilis*, ut distinguatur ab ea, quæ tantum corde fit: atque etiam ut sit simul vinculum Religionis, quæ sensibus patet; — 3. *soli Deo*, cum enim sit eminentior actus Religionis, non debet nisi Deo convenire. Hinc Augustinus de altaribus in Martyrum memoria erectis, ait *quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit*³; — 4. *per ministrum legitimum*; est enim actus publici cultus, qui proinde exigit personas specialiter deputatas juxta illud: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*⁴; — 5. *cum aliqua destructione, vel immutatione*, id est vel effusione sanguinis aut mactatione, si res animata sit; vel partium divisione aut adustione, si res sit inanimata: sic enim perfecte indicamus dominium universale et absolutum supremi Numinis, cujus est res omnes condere ac destruere. Attamen aiunt non necessario requiri rei oblatae immutationem ad Sacrificii essentiam, si Sacrificium sit commemorativum alterius; tunc satis est quod vere ipsum repræsentet; — 6. *ad testandum*, etc., quæ verba finem primarium hujus actus indicant; scriptum est enim: *Soli Deo honor et gloria*⁵. Et ita Sacrificium a Sacramento distinguitur; hoc enim principaliter dirigitur ad hominis sanctificationem: illud autem ad Dei gloriam.

634. Multiplex Sacrificium distingui potest: 1. ratione materiæ: aliud in veteri Lege dicebatur *victima* seu *hostia*, et erat sacrificium, quo Deo animalia offerebantur. Aliud immo-

¹ Ps. vi, xlii et l. — ² Ep., c. xi. — ³ Contra Faust., c. xxi.

⁴ Hebr. v. — ⁵ I Tim. i.

latio, cum nempe offerebantur res inanimæ, sed solidæ, ut fruges terræ. Aliud *libamen*, cum offerebantur liquida, puta vinum.

2. Ratione modi: aliud dicebatur *holocaustum*, et erat quando res oblata tota comburebatur (a græco *holos* totum, et *caio* ardere). Aliud *hostia pacifica*, cum una pars comburebatur; altera cedebat in usum Sacerdotum; et tertia in usum offerentium. Aliud *hostia pro peccato*, cum scilicet una pars in honorem Dei comburebatur; et alia cedebat in usum eorum Sacerdotum, qui in atrio templi vescebantur.

3. Ratione finis: vel *latreuticum* est, si totum in Dei honorem exhibeatur. Vel *eucharisticum*, si in gratiarum actionem offeratur. Vel *impetratorium*, si ad nova obtinenda beneficia destinatur. Vel *propitiatorium*, si ad Deo satisfaciendum pro peccatis fiat.

4. Ratione significationis: aliud est *absolutum*, quod tale per se est absque relatione ad alterum, nec est alterius commemoratio, ut inactatio pecudis: tale fuit Christi sacrificium in ara crucis. Aliud *relativum*, seu *commemorative*, quod videlicet non est sacrificium nisi virtute alterius, ad quod refertur, cujus est commemoratio seu representatio. Tale est Missæ sacrificium, quod ad sacrificium crucis refertur, cujus commemorationem, seu representationem exhibet per duarum specierum consecrationem, seu mysticam immolationem.

635. De natura veræ Religionis est, ut quoddam sacrificiorum genus offeratur Deo: *Nam ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis et honoris*¹. Hinc sacrificiorum usus cœpit ab ipso mundi principio; et sicut nullus est populus sine Religione, ita nullus invenitur sine sacrificio².

¹ Ita Angelicus, 2, 2, q. 85, a. 1.

² Hac de re audiatur Stapf, § 215: « Multam attentionem meretur, ab omni retro ætate opinionem viguisse, Divinitatem ab hominibus offensam non nisi effusione sanguinis, seu victimis placari posse. Hæc popolorum persuasio, quæ inter ethnicos postmodum horrendum in modum degeneravit, adeo, ut passim etiam homines mactarentur, absque dubio originem suam ex *primativa aliqua traditione* traxit (Gen. iv, 4). Atque duplici

Habemus in mundi exordio sacrificia Abelis et Caini; in lege naturæ sacrificia Melchisedech, Abraham, etc., et plurima habemus in veteri Lege ab ipso Deo præscripta. Sed omnia abrogavit Christus sacrificio suo cruento in cruce oblato, quod quidem incruente renovatur quotidie in Missa. Veterum autem sacrificiorum abrogationem, novique per totum terrarum orbem celebrationem prædixit Malachias his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen ejus in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*¹.

636. Q. 2. *An in Eucharistiæ consecratione, quæ communi usu dicitur Missa, verum offeratur Sacrificium?*

R. Non solum calvinistæ, zwingliani, sociniani, methodistæ, rationalistæ, etc., qui inficiantur Christi præsentiam in Eucharistia, sed lutherani qui eam admittunt, veritatem sacrificii eucharistici negant: imo Lutherus dicit se a diabolo persuasum Missam abrogasse. Henricus VIII fere totam conservavit Missæ liturgiam: Eduardus VI universim mutavit; tandem Comitia regni anno 1549 declararunt Eucharistiam esse quidem Sacramentum, non vero Sacrificium. — Sed de fide est Missam verum esse sacrificium, ut definiit Tridentinum: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo proprium et verum sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum ad manducandum dari, anathema sit*².

axiomate nitebatur: *Sanguinem* in unoquoque animanti esse sedem et principium vitæ (Gen. ix, iv et seqq.; Lev. xvii et xi; Deut. xii, xxiii et seqq.); tum vero dari aliquam *reversibilitatem*, id est in locum ipsius delinquentis qui mortem promeruerat, hostiam aliquam, *vicariam* substitui posse. Cf. Le Maistre, *Soirées de S. Pétersbourg*, vol. II. Generatim mos sacrificandi cum primis hominibus cœpit, et postea per omnes gentes diffusus fuit. — V. Lacordaire, *Conférences: La tradition*. — Nicolas, *La Vierge Marie*, vol. I, c. viii — Ferraris, *Sacerdotium, Sacrificium*. — Tadini, *Dei sacrifici religiosi di tutte le nazioni*. Genova, 1845.

¹ Cap. i. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 304.

² Sess. xxii, can. i. Ante sæculum IV obtinuit usus, ut sacrificium Eucharistiæ Missæ nomine donaretur; hoc enim tamquam jam noto utitur D. Ambrosius; putamus autem ex eo derivatum esse hoc nomen, quod sacrificio peracto, populus in pace dimittitur iis verbis: *Ite, Missa est*, nempe di-

Probatur 1. *Scripturis* : Christus in cœna seu Eucharistiæ institutione verum et proprium sacrificium Deo obtulit ; atqui illud ipsum quod Christus fecit, iussit fieri ab Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus per ea verba : *Hoc facite in meam commemorationem*¹; ergo in Missa in qua fit, quod Christus fecit, verum sacrificium offertur. Major patet : ad sacrificium commemorativum (cujusmodi est illud quod a Christo in cœna oblatum est, et offertur in Missa) duo suffiunt, nempe realis Christi præsentia in Eucharistia, et repræsentatio mortis Christi ad significandam omnipotentiam Dei auctoris vitæ et necis. Porro utrumque adest : 1. realis Christi præsentia, ut demonstratum est; 2. repræsentatio violentæ Christi mortis in cruce, per consecrationem videlicet panis et vini, quæ seorsim fit ad significandam separationem Sanguinis Christi ab ejus Corpore, ut ipsi adversarii concedunt. — Adde in Psalmis prædicatur Christus futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech : *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*². At tantum Christus ita se gessit Sacerdotem in Eucharistiæ institutione : in ea si quidem obtulit illud ipsum quod Melchisedech obtulerat, panem nempe et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem sub panis et vini speciebus.

Præterea Malachias aperte prædixit (ipsis etiam Rabbini fatentibus) abrogationem veterum sacrificiorum, et subrogationem novi sacrificii tempore Messiae toto orbe celebrandi : *Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomine meo oblatio munda*³. Jam vero hæc verba intelligi non possunt de sacrificio cruceis, quod semel et uno tantum loco oblatum est; neque de sacrificio bonorum operum, quod aderat quoque in Lege veteri et in Lege naturæ : neque de alio præterquam de Eucharistiæ confectione, cui solum verba Malachiæ conveniunt. Ergo Eucharistia est veri nominis sacrificium.

missio est. Vocem enim *missa* pro *missione* vel *dimissione* sæpe cernimus adhibitam in monumentis ecclesiasticis. — V. Card. Bona, *Rerum Liturg.*, lib. I.

¹ Luc. xxii. — ² Ps. cix.

³ Malach. i. V, X et XI.

2. *Ex traditione*¹ : uti patet ex utriusque Ecclesiæ liturgiis, Conciliis, et unanimi Patrum consensu : res hæc est adeo evidens, ut eam fateri coacti sunt plures ex protestantibus, inter quos celebris Oxoniensis universitatis puseitæ professores². Ephesinum Concilium (anno 431) Eucharistiam vocat *sanctum, vivificum incruentumque sacrificium*; Chalcodonense (451) *terribile et incruentum sacrificium*. S. Hieronymus *legitimum Dei sacrificium, jure atque perpetuum*³; S. Augustinus *sacrificium pretii nostri*⁴. Aliique Patres quotquot scripserunt de Eucharistia eam passim vocant *sacrificium, oblationem, hostiam, victimam*, etc., ut videre est penes Bellarminum⁵ (II).

Dices 1 : *Si Christus in ultima cœna verum obtulit sacrificium, jam tunc opus redemptionis nostræ erat consummatum; erat ergo inutile sacrificium crucis.* R. Sacrificium ultimæ cœnæ, licet verum et infiniti valoris, sacrificium crucis non evacuavit : quia ex decretis Dei Christus moriturus et superabundanter satisfactorus erat. Præterea sacrificium ultimæ cœnæ suum habebat valorem ex futuro crucis sacrificio, cujus quidem realis erat repræsentatio, cum in eo Christus realiter suum sanguinem et corpus exhibuisset : hinc Christus in ultima cœna aiebat : *Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur*, indicando nempe crucis sacrificium ; proinde sacrificium ultimæ cœnæ (ideo et missæ) est commemorativum sacrificii crucis. Neque pugnat, quod eo in casu effectus causam præcedat ; nam alia est ratio causarum physicarum, et alia moralium : in physicis causa debet præcedere effectum, non vero in moralibus ; alias nulla gratia in ve-

¹ V. Innocentii papæ III *De sacro altaris mysterio*, libri tres, nuperime Parisiis editi. — Mone, *Le Messe latine e greche del II e VI secolo con un fac-simile*. Francoforte sul Meno, 1850 (vid. *Annali Religiosi*, ser. II^a, vol. VIII, pag. 452).

² V. Wiseman, *Dissertazione sullo stato attuale del Protestantismo in Inghilterra*. (R)

³ Cap. xlvi, in Ezech. — ⁴ *Confess.*, l. IX, c. xi.

⁵ Patrum consensum ultro fatetur doctor Grabe de protestantium secta : *Certum est, ait, Irenæum aliosque Patres quorum scripta habemus, tam eos qui viderunt Apostolos, quam eos qui immediate successerunt, spectasse Eucharistiam veluti novæ Legis sacrificium... Ceterum hæc doctrina, non est doctrina unius Ecclesiæ vel peculiaris Doctoris, sed erit doctrina et praxis Ecclesiæ universalis : Ecclesia eam acceperat ab Apostolis a Christo. Quod autem Apostoli Missæ sacrificium offerrent patet ex Act. xiii, ii; Act. ii, iv; I Corinth. x, xviii; Hebræor. xiii, x, V. Knoll.*

teri Testamento fuisset collata; collata enim fuit intuitu Salvatoris futuri.

Dices 2: *In Missa nulla fit occisio seu victimæ mactatio, quod tamen requiritur ad verum sacrificium.* R. Ad essentiam sacrificii non requiritur victimæ occisio; sic hircus in veteri Lege non occidebatur, sed emittebatur in desertum. Adde: sacrificium, quod offertur in Missa, est commemorativum sacrificii crucis: at in sacrificio commemorativo non requiritur victimæ occisio, cum ea jam præcesserit in sacrificio absoluto; unde satis est, ut sit illius realis representatio. Præterea in Missa mystica occisio habetur, seu mystice moritur Christus; nam vi verborum consecrationis corpus a sanguine sejunctum ponitur in altari, in quo Christus exhibetur tanquam occisus. Ergo Missa est verum sacrificium, imo unum et idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, cum idem sit Sacerdos et hostia, nempe Christus, idem valor, nempe infinitus; sola autem offerendi ratio diversa sit. Hinc versus:

*Mortuus ille semel, licet ultra non moriatur,
Idem quotidie super aras sacrificatur.*

637. Q. 5. Quisnam minister sacrificii Eucharistici?

R. Duo occurrunt in Missa ministri, Christus et Sacerdos.

1. *Christus, qui est primus ac principalis minister. idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit.* Sane Christus est Sacerdos in æternum, qui sempiternum habet Sacerdotium¹; oportet igitur, ut jugiter sacrificium offerat: quod agit Sacerdos um ministerio. Unde Lateranense declarat: *Christum in hoc mysterio simul esse Sacerdotem et Sacrificium*². Sane hic Sacerdotes loquuntur in persona Christi; verba enim consecrationis sunt verba Christi.

2. Post Christum ministri hujus Sacrificii sunt alii Sacerdotes, secundarii quidem (cum non per se, sed in Christi Domini persona sacrificium offerant), sed veri Sacerdotes; nam Christus Jesus tales illos instituit ordinavitque in persona Apostolorum, ut vere et realiter offerrent et sacrificarent, per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hinc Tridentinum eum anathemate damnat qui dixerit illis

¹ Tridentinum, sess. xxii, c. ii. — ² Hebr. vii.

³ Cap. Firmiter.

*verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum*¹.

Etiam Ecclesia dicitur offerre, sed quatenus Sacerdos non tantum in sua, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat². Imo etiam fideles sunt sub aliqua ratione offerentes, sed non proprie. Hoc contingere potest tripliciter: vel *habitualiter*, quatenus nempe fideles sunt membra Ecclesiæ, qui de ejus bonis participant, etsi de iis non cogitent; vel *actualiter*, quatenus sacrificio assistunt; vel tandem *causaliter*, quando scilicet curant, ut Sacerdos pro ipsis specialiter celebret.

638. *Quod si necessario fatemur nullum opus adeo sanctum ac divinum.. tractari posse, quam hoc tremendum mysterium...; satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interioris cordis munditie et puritate, atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur*³. Ad quæ quidem consequenda plura ab Ecclesia sapienter præcepta sunt. — Caveamus omnes, ne de nobis illud verificetur: *Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus*⁴.

Art. I.— De tempore et loco celebrationis, ac Missæ stipendio.

639. Q. 1. An liceat celebrare in quolibet anni die?

R. In Ecclesia latina licet quolibet die celebrare, excepto pro omnibus Missis sub gravi die veneris sancti, et pro Missis privatis etiam sub gravi Sabbato sancto, et Feria v in Cœna Domini⁵. — Missa autem ex Rubrica ab aurora ad meridiem

¹ Sess. xxii, can. ii.

² Innocentius III, *De myst. Missæ.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 507. — Croix, *De Sacrificio*, n. 16.

³ Tridentini verba, sess. xxii in *Decreto de observandis et evitandis in celebr. Missæ.*

⁴ Cap. *Ipsi sacerdotes* lxxxvi, causa 1, q. 1. — V. Ferraris, *vº Missa*, a. 6.

⁵ Cap. *Sabbato*, de cons. dist. iii quoad diem veneris sancti. Quoad ceteros dies extat Decretum Clementis XI renovatum ab Innocentio XIII. — V. Ferraris, *vº Missa*, art. 5; *Aurora*.

dici potest; commune tamen est licere Missam terminare circa auroram, et illam incipere parum ante meridiem: imo Benedictus XIII et Clemens XII declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem¹. Præterea communius et probabilius tradunt Roncaglia, Salmanticenses, Silvius, Viva, etc., quod celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel una hora post meridiem. Si tamen adsit gravis causa, v. g., dandi Viaticum, aut solemnitatis, aut itineris vel funeris, ab omni peccato excusat, etsi dilatio vel anticipatio sit per integram horam.

Quibus datur privilegium una hora ante auroram vel post meridiem celebrandi, eo caute utantur ex Paulo III². Quod tamen privilegium intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis neque lege neque consuetudine assignatum; alioquin privilegium parum prodesset.

640. Q. 2. *Ubinam licet Missam celebrare?*

R. Secluso Pontificis privilegio, commune est non licere, et quidem sub gravi, celebrare, nisi in Ecclesia publica, eaque consecrata vel saltem benedicta; ideo sine speciali facultate non licet in privatis Oratoriis³. Licet tamen in Oratoriis, quæ habent ingressum per viam publicam: item in

¹ Prout refert Benedictus XIV, *Notificatione* XII.

² V. Benedictus XIV, *Notificatione* XII. — Liguori, *Op. Mor.*, I. VI, nn. 341 et 346.

³ Ita Tridentinum, sess. XXII, in *Decr. de celebr. Missæ*. Est tamen commune, et usu receptum posse Episcopum in aliquo casu particulari ob causam gravem ad tempus dispensare, ut extra Ecclesiam celebraretur. Facultas quidem hoc permittendi sublata fuit Episcopis a Tridentino; id tamen intelligendum est de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus juxta facultatem, quam prius habebant, non vero de licentia per modum actus pro aliquo casu ac necessitate (V. Liguori, *Op. Mor.*, I. VI, n. 359; *Homo Apost.*, tract. XX, n. 64). Hac quæstione delata nuper ad S. C. C.: « An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in Oratoriis privatis, responsum fuit: *Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum*; 20 sept. 1856. » « Les princes et les princesses du sang royal ont le privilège de faire célébrer la messe dans leurs chambres lorsqu'ils sont malades. C'est aussi la coutume d'offrir pour eux, lorsqu'ils sont morts, le Saint Sacrifice, dans la chambre ardente où leur dépouille mortelle est exposée, » Gousset.

Oratoriis erectis domibus religiosorum vel communitatis: item in Oratoriis quæ habentur in palatiis Episcoporum: hæc enim reputantur uti Oratoria seu Ecclesiæ publicæ⁴.

Si autem locus sacer polluat, excretur, aut interdicitur, sub gravi tunc ibi prohibetur sacra peragere. Imo si templum sit interdictum interdicto generali, qui in eo celebrat, et jure incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ⁵ (JJ).

641. Q. 3. *An Missarum stipendium sit legitimum?*

R. Olim fideles Sacerdotibus celebrantibus offerbant panem et vinum, et quod supererat, in victum eorumdem Sacerdotum ac Clericorum cedebat. Dein permissum fuit offerre oleum, spicas, uvas, etc. Demum hæc permissio complexa est ipsam pecuniam, quæ mittebatur in arcam suo tempore distribuenda in sustentationem ministrorum et pauperum. Successive invaluit usus, ut pecunia ipsis celebrantibus traderetur, qui pro offerentibus Missam applicarent⁶. Hoc Wiclephitæ uti simoniacum improbant, sed immerito: *Sacerdos enim*, ait Angelicus, *non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis; sed quasi stipendium suæ sustentationis*⁷. Et possunt etiam divites legitime stipendium accipere; sive enim Sacerdos sit dives sive pauper, stat semper illud Apostoli: *Qui altari deserviunt cum altari participant*⁸.

Quoad stipendii taxationem S. Concilii Congregatio declaravit, *attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem quatenus adsit: sin minus, statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio*. Hac de re ait Benedictus XIV: *Si ultra eleemosynam ab episcopo taxatam plus, sacerdos celebraturus excipiat, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit*. Etenim, uti argumentatur Suarez,

⁴ V. Acta Ecclesiæ Mediolan., p. IV; *De fabrica Eocl. et suppellect.*, ubi omnia necessaria accurate ac minutim describuntur. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Ecclesia.

⁵ C. *Episcoporum de priv.*, in 6. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Missa, art. 4.

⁶ V. Benedictus XIV, *De Sacr. Missæ*, l. III, c. XXI. — Berleudi, *Dissert.* hac de re, ubi ostendit usum stipendii sæculo VII esse antiquiorem. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. VI, n. 515.

⁷ 2, 2, q. 10, a. 2. —⁸ I Cor. IX.

quamvis missæ stipendium non habeat rationem pretii, nihilominus exposcit iustitia, ut aliqua proportio servetur inter illud et opus ad quod subeundum administratur; eamque proportionem definire, in pecta natura rei de qua agitur, ad solum episcopum spectat. Ob eandem rationem iudicio episcopi missarum eleemosynam taxantis stare debent etiam regulares quibus, sub suorum privilegiorum obtentu, neququam licet stipem illa majorem exigere quam episcopus præscripsit ¹.

Imo episcopus probabilius potest prohibere, ne accipiatur stipendium taxa minus; ratio quia alias videretur quasi vilescere sacrificium, ac naturam contractus induere. Si tamen non sit expressis verbis lata hæc prohibitio, commune est quod Sacerdos potest etiam recipere minus: verum caveat, ne id vergat in aliorum damnum, et abusus inde enascatur. Item potest etiam majus taxa, si sponte tribuatur, accipere: nec id potest per se vetare Episcopus; cum liberalitas non sit prohibenda. Alexander VII damnavit has propositiones: 1. *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre*; 2. *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem* ².

642. An (quæres) Sacerdos possit alteri tradere Missam celebrandam, retenta pro se parte stipendii? R. Capellanus licet amovibilis et beneficiatus, et alii quibus commissa est perpetuarum Missarum celebratio et reditus certi annuatim sunt constituti (ut sunt etiam parochi, coadjutores titulares, et illi qui eorum vices gerunt) utique possunt celebrationem Missæ

¹ De Syn. l. V, c. ix; et Notificatione lvi.

² V. Liguori, *Degli abusi nel prender le Messe, risposta ad un autore anonimo*. An vero possit Presbyter accipere stipendium pro ea Missa, quam simul celebrat cum Episcopo in sua ordinatione, affirmat Benedictus XIV (de Sacrif. l. III, c. x) exemplum urgens Græcorum, qui plerumque cum Episcopo concelebrant: et sane illa est vera Missa. *Quid de illo, qui omittit unam tantum Missam, pro qua stipendium accepit?* Probabilius peccat mortaliter, licet materia stipendii sit levis; quia hic gravitas non est a stipendio mensuranda, sed a fructu fraudato. Alii limitant, si ille qui stipem dedit, ignoret omissionem missæ; secus si illam sciat, quia tunc levi stipendio damnum potest redimere. Qui autem omittit unam Missam gratis promissam, probabiliter non peccat graviter; quia simplex promissio per se non obligat sub gravi; nisi accedat votum, vel intentio graviter se obligandi, vel ex adjunctis aliter sit colligendum. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 517.

ex propria capellania, beneficio vel legato debita alteri sic tradere, modo alteri tribuantur taxam communem, quæ scilicet pro Missis manualibus a consuetudine vel Episcopi lege habetur taxata: constat ex Bulla Nuper Innocentii XIII, 23 nov. 1697 ¹.

Si vero agatur de alio quocumque, qui pro qualibet Missa accipit determinatam eleemosynam, id est de Missis manu-libus, nihil pro se retinere potest (nisi illa major eleemosyna non sit jam intuitu Missæ; sed potius et certo intuitu amicitie specialis, paupertatis, propinquitatis, gratitudinis, etc.). Ratio est, quia ab Alexandro VII ad eliminandum quemcumque quæstum sub n. 9 diris devota est hæc propositio: *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, par alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*: quod quidem mercimonium, seu turpis Missarum mercatura omnino prohibetur, etsi alius Sacerdos in minus stipendium (te quærente) consentiat, prout expresse declaravit Benedictus XIV Encyclica Quanta cura 30 junii 1741, ubi etiam in collectores Missarum, qui accipiunt pecuniam in loco, ubi largior eleemosyna solet tribui, et Missas celebrare faciunt ubi minor taxa tribuitur, infligit excommunicationem, si laici sint; si vero Clerici, suspensionem ipso facto ac reservatam. Imo eo in casu, ut probabilius ac communiter docent, restituendum est quod retentum fuit, Sacerdoti qui celebravit; nam Missa data fuit celebranda tali stipendio: qui igitur eam celebravit, jus habet ad illud totum stipendium (KK).

¹ Hoc valet etiam de ipsis locis piis, qui onere Missarum perpetuarum gravati sunt: « Il fut laissé par testament à une église 500 écus, à la condition qu'on fit avec le revenu célébrer tant de messes, à raison de trois jules chacune. Il fut demandé si ladite église pouvait donner au célébrant un seul jule, taxe commune et retenir les deux autres; il fut répondu par la S. C. du Concile, le 3 août 1658, affirmative, et reliquum cedere ad commodum Ecclesiæ. Ita Pavone, *Spicil. canonico-morale-giuridico-liturgico*, § 192; ubi plures alios casus ponit.

**Art. II. — De Missæ duratione, de altari
et hora præfixa deque Missarum numero et reductione.**

643. Q. 1. *Quale temporis spatium Missa lecta durare debet?*

R. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tædio afficiantur: hinc si quis ob devotionem specialem vellet eam protrahere, celebrabit in privato, exemplo S. Philippi. Nec brevior triente; qui autem infra quadrantem missam absolvit, difficulter poterit a mortali excusari, licet Missa sit ex brevioribus, uti de S. Maria in Sabbato. Hinc illud:

*Uno si fuerit brevior tua Missa quadrante,
Mortalis culpæ crederis esse reus.*

Rationem affert S. Alphonsus, nempe: *Quia in tum brevi spatio necessario Sacerdos committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum; alterum gravis scandali erga populum*¹. Vult porro Tridentinum, ut Ordinarii locorum sollicitè hac de re invigilent²; nam, ut ait Benedictus XIV ex Bellarmino: *Hæc Sacerdotum incuria est lacrymis uberrimis digna, cum videantur non credere majestatem Domini esse præsentem*³. Impossibile enim moraliter est in tanta temporis angustia reverenter agere cuncta præscripta, devitare periculum mutilandi verba, benedictiones, genuflexiones, etc. Et concessio etiam, quod ita lingua sit expedita, et persona prompta, ut omnia quam celerrime adimpleantur, Sacrificium semper erit devotionis vacuum,

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 400. Et in Opere, *La Messa e l'Officio strapazzati*, habet: « Je ne sais avec quelle conscience les curés et les sacristains admettent à célébrer dans leurs églises de tels prêtres qui disent la Messe avec tant d'irrévérence. »

² Sess. xxii, c. v de R. In Novariensi Diœcesi nuperrime lata est suspensio ipso facto in illos, qui *audent* Missam persolvere breviorē quarta horæ parte. Ita etiam egerat in sua Diœcesi S. Alphonsus, ac plures alii Episcopi.

³ Bulla *Annus qui. It. Notification.* xiv et xxxiv. — Synodus Novariensis vult hac in re incorrigibiles Episcopo denunciandos.

reverentiæ expers, ædificatione carens, ac tandem scandali causa tam præpropere festinatio.

644. Q. 2. *An peccat qui differt celebrare, stipendio accepto?*

R. Certum est, quod si quis tibi det eleemosynam, ut celebres pro ipso in hodierna festivitate, peccas, et teneris restituere quod accepisti, si postea Sacrum facias, nisi dantem advertas de impedimento. Item est, si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, pro lite vincenda, etc., Sacerdos omittat celebrare intra tempus aptum; nam circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitiæ: unde tempore transacto, Sacerdos tenetur stipendium restituere, etsi postea celebraverit¹. Quoad alias autem Missas manuales, de quibus nullum est tempus determinatum, quænam sit modica vel gravis dilatio non una sententia est: « Rappelons l'obligation grave qu'a tout prêtre (ait Alphonsus noster in sua Notificatione ad Clerum anno 1764) de ne pas différer la célébration de la Messe promise au delà de deux mois, quand ce sont des Messes pour les vivants, et d'un mois quand ce sont des Messes pour les morts: de manière que pour être exempt de faute grave on doit les célébrer au moins dans le délai que nous venons de mentionner. »

Ex his etiam deducitur, non esse tutos in conscientia qui beneficium, capellaniam vel legatum possident, si absque legitima probata causa onera Missarum annuatim implenda, differant de mense in mensem post annum; ideo magis quia illæ Missæ ordinariæ sunt applicandæ benefactoribus jam defunctis, quibus suffragandi necessitas urget.

Recte autem advertunt, quod si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quod Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni Sacerdoti. Verum neque intelligendum quod omnes illius communitatis Sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutive dicendas (supponi enim debet communitas alias etiam habere obligationes); sed quod Missæ distribuendæ sunt majori Sacerdotum parti (aut saltem alicui eorum con-

¹ V. Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, l. III, c. vii, n. 7.

venienti numero, si communitas est valde numerosa), et juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere intra tempus quod unicuique illius permittitur ad suam ratam satisfaciendam¹.

645. Lethaliter peccat qui non celebrat in Ecclesia, in altari, die aut hora destinata, si in hoc sæpius, sine causa, aut sine dispensatione delinquit²; et fundator altare illud, horam vel diem destinaverit ob motivum satis grave.

Dictum est *lethaliter peccat*, cum in re gravi infideliter agat. Volunt tamen non ideo ipsum teneri ad novam missam celebrandam; quia fundator principaliter censetur intendere missam, quæ celebrata fuit. Excipe nisi missa dicenda sit in altari privilegiato, et celebraverit in non privilegiato; nam tunc infideliter egisset cum detrimento alterius.

Sæpius, quia non est nisi veniale, si fiat raro, puta semel vel bis in mense; et facilius si mutavit tantum altare vel horam, non Ecclesiam.

Sine causa; nam non peccabit, si celebrat alibi ex justa causa, ut si altare sit execratum, si Ecclesia restauretur, si egressus e sacristia celebraturus altare jam viderit occupatum.

Sine dispensatione, quam quidem elargiri potest Papa, cum sit omnium sacrorum universalis moderator. Utrum vero etiam Episcopus possit dispensare quoad diem, tempus et locum, dicunt Concina, Croix, Roncaglia, etc., quod si fundator hæc determinaverit ob causam gravem, quæ adhuc subsistit, v. g., ob populi commoditatem (nisi ei in foundatione sit data facultas), non potest Episcopus dispensare.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 517. Quoad officia vero ac Missas, quæ celebrantur ex oblationibus quæ in capsula mortuorum reperiuntur ex approbato usu aliquarum regionum, non est necesse ut omnes mensiles elemosynæ singulo quoque mense consummantur; sed satis erit, si identidem, cum suppetit tempus, juxta morem regionis hæc Missæ et officia celebrentur. Hoc enim utique sciunt fideles, et sciunt etiam Parochum pluribus aliis ligari obligationibus, atque ideo merito consentientes habentur, cum neque ignorent semper hisce manualibus legatis satisfieri; et aliunde id maxima ex parte constituit plurium Parochorum dotem congruam.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 529; et *Homo Apost.*, tract. XV, n. 75. — Ferraris, v^o *Missæ*, a. 2 et 3. Item si Missa votiva petitur, votiva dicenda est ad satisfaciendum obligationi; item Missa de requie, si talis Missa postuletur, nisi tali die sit prohibita. Ita nuper S. C. R. 12 sept. 1840.

Aliiter potest; nam ejus est bono suæ Diœcesis consulere; aliunde voluntas testatoris tantum in accidentibus omittitur. Sed contraria decreta refert Lucius Ferraris, quorum vi semper est recurrendum ad S. Sedem¹; et talis est praxis apud nos.

Tandem *et fundator altare illud, horam vel diem destinaverit ob motivum satis grave*, ob populi commoditatem, vel familiæ suæ bonum, aut ob speciale cultum Sancti, aut in memoriam alicujus gratiæ, etc. Si enim certo constet, vel nullam adesse specialem causam, vel illam jam omnino cessasse, tunc Sacerdos mutando altare, horam vel diem non peccabit, nisi venialiter. Imo ne venialiter quidem, si celebret in altari privilegiato, quia tunc melius bono fundatoris consulit; vel anticipet diem, quia anticipat suffragia. Verum non liceret anticipare, si Missa sit celebranda pro defunctis talis loci aut familiæ; nam qui moriuntur post illam anticipationem, fraudarentur suffragio. *Lugo*.

Ceterum dispensata localitate, adhuc subsistit manutentio Ecclesiæ reddenda; cum sit quædam dos illius.

646. Q. 5. Quot Missas tenetur celebrare beneficiatus?

R. Beneficiatus tenetur sub mortali ex justitia vel per se vel per alium ad illum numerum Missarum, quæ in foundatione sunt impositæ; intercedit enim ea de re contractus inter patronum et beneficiatum (in die tamen Nativitatis Domini qui ad quotidianam Missæ applicationem tenetur, sufficit si unam tantum applicet). — Qui tamen tenetur celebrare quotidie per seipsum, communissime docent ipsum quater vel sexies posse in anno pro se celebrare, vel pro amico aut conjunctis, modo stipendium non accipiat; quia in hoc rationabiliter præsumitur consensus fundatoris. Imò dicunt ipsum posse reverentiæ causa abstinere a celebrando semel

¹ *Biblioth. Canon.*, etc., v^o Capellani. — Illic notandum, quod obtenta ab Episcopo facultate quovis loco celebrandi, semper intelligitur in ejus Diœcesi, atque ita se habent Rescripta, quæ per Episcopos obtinentur. Diximus *ab Episcopo*; si enim Papa hanc facultatem faceret per suas Congregationes, licet celebrare ubique, etiam extra Diœcesim, si nulla sit facta restrictio; cum Papæ facultas sit in totum orbem, neque ea sit restringenda, si de restrictione non constat.

in hebdomada: ita ex jure Canonico, ubi dicitur Capellanum teneri quotidie celebrare, *salva honestate sua et debita devotione*¹: hoc tamen non valet, vel si de contraria fundatoris voluntate constet; vel si intersit Ecclesiæ, ut quotidie celebretur; vel si in fundatione cautum sit, ut Missa quotidie celebretur aut per se aut per alium: tunc nulla dies potest esse sine Missa.

647. *Quid si beneficiatus infirmetur?* Si infirmitas est brevis, beneficiatus non tenetur celebrare per alium, nisi velit expresse fundator, ut nunquam desit Missa. Sed quænam brevis infirmitas? Layman et Salmanticensis eam extendunt ad mensem cum Concilio Mediolanensi VII; ibi tamen dicitur *judicio Episcopi*. Concina, Lugo, Navarrus et Filliucius ad duos menses; alii cum Anacleto, Bonacina, Elbel, Diana, etc., ad 15 dies. Omnes opiniones videntur æque probabiles; sed ultima est communior, et pro ea Pitonius affert declarationem S. C. Congregationis 27 nov. 1695 (et in hanc consentit Synodus Novariensis, pag. 110²). Quod si infirmitas diutius perseveret, tunc beneficiatus tenetur omnino per alium celebrare, vel dispensationem expostulare³.

648. *Si deficient reditus potestne beneficiatus Missas minuire?* Si deficient ex toto et sine sua culpa, beneficiatus non tenetur Missas beneficii celebrare, ut definivit S. C. C. — Si vero deficient tantum ex parte, distinguendum est: vel fundator ipse congruam eleemosynam designavit pro qualibet Missa, dicendo, v. g.: *Lego duas libellas pro qualibet missa,*

¹ Ex c. *Significatum de præb.*

² Alasia docet (in quo consentit etiam Synodus Novariensis), quod Capellanus ordinatus titulo Capellanice si sit pauper ita ut aliter vivere non possit, non tenetur per alium celebrare, etiamsi infirmitas excederet 15 dies, idque probat Decreto S. C. C. 18 sept. 1685. Verum in hoc decreto quod refert Benedictus XIV (*De sacr.*, l. III, c. xxxii, n. 6) de hac re nullum verbum. Hæc infirmitas ex eodem clarissimo Alasia non deberet esse ob ebrietatem vel crapulam contracta, seu graviter culpabilis. Quod tamen alii negant; quia leges non querunt quomodo sit contracta infirmitas, sed an sit contracta.

³ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XV, n. 75; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 555. — It. appendix secunda in fine primi vol., vº *Capellanus*. — Ferraris, *Biblioth.*, vº *Capellanus*.

aut tot missæ in anno dicantur juxta reditum annuum ad taxam synodalem, etc. Vel eleemosynam designavit in genere tantum, v. g.: *Centum missæ dicantur singulo quoque anno.*

Si 1, adhuc certum videtur, posse ex se beneficiatum illum Missas imminuere; sicuti ex se tenetur augere Missas, si auquantur annui reditus. Si 2, tunc recurrendum est ad sanctam Sedem apostolicam pro Missarum reductione, etenim talis est praxis, et tale est præceptum¹.

Porro Missarum reductio proprie accepta est *immunitio quædam numeri Missarum celebrandarum per legitimam auctoritatem*. Dicitur 1. *celebrandarum*; nam reductio respicit tempus futurum: unde si agatur de anteactis Missis minuendis, dicitur *remissio*, vel etiam *condonatio*; 2. *per legitimam auctoritatem*, quæ quidem non est Episcopus, sed suprema Sedes, ut sacra ipsa Concilii Congregatio declaravit, approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII². Sedes autem apostolica solet rem cognoscere atque definire per organum Congregationis sic dictæ *Fabricæ sancti Petri*: ejus definitio *compositio* nomine nuncupatur. Item postulantiibus Episcopis, hanc facultatem elargiri solet, etiam quoad dispensandos Regulares (quatenus se subjiciant Episcopo Diocesis): ita docet Pasqualigus, prout refert Benedictus XIV (*LL*)³.

Art. III. — De cæremoniis, idiomate, voce, et requisitis ad missam; de defectibus et interruptione.

649. Q. 1. *Quid de cæremoniis in Missæ celebratione?*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 551. — Synodus Novariensis, p. 115.

² Bulla Innocentii Nuper vid., t. I in fine. — Possunt quidem Episcopi sententiam dicere de validitate vel subsistentia legati; cum hoc adhuc sit de eorum jurisdictione: non tamen valide ipsius legati Missas moderari. Facultas enim Episcopis in Tridentino (sess. xxv. c. iv, de H.) facta hac de re intelligitur tantum de prima Synodo post idem Concilium celebrata, ac de oneribus Missarum celebrandarum ante idem Concilium impositis, ut declaravit S. C. C.

³ *De Syn. Dioc.*, l. XIII, c. ult. Hæc delegata facultas extenditur etiam ad Anniversaria atque ad Missas solemnes. Sed nisi sit specialis mentio, non ea complectitur legata, quibus præcipitur eleemosyna aut dos aliqua pauperibus distribuenda. Item est si Missa debeatur ex quasi contractu: non reducit, nisi consentiat cujus interest.

⁴ V. Gaume, *Catéchisme de persévérance*, part. IV, leç. xi. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 400.

R. Nihil est in Missæ cæremoniis, quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium. De fide est a Tridentino definitum: *Si quis dixerit cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur irritabilia impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit*⁴. Præcipuos ritus ab Apostolica traditione ac disciplina manare evincunt antiquæ Liturgiæ omnes, quæ supersunt: et Patres antiquissimi confirmant, ut Justinus, Tertullianus, Cyprianus, etc., qui modo unum, modo alterum ritum memorant⁵. Idque sane exigit tum tanti Sacrificii sublimitas; tum hominis infirmitas, qui non nisi adminiculis exterioribus ad rerum divinarum contemplationem facile attollitur. Hinc patet impune omitti non posse⁶.

An tamen omnes omnino Rubricæ sint in præcepto, inter diversas sententias dicimus cum Merati, Quarti, Continuatore Tournely Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas et obligare juxta materiam gravitatem. Probat ex Bulla S. Pii V, quæ apponitur in fronte Missalis, ubi sic: *Mandantes et districte præcipientes omnibus, et singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ut ceteris omnibus orationibus et ritibus ex aliis Missalibus imposterum penitus omissis, Missam juxta ritum, modum et normam, quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent et legant*. Hinc non excusatur a veniali qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones, vel qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel altaris deosulationem omittit, vel perturbat benedictiones eas agens nimis celeriter aut nimis prolixè. — Rubricas autem de agendis extra Missam, ut orationes ante vel post ipsam, dicimus tantum directivas; ideo eas omittere per se peccatum non esse, præcluso scandalo⁷.

650. Præter Rubricas Missalis habentur etiam decreta ac declara-

⁴ Sess. XXIII, can. VII. Est directè contra novatores, et indirectè etiam contra Synodum Pistoriensem, quæ hac in re plures novitàates sicut in ceteris induxit.

⁵ V. Renaudotius, Martenius, Le Brunius, etc.

⁶ Tridentinum, sess. VII, can. XIII.

⁷ Preces in induendis vestibus pro Missa præscriptæ, etsi de se non cadant sub præcepto; vix tamen sine aliquo peccato negligentiae aut tædii spiritualium omitti possunt; ita Continuator Tournely, cui pro praxi consentit Liguori in libro: *Delle cerimonie della Messa*. Idem dicendum de manuum lotionè ante Missam, ob magnam munditiem, quam hoc Sacramentum requirit. Est autem redarguendus abusus qui crescit in dies, confabulandi, ridendi, etc., dum Sacerdos ad Missam se parat, vel vix ab altari recedens. De tali Sacerdote quæri nonnumquam potest cum Tertulliano: *Sacrificat, an insultat?*

tiones S. Rituum Congregationis, quæ facultatem habet a Sixto V dubia omnia circa ritus declarandi; ideoque illius resolutiones habentur uti Pontificia oracula. Notant tamen non omnes ejus declarationes esse decreta rigorosa sumpta ad obligandum totum orbem; sed ea tantum quæ emanant in forma præcepti generalis, vel saltem in fine proferunt hanc vel similem decreti clausulam, v. g., *ab omnibus servetur*, ab omnibus servari mandamus, etc. Quod si secus obligarent tantum illos pro quibus illæ declarationes specialiter datæ sunt. Attamen ut obligent sive totum orbem, sive particularem locum a quo postulantur, non est necesse ut de iis sit facta relatio Pontifici; sufficit si insertæ in authentica collatione.

Quæ omnia eruunt ex sequentibus S. Rituum C. responsis: — *a.* ad quæsitum, an decreta a S. Congregatione emanata, et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editæ, eandem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Sux, responsum fuit (25 maii 1846 Ordinis Prædicator) *affirmative*, quod quidem rescriptum auctoritate sua Pius IX confirmavit 17 juli 1848; — *b.* ad quæsitum, cum in declaratione S. R. C. 25 maii 1846 cit., sancitum fuerit decreta et responsiones ab ipsa emanatas, dummodo scripto formiter editæ fuerint, eandem auctoritatem habere ac si immediate ab ipso Pontifice promanarent, quæritur an per verba *dummodo formiter scripto editæ fuerint*, sufficiant quod sint subscriptæ a S. R. C. præfecto et secretario, ac ejusdem sigillo munitæ; seu potius requiratur ut sint vel Romæ vel ab Episcopis in suis diocesisibus promulgatæ? et quatenus affirmative ad 1^{am} partem, negative ad 2^{am}, an tanquam formiter edita habenda sint decreta et responsiones in Gardelliana authentica Collectione insertæ; responsum fuit (8 apr. 1854, Romana): *Ad 1 affirmative ad primam partem; negative ad secundam; ad 2 affirmative, uti patet ex adjuncta declaratione*; — *c.* ad quæsitum, an decreta S. R. Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariæ invecæ consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam, responsum fuit (11 sept. 1847, Angelopolitan.): *Affirmative, sed recurrendum in particulari*.[®] Ideo quoadusque recurratur, nulla culpa si conformemur usui, uti dicunt: quod idem sentit Amort: qui quidem quærit quid agendum, si in aliqua Diocesi vel Ordine religioso vigeat consuetudo contraria Rubricis, et respondet: *S. R. Congregatio constanter tolerat consuetudinem, saltem immemorabilem contrariam Rubricis. Itaque tuto conscientia licet se conformare consuetudini diocesis præsertim in rebus levioris momenti, quæ non cedunt in deformitatem cultus publici. Item vel ecclesiæ particularis ubi moratur, ut addunt*

alicui paritate rationis (quod tamen alii negant, nisi res sit de Cathedrali, quia secus nimis lata via aperiretur abusibus) ¹.

651. Q. 2. *Quam lingua et voce Missa celebranda est?*

R. Ad 1: Contendunt jansenistæ Missam lingua vulgari esse celebrandam; quod tamen nec licet nec convenit. — *Non licet*, cum id prohibeat Tridentinum ², Clemens XI Constit. *Unigenitus* ³, et Pius VI Constit. *Auctorem fidei* (propositio 55). — *Non convenit*; tum quia detrimentum pateretur unitas illa, quæ exurgit ex nexu communicationis, quo Ecclesiæ pastores in divinis rebus sociari debent; tum quia de facili in contemptum venirent sacra; tum quia infinitæ esse deberent versiones liturgiæ, cum vulgaris lingua admodum varia sit, et hoc nec dignitati, nec gravitati Missæ congrueret. Est ergo commendandus usus perpetuus qui in Ecclesia occidentali viget, ut nonnisi latina lingua Missa celebretur; in Ecclesiis vero orientalibus, ut celebretur lingua græca antiqua, vel antiqua syriaca, cophtica, armena, etc., quæ quidem pluribus ab hinc sæculis vulgares esse desierunt, probante Renaudotio. Satis autem fovetur fidelium pietas etsi latinam linguam ignorent; nam ipsi jam sciunt pergrande opus cui assistunt, et pastores illis explanare debent, ex Tridentino, quæ in Missa peraguntur, et infiniti sunt libri qui de hoc divino Sacrificio pertractant, illudque exponunt.

R. Ad 2: Cum Tridentino: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem atollī, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiori, in Missa pronuntiarentur, instituit.* Dein Concilium anathemate percudit qui hoc damnat ⁴; quæ proscriptio habetur etiam in Bulla *Auctorem fidei* (est contra jansenistas, qui optabant, ut liturgia alta voce proferreretur). Contrarium sane et antiquitate commendatur, ut ostendit Le Brun ⁵; et utilitate, cum silentium et Sacerdoti et adstantibus majorem venerationem conciliet (MM).

¹ Juxta quam doctrinam accipienda sunt quæ tradidimus, t. I, *De sacr. Congregatione*. Alii tamen censent declarationes S. R. C. etiam pro particulari loco, omnes obligare ex generali responsione 25 maii 1846, et 8 apr. 1854. Quod autem in particulari sit recurrendum ex resp. 11 sept. 1847, id exponunt tantum de casu contrariæ invectæ et inmemorabilis consuetudinis. Citatæ responsiones inveniuntur in Gardelliana authentica collectione; prima sub n. 4905; secunda sub n. 5067; tertia sub n. 4940.

² Sess. xxii, can. ix. — ³ In proscriptione propositionis lxxxvi Quesnelli.

⁴ Sess. xxii, cap. v; et can. vi. — Ferraris, v^o *Missa, Rubrica, Calix*, etc.

⁵ Dissert. xv *Liturg.* — Mabillon, *Disquis. de cantu Gallicano*. — Collet, *Trattato della Messa*.

652. Q. 3. *Quænam requiruntur ad Missam rite celebrandam?*

R. Hæc sub gravi generatim requiruntur ad Missam ex Rubrica, ex pluribus Decretis S. R. Congregationis, et ex communi Doctorum:

1. *Altare lapideum* ab Episcopo consecratum; vel saltem *ara lapidea* similiter consecrata et in altari inserta, quæ tam ampla sit, ut hostias et particulas consecratas, et majorem partem calicis capiat. Non potest amplius celebrari, si ara notabiliter frangatur, vel ab ea auferantur reliquiæ vel sigillum. Altare ab *altitudine* quasi *ara alta* nominatur. — In altari autem requiruntur tres mappæ; sufficiunt tamen una separata, et altera duplicata ¹. Superior mappa ex Rubrica deberet e lateribus usque ad terram pertingere; sed hodie amplius non est in usu.

2. *Calix et patena ab Episcopo consecrata*. Calix debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus auratam, et simul cum patena itidem aurata. Ita Rubrica: sed ex paupertate Ecclesiæ permittunt etiam calicem stanneum, modo cuppa sit aurata: imo permittunt etiam calicem ex ære vel auricalco auratum; non tamen ligneum vel vitreum ². — Execrator seu amittit consecrationem calix, si notabiliter frangatur in cuppa, vel si in fundo perforetur: « Un petit trou, une marque ou un autre accident qui peut se réparer par quelques coups de marteau, n'exigent pas une nouvelle consécration: il faut en dire autant de tout autre changement accidentel, soit qu'il soit nécessaire ou non d'exposer au feu le calice pour l'effectuer. » Ita Goussel ³. Calix autem et patena suam amittunt consecrationem per novam deaurationem, et sic indigent nova consecratione, ut respondit S. R. C. Episcopo Leodicensi 14 junii 1845 ⁴. Item

¹ Nos magis adhæremus sententiæ affirmanti mappas esse benedicendas, idque sub veniali; ratio quia in Rubrica ita præscribitur. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 570.

² Olim nimis pauperes Ecclesiæ habebant calicem *de metallo stannato vel vitro grosso*, ut ait Benedictus XIII; et est vitreus, qui asservatur calix S. Julii presbyteri. — V. Avogadro, *Storia dei santi fratelli Giulio e Giuliano*, l. I, c. v. — Voit, *De Sacr. Missæ*.

³ Si calice impie usi sunt hæretici vel alii, non ideo amittit consecrationem; neque vestis sacra, si ad usus profanos adhibeatur, suam benedictionem. Liguori, l. IV, n. 570.

⁴ Casu autem quo per longum usum inauratio deperdat, puto probabilis dicendum cum Sylvio et Ferraris, non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum hujusmodi calice; quia tunc viget ratio, quod calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. Cum vero nova sit inauratio, intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, immediate sanguinem tangens; ideo de novo consecrari debet. An autem calices et alia remaneant benedicta, aut consecrata, si quis in illis

si calix separetur a pede, amittit consecrationem, si cuppa est pedi affixa; secus si pes est tornatilis. Patena sic dicta est, quia olim ostendebatur et singulis adstantibus patebat in signum communionis distribuendæ. — Ciborium seu pyxis non est probabilis consecranda, sed tantum sub veniali est benedicenda, ut ait Benedictus XIV: idem etiam dicendum de lunula seu semicirculo ubi reponitur hostia, cum ipsa exponitur in Ostensorio⁴.

3. *Vestes sacræ* benedictæ ab Episcopo vel ab alio habente facultatem, nempe amictus, alba, cingulus, manipulus, stola, et planeta²; item Dalmatica et Tunicella³. Graviter peccat qui celebrat sine alba aut planeta; imo verius etiam sine stola aut manipulo; aut cum ipsis non benedictis, nisi excuset gravis necessitas: dicunt autem non esse mortale celebrare sine cingulo aut amicto, aut iis non benedictis. Vestes autem execrantur, quando usum suum deperdunt, ut si, v. g., ab alba manica abscondatur omnino, vel cingulum ita rumpatur, ut neutra pars cingere possit, vel stola non possit humeros operire. — Color autem paramentorum etiam pluvialis, probabilis est de præcepto; non tamen gravi, scandalo præcluso: cingulum potest esse coloris paramentorum ex S. R. C. 7 jun. 1709; et congruentius adhibetur lineum quam sericum; S. R. C. 22 jan. 1701. Conficere autem vestes sacræ ex profanis, v. g., planetam ex veste serica mulieris, non est prohibitum, et ita fert usus.

Amictus nomen trahit a verbo *amicere* seu cooperire; olim enim caput operiebat, ut sic ministri ad altare procederent quasi galea muniti contra diabolicos incursus. *Alba* sic vocatur ab illius colore; est vestimentum antiqui sacerdotis, quod *poderis* dicebatur, quia descendebat ad pedes, grece *pūs*. A nonnullis dicitur *camistus*, *cami-*

sacrificet non benedictis nec consecratis, quæstio est. Nos putamus non recedendum a sententia negativa; nam non est certum, quod per contactum specierum Sacrarum res consecrentur: sic pavementum, si ibi decidat Sacramentum, non remanet consecratum. Saltem etsi res sic consecrarentur, non tamen sic deputarentur ad Sacrificium, quod solum fit per benedictionem aut statutam consecrationem

⁴ *Notificatione* XXI. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 579 et 585. — Ferraris, v° *Paramenta*.

² *Pluviale*, superpellicium seu cotta non sunt de necessitate benedicenda etsi sacræ vestes; nec velum ac bursa, etsi laudabiliter omnia simul cum ceteris indumentis sacræ benedicantur superpelliceo excepto. Superpellicium sic dictum quia erat indumentum quod antiquitus super tunicas pellicæas induebatur.

³ Dalmatica et Tunicella adhibentur in Missis solemnibus, exceptis nonnullis diebus in quibus vel sola alba, vel planetæ plicatæ adhibentur, ut videlicet officium magis lugubre magisque pœnitentiæ consonum reddatur.

sile, etc. *Manipulus* sic dictus a manu qua portabatur; erat enim antiquitus sudarium, seu mantile quod sacri ministri supra manum deferebant. *Stola* idem significat ac vestem longam, quæ olim totum corpus ambiabat: hæc est inter vestes sacerdotales principalior, quam olim sacerdotes et episcopi continuo ferebant; at jugiter solus R. Pontifex hodie sibi retinuit. *Casula* seu *planeta*; casula dicitur quasi *parva casa*, quia ad instar parvæ domus totum corpus olim tegebat. *Planeta* seu quid *errans*, ut planeta, quia etiam olim hæc vestis erat versatilis circa corpus cui adhærebat, semel immisso capite. *Pluviale* sic dicitur a pluvia, a qua olim defendebat in via, in processionibus, etc., et ideo ex posteriori parte capitium habet pendens; quare ab aliquibus dicitur etiam *cappa* vel a capite quod operiebat vel a verbo *capere*, quia totum hominem tegebat. *Dalmatica* ita appellata a Dalmatia, ubi primo inventa; differebat a Tunicella (parva tunica) quia hæc angustior erat: hodie tamen non distinguitur (V. Maeri, *Ierolexicon*, sive *sacrum Dictionarium*. — Maringola, *Antiquitatum christianarum institutiones*, l. I et V).

4. *Corporale*, et quidem sub gravi ab episcopo benedictum: debet autem esse ex lino vel cannabe: sic dicitur quia recipit Corpus Christi. Item *palla benedicta*, de qua S. R. C. 10 jan. 1852 habet: *Non obstantibus decretis a S. R. C. editis, potest in sacrificio missæ uti palla a parte superiore drappo serico cooperta, dummodo palla linea subnecta calicem cooperiat, et pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa*. Ait non improbabiler Sotus cum aliis, non esse mortale celebrare sine palla, quia non tangit immediate sacræ species: lucidior pars debet esse quæ calicem tangit. — *Palla* a palliando seu cooperiendo dicta est, quia calicem cooperit: etiam *animetta* appellabatur, quia quasi anima in corporali plicato olim includebatur. — Item *purificatorium*; quod tamen probabilis non oportet, ut sit benedictum; quia in romano Rituali nulla est designata benedictio propria (sicut nec *veli* nec *bursæ*); imo ita respondit S. R. C. 7 sept. 1716⁴.

5. *Missale* continens saltem integrum canonem; dicunt tamen communissime non esse mortale celebrare sine Missali, si non habetur, et celebrans memoriter bene sciât dicenda. Est autem mortale uti Missali

⁴ Celebrare sine *birreto*, *bursa*, *velo*, *legile*, *manutergio*, *tabulis secretarum*, *tintinnabulo* nullum est peccatum (præcluso scandalo). Est autem veniale celebrare sine *pallio*, nisi altaria sint ex marmore, vel alio modo indecentia omnis sublata sit (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 395). Tintinnabulum non pulsatur in Missis privatis cum fit expositio SS. Sacramenti, vel instituitur per Ecclesiam SS. Sacramenti processio.

Regularium, scilicet celebrare juxta eorum ritum, etiam in eorum Ecclesiis, si proprius ritus servari potest.

6. *Minister* sub gravi, nisi urgeret, v. g., necessitas dandi Viaticum; vel (uti alii dicunt) ad hoc, ut populus audiat missam de præcepto: imo aliqui id permittunt, ut ipse solus celebrans satisfaciatur præcepto. Ceterum probabiliter docent, quod incepta missa (maxime facta ablutione) permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur. — *Minister* debet esse masculus; feminae in jure sub gravi prohibentur¹. Dicunt tamen bene permitti in necessitate ministri, quod femina quandoque respondeant, maxime si sint moniales, sed a longe, et modo non immediate in altari ministrent. Ita S. R. Congregatio 27 augusti anno 1856.

7. *Crux cum Crucifixo* (saltem sub veniali), etiam in altari expositum sit SS. Sacramentum. Si tamen adest statua, aut imago Crucifixi in majori tabula altaris depicta etsi velata, non oportet ut alia Crux ponatur. Docet etiam Pignatelli non esse opus, ut Crux aut alia sacrae imagines sint benedictae. V. Constit. Benedicti XIV *Accepimus* 16 jul. 1746.

8. *Duplex candelam accensa ex cera*: sub gravi prohibetur adhibere candelam ex sebo vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate, ut dicunt communiter: unde sic non liceret, si celebrandum sit ex sola devotione. Dicunt autem probabilius et communius celebrare cum uno lumine cereo esse tantum veniale. Non est autem obligatio accendendi tertiam candelam post *Sanctus*, ut ait Rubrica; hodie obsolevit usus (NN).

Decreto generali 31 mart. 1817, probante Pio VII in sacris functionibus non licet Dignitatibus et Canonicis aliisque omnibus, quibus ex jure non competit, Palmatoriam adhibere, nisi apostolico privilegio donentur. Imo etsi sint pontificalium privilegio honestati ex S. R. C. 29 jan. 1752. Hoc jus competit solum cardinalibus et episcopis.

653. *An liceat sacras Reliquias ac flores super altare collocare?* R. Affirmative: et propositio 52 Synodi Pistoriensis vetans, ne super altaria sacrarum Reliquiarum thecae floresque apponantur, damnata fuit a Pio VI ut temeraria, pio et probato Ecclesiae mori injuriosa. Et vero quid magis consonum, quam ut juxta crucifixum membra dilaniata eorum resideant, qui e crucifixo virtutem patiendi hauserunt? adde eos intuendo et ipsi nos ad fortiter pugnandum accendimus. — Flores autem sunt laetitiae signa, et bonis operibus significandis idonea

¹ C. 1. *Inhibendum*. Celebrans non faciat scrupulum si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet se vel circumstantes. Sed monet Croix, ut suppleat omnia a ministro, si ea non sint minima. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 591.

juxta illud: *Florete flores, quasi liliam;... date odorem et frondete in gratiam;... sulcite me floribus;... flores mei fructus honoris et honestatis*¹.

Hoc omne antiquitate commendatur: quoad Sanctorum Reliquias testes sunt S. Gregorius Turonensis, Leo IV, etc.; quoad flores S. Augustinus, Venantius, Fortunatus alique bene multi (OO).

654. Q. 4. *Quid circa defectus ac casus in Missa occurrentes?*

R. Circa defectus ac casus in Missa praecipuae notamus ex Rubrica Missalis et communi Doctorum: 1. si timeatur incursus hostium vel alluvionis, aut ruina loci, ante consecrationem dimittatur Missa; post, Sacerdos accelerare poterit sumpcionem Sacramenti, aliis omissis.

2. Si Sacerdos non recordetur, se dixisse quae in consecratione dicuntur, non turbetur, sed prosequatur; et si certo sciat se omisisse aliquid necessarii, resumatur ipsam formam, et cetera prosequatur per ordinem. Si autem valde probabiliter dubitet, iteret formam saltem sub tacita conditione: si vero omissa non sunt de necessitate Sacramenti, non resumatur, sed procedat ulterius.

3. Si musca vel quid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciatur vinum in locum decentem, et aliud ponatur cum solita aqua, offeratur, etc. Si post, et fiat nausea sumendo, extrahatur musca et lavet eum vino: et finita Missa, comburatur; et combustio, ac illa lotio in Sacrarium projiciatur.

4. Si aliquid de sanguine ceciderit super terram, lingua lambatur, et locus ipse radatur; abrasio comburatur, et cinis in Sacrarium mittatur. Si super linteam altaris, ter illud abluatur ubi stilla ceciderit, calice supposito: et aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Idem est si stilla in Corporale, vel vestem Sacerdotalem ceciderit. Quod si contigerit totum sanguinem effundi, ut nihil remaneat, Sacerdos ponat iterum vinum cum aqua et consecret ab eo loco: *Simili modo*, etc.

5. Si Sacerdos advertat unam speciem, v. g., vinum deficere, quod amplius haberi non possit, si id sit ante consecrationem, ulterius ne procedat; si post, Missam absolvat praetermittendo verba et signa ad materiam deficientem pertinentia. At si expectando aliquandiu, species deficient haberi potest, expectet, ne Sacrificium maneat imperfectum (per illud *aliquandiu* plerique intelligunt quadrantem, aut mediam horam). Si jam ad sacristiam reversus cognoscat aquam pro vino consecrasset, non amplius debet defectum supplere; quia Missa jam omnino absoluta est. Imo dicunt; si Sacerdos defectum cognovit post ultimam benedictionem, nihil supplendum: secus magis videretur iteratio

¹ Eccl. xxiv et xxxix; et Cant. ii. — V. Perrone, *De sacrificio*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 424.

Missæ, quam reparatio defectus. Ita *antiquum Missale romanum*, Venetiis impressum 1557.

6. Si hostia casu e manibus in calicem cadit, et commode aliqua pars abstrahi potest non madefacta, cum ipsa prosequatur sacerdos; secus omissis signis et crucibus quæ cum hostia vel supra hostiam fieri solent, debet sacerdos una cum corpore sumere sanguinem, signans se cum calice et dicens: *Corpus et sanguis D. N. J.*, etc., et postea prosequatur.

7. S. Thomas¹ docet, quod si Sacerdos post sumptionem corporis advertat in calice aquam esse pro vino, nova hostia novumque vinum est consecrandum: quia revera sine simultanea utriusque speciei præsentia non perficitur Sacrificium: ita *Rubrica*. Verum plures hoc intelligunt de casu, quo non timeatur scandalum: quæ advertentia tempore Clementis VIII ipsi *Rubricæ* addita fuit: unde tunc ait satis esse vinum de novo apponere, et facta oblatione, consecrare; quia jus naturale vitandi scandalum prævalet juri divino positivo integrandi sacrificium. In hoc tamen secundo casu, advertit Alasia, Sacerdos debet restituere eleemosynam, vel aliam Missam altero die celebrare: quia Sacrificium non peregit.

655. Q. 5. *An aliquando liceat Missam interrompere?*

R. Affirmative; licet ob rationabilem causam per aliquod temporis Missam interrompere aliquid interponendo. Commune est id licere: — 1. ob concionem post Evangelium, vel ob processionem; — 2. in gratiam Principis supervenientis, aut turbæ peregrinorum in die festo, qui alias Missam non audirent. Idem dicitur de adventu Episcopi, aut Cardinalis, aut processionis populi; — 3. si gravis esset necessitas, ut moribundus absolvendus, tunc Eucharistia in tabernaculo claudatur, et cum redit Sacerdos, incipiat ubi desierat. Si vero ante consecrationem interrupisset, et mora plus quam unius horæ fuisset, ab initio ordiri deberet; quia post tantam interruptionem idem non censeretur Sacrificium. Excipe tamen si interruptio provenerit ex concione vel alia cæremonia junctâ cum ipsa Missa; nam tunc etiam per longam interpositionem unitas moralis semper haberetur².

¹ 5 p., q. 83, a. 6 ad 4.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 353

CAPUT SECUNDUM

DE SUBJECTO SACRIFICII EUCHARISTICI,
DE APPLICATIONE, VALORE ET EFFECTIBUS

656. Q. 1. *Quodnam est subjectum Sacrificii Eucharistici?*

R. Nomine *subjecti* Sacrificii Eucharistici intelliguntur, quibus hoc Sacrificium applicari potest. Jam vero certum est regulariter illud offerri posse pro omnibus omnino fidelibus baptizatis viventibus, licet peccatoribus; cum sint Ecclesiæ membra. Nec tantum pro omnibus in genere; sed pro aliquibus in particulari specialis Missæ fructus applicari potest. Est contra Synodum Pistoriensem, quæ admittit quidem fieri posse aliquorum commemorationem; at *falsam traducit opinionem in populum invectam*, quod alii qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant. Hæc vero propositio sub n. 50 a Pio VI damnata fuit ut *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo*. Error autem Wicleffi in Concilio Constantiensi damnatus erat: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos non plus prosunt eisdem, quam generales*. Wicleffus loquitur de oratione: sed idem dici debet de Missa, cujus applicatio, ut ostendit Drouvenius, ad genus orationis pertinet. Id constat ex Scriptura: sic in veteri Lege pro particularibus sacrificia levitica applicabantur. Constat ex perpetua traditione Ecclesiæ: sic Augustinus sacrificium obtulit pro matre sua¹, et ita alii passim.

Certum est autem posse offerri hoc Sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus, ut Deus eos in timore suo ad adultam ætatem perducatur. Etiam energumenis, ut eos Deus a malo liberet. Etiam hæreticis, schismaticis, excommunicatis, ut eos Deus ad fidei unitatem et resipiscientiam reducat (excipe nisi prohiberet Ecclesia directe offerre pro istis, tanquam vitandis²). Imo et pro catechu-

¹ L. VIII *Confess.* — V. Thomassinus, *De beneficiis*, p. 1^a, l. II.

² Quoad vitandos V. *De censuris* ubi de suffragiorum privatione.

menis, ut in fide confirmetur. Et probabilius pro infidelibus, ut ad fidem veniant. Missa applicari potest; sic Judæi sacrificabant pro Spartanis, ad quos scribebant: *Memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus*¹. Quod etiam Christiani in more habebant a primis temporibus; hinc Tertullianus: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, qui erat infidelis*². Et est conformare se Christo, qui pro omnibus se obtulit.

657. Diximus pro vivis; utrum enim etiam pro defunctis Missa offerri possit, dicimus: 1. quoad Sanctos, hoc tantum sensu iis Sacrificium Missæ offerimus, tum ut demus gratias Deo pro beneficiis, in ipsos collatis; tum ut obtineamus penes Deum eorum intercessionem. *Si quis dixerit, ait Tridentinum, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit*³.

2. Quod spectat ad damnatos, dicimus quod inutiliter omnino pro ipsis Missa celebratur; quia in inferno nulla est redemptio.

3. Quod pertinet ad animas purgantes, certum de fide est ex Tridentino definitum, licite et utiliter pro illis Missæ Sacrificium offerri⁴. An vero iis magis prosit Missa de requiem, audiatur Angelicus: *Ex parte... sacrificii oblatis Missa æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur: et hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui jubet dici; vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur*⁵. Ex eadem ratione plus prodest Missa, præsentem

¹ Macch. xii. — V. *Analecta juris pontificii*; anno 1862: du Saint Sacrifice; ubi plura ad rem.

² Ad Scapulam. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 508.

³ Sess. xxii, can. v, *De Sacr.*

⁴ Sess. xxii, can. iii: et hujus usus mentionem facit Tertullianus sæculo II (*de monog.*, c. x); et Cyprianus sæculo III (*Ep. LXVI*).

⁵ Supp. 3 p., q. 71, a. 9, ad 5. Defunctis autem remittitur per hoc Sacrificium ex opere operato pœna temporalis tantum; et quidem per modum suffragii iis prodest prout nempe Deo illud acceptare pro eis placuerit. — V. Ferraris, v° *Suffragia*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 510.

cadavere, ob speciales nempe preces tunc institutas. Idem est de Missa in cantu, tum ob majorem numerum ministrorum ac fidelium: tum ob majorem inde proveniente cultum in Deum et in fidelibus devotionem¹.

658. Q. 2. An, et qualis applicatio requiritur, ut Missa specialiter pro aliquo particulari offeratur².

R. Determinatio personæ, in cujus utilitatem Sacerdos vult, ut Sacrificium specialiter cedat, necessaria est; Sacerdos enim et quidem solus gerit Christi personam: ergo sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem applicat. Si nulla fiat applicatio vel fiat incapaci, tunc fructus remanet in thesauro Ecclesiæ, cum nihil pereat de donis Dei. In praxi autem quando dubitatur, an is pro quo offerimus sit velne capax fructus, consultum est in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis vel alteri sub conditione mentali *si persona cui applicatur non sit capax*. In Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentibus ex eorum implicita voluntate, ideo tunc non possumus cui velimus, fructum applicare nisi sub conditione, ne præjudicium fiat, cui vel quibus obligatio est applicandi. Elbel, Sporer, Marchantius, etc.

659. Hæc autem specialis applicatio præstat, ut fiat ante celebrationem, ut ab omnibus difficultatibus se expediat Sacerdos. Ubi notamus Sacrificium, quod vel ante vel in ipsa consecratione, saltem secundæ speciei non fuit applicatum, non amplius potest valide applicari (saltem adæquate et complete); quia Sacrificium producit effectum quando existit; a consecratione vero incipit: ideo neque potest pro tali Missa eleemosyna acceptari³.

¹ V. Canestri, *La Rubrica de Parochi*, par. IV. Si defunctus ad ipsum tumultandum deferatur de una in aliam Parochiam (licet in eadem civitate), tam in prima quam in secunda potest celebrari Missa de requiem, etsi sit duplex.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 536.

³ Quod valet, etsi pro defunctis celebretur; unde eorum specialis commemoratio quæ fit in secundo memento, iis prodest tantum ex opere operantis; non ex opere operato, quum fructus ex opere operato proveniat ex

Hæc etiam notanda quoad applicationem :

1. Missæ applicatio non necessario debet esse actualis vel virtualis; sed sufficit habitualis, seu quæ semel habita non fuerit retractata. Hinc qui in principio mensis, hebdomadæ, etc., determinat Missas celebrandas, vel legatum suscipit adimplendum, satisfacit, etsi ad intentionem non amplius attendat. *Applicatio enim*, ait Benedictus XIV, *est quasi quædam donatio seu translatio fructus, qui ex Missa capiendus est; quæ donatio seu fructus translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo retractata non fuerit*¹. Ceterum ad arcendos scrupulos (uti cum Bona subjungit idem Pontifex) primo fructus applicetur pro quo est celebrandum; dein sine illius præjudicio (quod mentaliter dici potest) pro sibi conjunctis, vel quovis nomine sibi commendatis. Expediit autem, ut applicatio fiat in ipsa præparatione ad Missam; in *Memento* autem brevi illam ratam (uti ita dicam) habeamus.

2. Applicatio fructus specialis in Missa debet quidem ad aliquam personam determinari, cum fructus Missæ nequeat remanere suspensus, sed statim suum operetur effectum; attamen sufficit, si mediate tantum et implicite illa persona nota sit Sacerdoti, ut esset, v. g., si Sacerdos suam intentionem conformet intentioni alterius Sacerdoti vel sacristæ, ex cujus mandato celebrat. Sic etiam valet applicatio, si dicat: *Offero Sacrificium hoc pro eo, qui dedit stipendium; pro quo superior vult Sacrum fieri; pro quo exigit fundatio; pro maximo peccatore; pro anima maxima tentatione afflicta; pro anima purgante majori auxilio indigente, aut magis Deo gratia; pro omnibus animabus purgatorii; pro eo, cui applicare teneor (si tamen de facto applicare teneatur); juxta intentionem Titii, etc.*

660. An (addes) Beneficiatus possit Missam pro alio applicare et stipendium accipere; et simul pro beneficio satisfacere illa Missa?

Si beneficiatus solam tenetur pro beneficio præstare per-

Sacrificio; at Sacrificium, consecratione peracta, jam incipit esse. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 555.

¹ *De Sacr.*, l. III, c. xvi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 334 et seqq.

sonæ præsentiam, utique potest et pro beneficio satisfacere et simul pro alio Missam illam applicare cum stipendio, uti patet: secus eam tenetur applicare pro anima fundatoris. Alioquin duplex acciperet stipendium pro una eademque Missa: ita Benedictus XIV¹. Hic etiam quoad beneficiatum notandum est ex S. C. C. ipsum non teneri per se ipsum, sive personaliter, applicare et celebrare pro beneficio, nisi hoc clare exprimatur in fundatione² (PP).

661. Q. 3. Quid est Missæ valor et fructus?

R. Missæ valor est illa efficacia, quam habet Sacrificium ad conferenda bona et offerenti et iis pro quibus offertur, tum ex dignitate principalis offerentis, qui Christus est; tum ex dignitate rei oblatæ, quæ iterum Christus est. Unde patet Missam in se spectatam esse infiniti valoris, ac fructus infinitos posse producere. Item esse infiniti pretii, ac per illam Deum infinite honorari. — Fructus vero sunt bona ipsa, quæ intuitu sacrificii de facto Deus confert: unde valor a fructu differt, veluti causa ab effectu: et patet, quod Missæ fructus uti communicatus non potest esse infinitus; ideo, quia illius creatura capax non est.

Hic fructus tripliciter distinguitur: 1. ex parte causæ in illum, qui est *ex opere operato* et *ex opere operantis*: ille confertur intuitu meritorum Christi; hic intuitu meritorum ac devotionis celebrantis; 2. ex parte rei in *meritorium, satisfactorium, ac impetratorium*; 3. ex parte suæ extensionis in *generalem, in specialissimum et specialem*.

Generalis est qui in totius Ecclesiæ utilitatem cedit: hic alicui nominatim non potest applicari; cum sit fructus communis omnibus Ecclesiæ membris, ideoque fidelibus vivis atque defunctis. *Specialissimus* proprius est solius offerentis: neque offerens aliis videtur ipsum applicare posse; quia cum sit actio ipsius, impedire non potest, quominus sibi illa prosit. Tandem *specialis* (qui *medius* et *ministerialis* etiam dicitur) est qui aliis particulariter applicatur, tam vivis quam defunctis. Aiunt autem id fieri ad modum solis coram multitudine lucentis, qui illuminat singulos; tamen sine aliorum

¹ *Notificatione* LXI, n. 8. — ² V. Pitonius *De Parochis*, n. 1171.

præjudicio intensitas luminis ope artificiali respectu privatorum augeri potest¹.

662. Q. 4. Quot sunt effectus Sacrificii Eucharistici?

R. Quatuor sunt effectus Sacrificii Eucharistici, prout quatuor sunt ejus dotes ac qualitates, nempe Sacrificium hoc *latreuticum* est, *eucharisticum*, *propitiatorium* et *impetratorium*².

1. Uti *latreuticum* cultum divinæ Majestati debitum reddit; cum enim infinita sit Victima quæ offertur, ideo infinitus cultus tribuitur Deo, cui ipsa Victima offertur.

2. Ut *eucharisticum* dignas gratias de perceptis muneribus, ac præsertim de Redemptionis beneficio Deo agit per ejus Filium, qui Victima simul est atque Sacerdos.

3. Ut *propitiatorium* remittit peccata et pœnas. Primo peccata, prout Tridentinum docet: *Hujus (Sacrificii) oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit*³. Et in liturgia S. Jacobi omnium orientalium antiquissima legitur: *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris et ignorantibus populi*; et Cyrillus hierosolymitanus vocat Eucharistiam *hostiam propitiationis*⁴. Notandum tamen cum D. Thoma et aliis communiter, Sacrificium Missæ non esse nobis propitiatorium immediate ut Pœnitentia et Baptisma; sed mediate tantum, quatenus vim habet impetrandi donum pœnitentiæ, seu gratiæ auxilium, quo et a mortalibus et a venialibus pec-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 512. — Et propositio xxx damnata Bulla *Auctorem fidei*.

² Duo priora ipsi Protestantes libenter concedunt; at duo posteriora negant sub pretextu quod tunc Missa Sacrificium Crucis illuderet. Quod tamen falsum est et fidei contrarium, ut definivit Tridentinum (sess. xxii, can. iv); nam utique Christus sacrificio mortis suæ nos redemit ab omnibus peccatis, ea tamen lege, ut nobis non prodesset hujusmodi universalis redemptio, nisi per applicationem meritorum suorum fide, sacramentis, Missæ sacrificio, etc., unicuique in particulari; unde hæc sunt totidem media, quibus merita in cruce parta nobis applicantur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 511.

³ Sess. xxii, c. ii. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., Missa ut est Sacrificium.

⁴ *Catech. mystagog.*, v.

catis justificari, et in justificatione sua homo crescere possit. — Item pœnas peccatorum hominibus justis remittit, et quidem immediate et per se, ut communiter docent cum Angelico¹; et patet ex Tridentino, ubi habetur: *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari*²; alia autem sane via defuncti juvari non possunt, quam immediata pœnarum remissione.

4. Ut *impetratorium*, nobis impetrat bona non tantum spiritualia; sed etiam temporalia, quatenus nempe ista animæ prosunt. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumentis, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit*³.

SCHOLIUM. — De Missis privatis, *Votivis* et *Altari privilegiato*.

663. Q. 1. Quid de Missis privatis?

R. Missæ privata ab adversariis illæ appellatur, in quibus vel nullus sacramentaliter communicat, vel nullus communicat saltem spiritualiter, vel nullus adest præter ministrum inservientem. In hæc graviter insurgunt, volentes participationem victimæ esse partem essentialem Sacrificii. Sed perperam.

1. Dicimus contra Lutheranos non esse illicitas Missas, in quibus adstantes non communicant sacramentaliter; Sacerdos enim pro omnibus qui ad Corpus Christi pertinent, celebrat; ideo jam omnes de bono Sacrificio participant. Et Chrysostomus, Ambrosius et Augustinus celebrabant, etsi non esset qui communicaret⁴. Hinc Tridenti-

¹ 3 p., q. 79, a. 5.

² Sess. xxv, c. i. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 511.

³ Sess. xxii, can. iii. — V. Boppert, *Scutum fidei ad usus quotidianos Sacerdotum*. Friburgi, 1854.

⁴ Chrysost., *Hom. iii in epist. ad Eph.*; quoad alios vid. Bellarminus, *De sacr. Missæ*, l. VI, c. ix, n. 24. Esto, quod Christus in confectione Eucharistiæ, eam distribuit; et nos distribuimus, si qui velint communicare. Unde Domini exemplum est quidem præceptivum, sed *affirmative* et *con-*

num: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit*¹.

2. Dicimus contra Jansenistas nihil importare, etsi nullus neque spiritaliter communicet; cum hæc spiritalis Victimæ participatio tanto minus pertineat ad Sacrificii essentiam, et omnino inferior sit, ac nulli præcepta, neque ullo modo ad Sacrificii finem conducant; finis enim præcipuus Sacrificii est Deo supremam exhibere adorationem, eumque nobis propitiari, bona obtinere, ac pro jam collatis gratias agere². Hinc propositio 28 Synodi Pistoriensis, quatenus contrarium insinuabat, damnata fuit Bulla *Auctorem fidei* a Pio VI ut *falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens*³.

3. Dicimus contra Melancthonem et jansenistas nihil esse redarguendum, si Missæ nullus adsit præter ministrantem; minister enim respondet nomine totius Ecclesiæ, et Sacerdos publicam personam gerit celebrando, qui proinde tribuit Trinitati laudem et gloriam, Angelis lætitiæ, peccatoribus veniam, justis subsidium et gratiam, in purgatorio existentibus refrigerium, Ecclesiæ Christi speciale beneficium, et sibi ipsi medicinam et remedium contra quotidiana peccata et infirmitates. Quo sensu Missæ Sacrificium privatum dici nequit, etsi nullus eo tempore sit in Ecclesia præter ipsum celebrantem, atque ministrum; neque enim ideo aliquid deest ejus essentiæ aut integritati.

664. Q. 2. *An Missas votivas celebrare diebus vetitis sit mortale*⁴?

R. Negant communiter, secluso scandalo atque contemptu; quia in

dilutione, si nimirum sunt qui legitime petant; non autem *negative* ita ut vetitum sit celebrare, nisi sint qui communicent; neque enim ideo aliquid deest vero sacrificio. *Perrone*.

¹ Sess. xxii, cap. vi, can. viii. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Missa, art. 15 et 14.

² V. Bona, *Rer. liturg.*, l. I, c. xv. — Liguori, *Opera dogmatica*, sess. xxiii, n. 26.

³ Ex hisce omnibus pronum est inferre: 1. communionem liturgicam aut aliturgicam (seu intra aut extra Missam) rem esse plane disciplinarem, cujus moderatio ad Ecclesiam spectat; adeoque — 2. jure merito Benedictum XIV, in *Encyclica Certiores effecti*, data anno 1742, ad sopiendas controversias Cræmæ exortas constituisse, laudabilem quidem esse atque exemplo Christi consentaneam Communionem, quæ ab adstantibus Missæ fiat, attamen non propterea turbas esse excitandas, si ob peculiaris motiva aliter fuerit ab Episcopo ordinatum. Ita *Perrone*.

⁴ Quoad modum celebrationis V. Rubrica Missalis; et Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 425. — Cardinale Morozzo, *Sacre cerimonie*, Trattato. — Canestri, *La Rubrica dei parrochi*, p. IV.

hoc non videtur adesse notabilis perversio ritus; si tamen excipiantur festa solemnia (saltem si tunc diceretur Missa publica difficulter posset excusari a gravi). — Ceterum nullum est peccatum Missas votivas dicere etiam in diebus vetitis, si urgeat publica vel gravis causa, v. g., necessitas pluvix, ingruentis belli, vel pestis, vel similis mali universalis; item solemnibus gratiarum actio ob publicam causam: quæ causa non facile debet fingi, sed extraordinaria esse debet et publico universim nota ac palmaris, tum ut admiratio tollatur, tum ne rituum immutatio ex facile contingat. Sic, v. g., professio Religiosorum vel monialium non habetur uti causa gravis nec publica ex S. Rituum Congregatione 24 julii 1685, ut votiva solemnibus celebrari possit diebus vetitis (quod dicendum de prima Missa, quæ a noviter ordinato decantatur).

Imo ipsa votiva solemnibus, etsi pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, nequit celebrari in duplicibus primæ classis, Dominicis primæ classis (etsi de semiduplici), feriis cinerum et majoris hebdomadæ, vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini; unde tunc missæ sunt dicendæ de die; S. R. C. 27 mar. 1779.

665. Q. 3. *Quid de Altari privilegiato?*

R. Altaris privilegium in eo consistit, quod ex Indulgentiis, seu fructibus in thesauro Ecclesiæ existentibus liberetur e Purgatorio anima illa, pro qua Missa in tali altari applicatur; idque vi potestatis clauvium, quæ Papa fulcitur applicandi Indulgentias, vivis quidem *per modum absolutionis*; defunctis vero *per modum suffragii*, seu deprecationis. Ratio est, quia animæ purgantes non amplius subduntur Ecclesiæ potestati; et ideo absolvi non possunt judiciaria ejusdem potestate a pœnis peccatorum, sicuti vivi: sed solum per deprecationem offerendo Deo ex Ecclesiæ thesauro pretium sufficiens, imo superabundans. Quia autem Deus pretium illud acceptare non tenetur et non acceptat aliquando ob inscrutabilia sapientiæ suæ judicia; ideo suffragia non semper effectum suum sortiuntur: unde merito anniversaria perpetua admittuntur, ac sustinentur ab Ecclesia¹. Biel ostendit, Paschalem I electum anno 817 privilegium hoc concessisse ecclesiæ sanctæ Præcedis. Vid. Bulla *Auctorem Fidei*, propositione 45.

666. Clemens XIII pro singulis Parœciis Orbis catholici concessit Altare privilegiatum quotidianum, ubi asservatur SS. Sacramentum, ad septennium: quo expirato, recurrendum erit pro confirmatione. Iam

¹ Qui stipendio accepto, deberet Missam celebrare in Altari privilegiato, si in alio celebret, non teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas Indulgentias applicabiles pro defunctis. Ceterum vid. tom. I. Item Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 329 et 359. — Ferraris, v^o *Altare privilegiatum*.

indulsit, ut quælibet Missa in die Commemorationis omnium defunctorum gaudeat tali privilegio, ubicumque celebretur¹ (QQ).

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM NONUM

(A) Page 453.

667. Sacramenta juxta Lutherum sunt signa sive sigilla divinarum promissionum ad excitandam fidem; juxta Zwinglium sunt signa divinæ gratiæ, quæ Ecclesiam certiore faciunt de suscipiendum fide; juxta Calvinum sunt signa vel pignora, quæ electum certiore faciunt de adepta fide divinisque promissis. Anabaptistis Sacramenta sunt signa allegorica spiritualis vitæ; arminianis, socinianis, mennonitis nudi ritus exteriores sunt, quibus Christiani ab infidelibus secernuntur: quakeris actus spirituales et interni effectus cælestis luminis; schwedenborgianis symbola sunt, quibus Deus et homo invicem conjunguntur; rationalistis denique sunt ritus longe præstantiores ritibus paganorum significatione tum symbolica tum morali. » Perrone. — V. Knoll, *Instit. Theologiæ theoreticæ*, etc., vol. V.

Etiam Sancti Patres et catholici scriptores sacramenta nostra vocant nunquam symbola, id est signacula, signa rei sacræ; sed signa practica, in quantum sanctificant homines, et fontes sunt gratiarum ac media salutis, et veluti quædam vehicula seu instrumenta quibus Deus imbecillitati nostræ consulens gratiam suam confert. Hic quæstio non est de nomine, sed de ipsa re. Etiam apud catholicos auctores varia leguntur Sacramenti definitiones; quæ tamen omnes orthodoxum sensum habent, tametsi verbis discrepent. Druen, *De re sacramentaria*, t. I.

668. Unum notamus. Cum generica Sacramenti definitio omnibus Sacramentis convenire debeat, patet esse rejiciendam definitionem, qua dicitur Sacramentorum esse functionem, seu actionem qua, etc.; hæc enim definitio nequit applicari Eucharistiæ, quæ in re stabili consistit, non autem in functione transeunte. Talis definitio (notat Bellarminus,

¹V. Benedictus XIV, *Notificatione xxxvi*. Et plura Decreta tom. I.

I. IV, *de Euch.*, c. i) hæreticorum est, qui ut negare valeant Eucharistiam consistere in re permanenti, pro fundamento ponunt Sacramenta omnia in actione consistere; qua doctrina eo tendunt, ut excludant dogma catholicum a Tridentino definitum, Sacramenta scilicet novi Testamenti gratiam conferre non ex opere operantis, sed ex opere operato.

(B) Page 467.

669. An (quæres) conditio: si es dispositus, si es contritus, sit valida? Negat Daelman; sed alii merito affirmant, supposita veritate conditionis; quia tunc concurret materia et forma vera, cum intentione ministri. Attamen pro praxi (excepto nisi agatur de moribundo de quo dubitetur an sufficientia signa præbeat dispositionis, cui omni modo succurrendum est; vel de semifatuis et pueris ne diu maneant in statu peccati si forte illaqueati sint); dicimus nefas esse id agere tum quia est contra praxim Ecclesiæ ac Ritualia; tum quia aperit viam perniciosæ laxitati, quæ non curat neque dispositiones penitentis, neque penitentem disponere. V. Billuart in D. Thomam, suppl., q. 17, a. 5.

Ceterum hic duo notamus.

a. Quæ diximus de sacramento iterando sub conditione in dubio de validitate illius, certo non sunt de quolibet dubio accipienda: hinc minister, qui leviter dubitat, nescitque cur timeat, aut solum non recordatur reflexe se verba formæ pronuntiasse, in omnibus omnimodam certitudinem quærens, peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum aut syllabam his, ter aut quater repetat; quia formam mutat, inducitque Christum quem repræsentat, ridicule agentem.

b. Qui non valet mente quieta revolvere conditionem suis terminis expressam, et tamen Sacramentum conficiat sub conditione, quia advertit hic et nunc ita esse agendum, non est condemnandus. Hinc non est damnandus Sacerdos, qui exemplo accurrens ad infirmum jam sensibus destitutum, illum absolvit sub conditione, quia ita didicit esse in simili casu peragendum; quin tamen præcise sciat quenam sit ista conditio. Etenim conditiones aliis atque aliis modis possunt exprimi.

Sed (dices) nullum reperitur in antiquitate vestigium formæ conditionalis. Aliqui docent cum Natali Alexandro et Tournely ante seculum VIII utique non reperiri formæ conditionalis vestigium. Sed Benedictus XIV eos de errore convincit ostendens hoc solum adesse discrimen, quod conditio, quæ prius sola mente retinebatur, postea inductum est, ut verbis exprimeretur (*De Syn.*, l. VII, c. vi): et hanc

indulsit, ut quaelibet Missa in die Commemorationis omnium defunctorum gaudeat tali privilegio, ubicumque celebretur¹ (QQ).

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM NONUM

(A) Page 453.

667. Sacramenta juxta Lutherum sunt signa sive sigilla divinarum promissionum ad excitandam fidem; juxta Zwinglium sunt signa divinæ gratiæ, quæ Ecclesiam certiore faciunt de suscipientium fide; juxta Calvinum sunt signa vel pignora, quæ electum certiore faciunt de adepta fide divinisque promissis. Anabaptistis Sacramenta sunt signa allegorica spiritualis vitæ; arminianis, socinianis, mennonitis nudi ritus exteriores sunt, quibus Christiani ab infidelibus secernuntur: quakeris actus spirituales et interni effectus cælestis luminis; schwedenborgianis symbola sunt, quibus Deus et homo invicem conjunguntur; rationalistis denique sunt ritus longe præstantiores ritibus paganorum significatione tum symbolica tum morali. » Perrone. — V. Knoll, *Instit. Theologiæ theoreticæ*, etc., vol. V.

Etiam Sancti Patres et catholici scriptores sacramenta nostra vocant nunquam symbola, id est signacula, signa rei sacræ; sed signa practica, in quantum sanctificant homines, et fontes sunt gratiarum ac media salutis, et veluti quædam vehicula seu instrumenta quibus Deus imbecillitati nostræ consulens gratiam suam confert. Hic quæstio non est de nomine, sed de ipsa re. Etiam apud catholicos auctores varia leguntur Sacramenti definitiones; quæ tamen omnes orthodoxum sensum habent, tametsi verbis discrepent. Druen, *De re sacramentaria*, t. I.

668. Unum notamus. Cum generica Sacramenti definitio omnibus Sacramentis convenire debeat, patet esse rejiciendam definitionem, qua dicitur Sacramentorum esse functionem, seu actionem qua, etc.; hæc enim definitio nequit applicari Eucharistiæ, quæ in re stabili consistit, non autem in functione transeunte. Talis definitio (notat Bellarminus,

¹V. Benedictus XIV, *Notificatione xxxvi*. Et plura Decreta tom. I.

l. IV, *de Euch.*, c. i) hæreticorum est, qui ut negare valeant Eucharistiam consistere in re permanenti, pro fundamento ponunt Sacramenta omnia in actione consistere; qua doctrina eo tendunt, ut excludant dogma catholicum a Tridentino definitum, Sacramenta scilicet novi Testamenti gratiam conferre non ex opere operantis, sed ex opere operato.

(B) Page 467.

669. An (quæres) conditio: si es dispositus, si es contritus, sit valida? Negat Daelman; sed alii merito affirmant, supposita veritate conditionis; quia tunc concurret materia et forma vera, cum intentione ministri. Attamen pro praxi (excepto nisi agatur de moribundo de quo dubitetur an sufficientia signa præbeat dispositionis, cui omni modo succurrendum est; vel de semifatis et pueris ne diu maneant in statu peccati si forte illaqueati sint); dicimus nefas esse id agere tum quia est contra praxim Ecclesiæ ac Ritualia; tum quia aperit viam perniciosæ laxitati, quæ non curat neque dispositiones penitentis, neque penitentem disponere. V. Billuart in D. Thomam, suppl., q. 17, a. 5.

Ceterum hic duo notamus.

a. Quæ diximus de sacramento iterando sub conditione in dubio de validitate illius, certo non sunt de quolibet dubio accipienda: hinc minister, qui leviter dubitat, nescitque cur timeat, aut solum non recordatur reflexe se verba formæ pronuntiasse, in omnibus omnimodam certitudinem quærens, peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum aut syllabam his, ter aut quater repetat; quia formam mutat, inducitque Christum quem representat, ridicule agentem.

b. Qui non valet mente quieta revolvere conditionem suis terminis expressam, et tamen Sacramentum conficiat sub conditione, quia advertit hic et nunc ita esse agendum, non est condemnandus. Hinc non est damnandus Sacerdos, qui exemplo accurrens ad infirmum jam sensibus destitutum, illum absolvit sub conditione, quia ita didicit esse in simili casu peragendum; quin tamen præcise sciat quenam sit ista conditio. Etenim conditiones aliis atque aliis modis possunt exprimi.

Sed (dices) nullum reperitur in antiquitate vestigium formæ conditionalis. Aliqui docent cum Natali Alexandro et Tournely ante seculum VIII utique non reperiri formæ conditionalis vestigium. Sed Benedictus XIV eos de errore convincit ostendens hoc solum adesse discrimen, quod conditio, quæ prius sola mente retinebatur, postea inductum est, ut verbis exprimeretur (*De Syn.*, l. VII, c. vi): et hanc

disciplinam multis jam in locis receptam Alexander III sæculo XII ubique servandam edixit (Cap. n, *de bapt.*). Hinc in Bulla *Auctorem fidei*, n. 27: *Deliberatio Synodi Pistoriensis, qua prætextu adhesionis ad antiquos canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione, dicta fuit temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria. Non tamen necesse est, ut intelligibili voce conditio proferatur: imo dicit Voigt ejusmodi conditiones consultius sola mente, quam verbo fieri, si audientes turbari possint.*

(C) Page 476.

670. *Quid (quæres) si quis intendat Sacramentum conferre Petro, et ille sit Paulus? Iste per se loquendo valide confert: nam in Sacramentis (uno excepto matrimonio, in quo determinatio talis personæ est substantialis) personæ determinatio est tantum accidentalis; cum vera et ultima intentio sit in personam præsentem. Diximus per se loquendo, nam si minister revera alligaret suam intentionem ad determinatam personam, ita ut aliam excluderet omnino, nullum conficeret Sacramentum ex intentionis defectu. Hoc tamen non valet quoad Eucharistiæ distributionem, cum hæc non conficiatur distributione; unde cuicumque baptizato ministretur, semper effectum sortitur.*

Quid (dices) si minister habeat duas intentiones contrarias? Si duæ illæ contrariæ intentiones sunt simultaneæ, valet intentio prædominans, quæ nempe eligeretur, cognita impossibilitate; cum fortior sit. Quod si sint ambæ æquales, minister nihil efficit; nam una aliam destruit. Si vero sint subsequentes, valet posterior: quod si dubium remaneat, dubia erit Sacramenti validitas. Hinc si Titius hactenus noluisset matrimonium cum Caia, et tamen libere contrahat cum præsentem, qualiscumque illa sit: si hæc sit Caia, et ipse actu sit comparatus, ut nollet contrahere, si sciret esse Caiam, matrimonium est invalidum. Si vero sciens esse Caiam, vellet contrahere, erit validum. Si tandem animo ita comparatus sit, ut si sciret esse Caiam, nesciat ipse an eam sit voliturus necne, neutra intentio prævalebit; ideoque tunc verum non erit, neque firmum matrimonium.

671. *An in ministro ad validam Sacramenti confectionem præter intentionem, requiratur etiam attentio? R. Attentio externa qua minister externos ritus humano modo persolvit, utique requiritur; secus non haberetur Sacramentum. At improbabilis et singularis videtur opinio Croix, qui ad valorem requirit in ministro etiam attentionem internam præter intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut*

nempe hic et nunc intellectus consideret quod actu agit; nam moralitas actus non ab attentione, sed ab intentione agentis procedit. Sane eam non requirunt nec Florentinum nec Tridentinum; cum tamen hæc Concilia necessaria Sacramentorum accurate describant.

Sunt qui excipiunt Extremam unctionem; quia ejus forma est deprecativa; porro preces cum voluntaria distractione nullæ sunt. Verum, hoc communius adhuc negatur; nam hic preces non operantur quatenus preces; sed quatenus pars Sacramenti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 14.

Attamen adlicitatem collationis utique requiritur attentio et talis, ut absit omnis voluntaria distractio; reverentia enim Sacramento debita id exigit. Verum commune est, non peccare nisi venialiter ministrum, qui voluntarie se distrahit, nisi inde oriatur in ipso periculum errandi, in formis præsertim longioribus: et excepta Eucharistia, in qua hæc voluntaria distractio probabiliter mortalis est; quia non videtur carere irreverentia gravi erga tantum Sacramentum.

(D) Page 485.

672. *Utrum ministrans in mortali Eucharistiam pluribus, tot mortalia admittat, quot sunt communicantes, an vero unum peccata? Quæstio est. Alii cum Concina affirmant esse totidem peccata quot sunt fideles, quos minister una vice seu distributione communicat; quia singulæ communioniones sunt singula convivia et actiones completæ. Sed probabilius alii negant cum Henao, Viva, etc., dicentes pluralitates communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem. Cum verius sit una actio moralis et unum convivium; sicut unum dicitur prandium, quamvis plures sint se reficientes in eo.*

Dicimus autem cum Mazzota et Holzmann, quod celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit: 1. quia *conficit Sacramenta indigne*; 2. quia *Sacramenta suscipit indigne* (secus dicendum, si post sumptionem sumat particulas superfluas; quia hæc ultima sumptio pertinet ad unum sacrificium); 3. quia *ministrat indigno*, nempe sibi; celebrans enim duas agit partes, unam uti sumens, et unam uti minister; 4. quia Eucharistiam *ministrat indigne*. Unde duodecim sacrilegia committit, qui in die Nativitatis tres Missas celebrat in mortali, quia sunt totidem actus de se completi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 35; et l. V, n. 44.

673. *Ceterum loquendo de dignitate vel indignitate ministri recte pro praxi Conférences d'Angers hæc notant: « Il serait inutile d'inspirer aux fidèles des inquiétudes sur le mérite ou l'indignité du mi-*

mistre qui leur a administré les sacrements, même à leur demande. Ils doivent se conduire avec une grande simplicité dans ces circonstances. Il est bon qu'ils choisissent pour le sacrement de pénitence celui qu'ils jugent le plus digne de leur confiance, persuadés néanmoins que leurs pasteurs ordinaires, et ceux qui sont chargés spécialement de le leur administrer, ont un droit particulier à leur confiance. Mais il ne leur appartient pas en général de s'informer de la conduite que tiennent les ministres du sacrement, parce que ces informations sont odieuses en elles-mêmes, pleines de dangers, trop difficiles lors même qu'elles seraient un devoir pour eux. C'est là l'avertissement de Billuart, et il est très-judicieux. Dès lors qu'il n'y a pas danger de séduction, danger trop grand pour pouvoir être négligé, ils ne courent aucun risque en jugeant que tous les prêtres qui exercent le saint ministère sous les yeux et avec l'approbation de l'évêque, ont les dispositions suffisantes pour exercer les fonctions sacrées lorsqu'ils administrent les sacrements et qu'ils ont l'intention de le faire lorsqu'on s'adresse à eux. Il ne suffit pas d'avoir été témoin d'une faute considérable commise depuis peu pour les juger indignes d'exercer les fonctions du saint ministère. Dès qu'ils se déterminent à le faire, on peut présumer qu'ils ne s'y ingéreraient pas s'ils ne s'étaient réconciliés avec Dieu par le moyen de la pénitence. »

(E) Page 495.

674. Peccati occasio amovenda, scandalum reparandum, publice male acta, quoad potest, publice retractanda omnibus sanis et aegrotis, benevolentibus et moribundis sunt de absoluta necessitate ad Sacramenta legitime administranda, ac salubriter suscipienda : « La condition *sine qua non*, celle dont aucun confesseur, même le pape ou le concile, ne peut dispenser, c'est que le mal soit reconnu pour le mal; que, comme tel, il soit réproché et condamné explicitement; que l'on ait la volonté de l'anéantir autant qu'il peut être anéanti; que tout ce qui demeure de culpabilité au dedans et de conséquences mauvaises au dehors, on ait la volonté de l'expié et de le réparer autant qu'il est possible à la faiblesse humaine, aidée en cela par la grâce divine. Sans cela on pourra bien parler de Panthéon comme Paris en 93 ou de Champs-Élysées comme les païens, mais de vie éternelle dans le sens catholique, jamais : ce serait une promesse sacrilège, un espoir trompeur. » (*Civ. Cattolica*, ser. IV, t. XI, pag. 76 et 615).

Ex quibus patet quænam sint partes confessarii et parochi, si fortasse vocentur ad alicui ad assistendum in extremo constituto, qui publice

fecerit contra sanctissimas ecclesiæ leges, v. g., ejus jura et bona pesumando, usurpando, etc. Necessè est ut talem infirmum, *si sit sui compos*, non solum poeniteat coram Deo (quod in ipsa confessione fit); sed etiam coram hominibus (nisi res sit oblivione deleta), ne Ecclesia videatur adprobare reprobanda, cum maximo fidelium scandalo; et hoc extra confessionem debet locum habere, et fiat convenienti modo ita ut in aliorum notitiam possit venire; consulendo in re tam salebrosa (si opus) superiorem ecclesiasticum (Vide etiam dicta, t. I hujus Operis. — Diximus *si sit sui compos*; si enim extra sensus perseveret et mortis periculum instet, poterit ei utique absolutio dari sub conditione, et etiam Extrema Unctio (non tamen Viaticum, quia non datur deliris). Quare? quia bona mater ecclesia pie supponit moribundum facere quantum in se est, ut in corde suo omnia reprobanda reprobet. Hac ipsa ratione difficilius solet publicis peccatoribus denegari ecclesiastica sepultura, etsi sine sacramentis decesserint, si in illo extremo positi credi possit eos poenuisse. Quæ tamen omnia prudenti modo aperienda sunt fidelibus, ne scandalizentur si quando videant supradictos et sacramentis donari, et ecclesiastica sepultura (Vid., t. I hujus Op.

At regula generalis est: pro modo offensæ et reparatio necessaria est: quod maxime urget, si iste peccator sit aliquis presbyter, cujus scandalum non nisi portentosum esse potest. Idque magis, si peccator ille censuris reservatis publice sit innodatus ob publica sua facinora, prout sunt, v. g., publici apostatæ, hæretici; item qui armis, pecunia, conspiratione, libellis, consiliis, etc., publice et palam bonorum Ecclesiæ usurpationem procurant vel firmant, etc.

Neque dicas eo ipso, quod publicus peccator publice petit confessarium, jam implicite coram fidelibus et Ecclesia revocat quæ iniqua gessit. Iste videtur quidem bene affectus ad se justificandum; sed nondum justificatus est: fideles autem qui hæc initia laudant, consummationem operis expectant. Quod ut fiat, homo ille ex animo doleat, scandala auferat, facta recantet, damna reficiat, atque ad Ecclesiæ obedientiam a qua publice recesserat, publice redeat, se aperte submitiendo illius mandatis. Verendum enim est in tanta hominum pertinacia, ne hic ex illis sit, qui confidenter postulant ab ecclesia sacramenta, sed Ecclesiæ respuunt prescripta, volentes leges illi imponere, non ab ipsa acceptare; at Ecclesia bona sua non elargitur obstinatis et refractariis.

Res ergo palam, sed opportuno tempore cognoscenda est, ne suspicio fidelibus ingeratur, quod sanctum datum fuerit canibus ob contemnendum metum. Nec aliqua fit injuria confessionis sigillo (uti nonnulli blaterant), si confessarius a suo poenitente talem evulgationem postulet:

res nostra non est de internis quæ utique solius confessionis sacramentalis objecta constituunt; sed de externis et notis, quæ quidem neque a confessario, sed ab ipso pœnitente sunt propalanda ad sinceritatem suæ conversionis. Utique confessionis sigillum res est inviolabilis quæ sancta ac tecta servanda est coram potestatibus quæcumque tandem illæ sint, vel etiam Pontificalis. Verum si in morte ejus (qui publice teneatur sua facinora retractare) actus externi et visibiles intervenerint, nempe Viatici et Extremæ Unctionis administratio, hi externi actus profecto alium actum necessario reposebant, nempe retractationem, sine qua pastor non potest Ecclesiæ sacramenta administrare. De hoc porro et custodes ecclesiasticæ disciplinæ possunt imo tenentur inquirere, et fideles prudenter debent certiorari, ne scandalum patiantur.

Ad quæsitum : « 1^o Peut-on donner la communion à ceux qui sont notoirement atteints par les censures avant qu'ils se soient réconciliés avec l'Église? 2^o si un de ces malheureux vient à mourir, les SS. canons et les règles posées par les docteurs les privant absolument de la sépulture ecclésiastique, que doit faire le pasteur dans le cas où les honneurs religieux seraient réclamés avec instance et de graves menaces? S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 respondit : ad 1. *negative*; ad 2. *curandum ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus per se neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat.* » It. vide tom. I, loc. citato.

675. Quid (quæres) si sacramentum petentis indignitas nota sit plerisque ex præsentibus, non tamen omnibus? — R. Si delictum sit foris absolute publicum vel fama, vel jure, vel facto, tunc denegari debet etsi non omnibus, imo etsi nemini sit notum ex iis in quorum præsentia sacramentum petitur; nam per illam publicam notitiam petens jus amisit petendi in foro Ecclesiæ. Cum autem sit publice infamis, ideo nullus momenti esse censetur quod denuo infametur apud aliquos : hoc sibi imputet qui cum sit in peccato publico, audeat ad sacramentum accedere. Neque sequitur scandalum, cum enim res sit adeo nota, facile potest iis qui adsunt, satisfieri, si inde admittuntur.

Si vero delictum sit tantum publicum *relative*, id est notum tantummodo iis in quorum præsentia petitur sacramentum, non vero communitati, tunc si omnes præsentibus noscunt delictum, sacramentum adhuc denegandum est; etenim sine infamia, scandalo vel alio gravi incommodo potest denegari, ergo etiam debet, ne sanctum detur canibus. Verum si aliqui eorum qui adsunt petitioni sacramenti, ignorent

delictum peccatoris, an sit ei nihilominus negandum sacramentum, alii universim affirmant cum Coninck, quia respectu ad hos peccatum videtur esse publicum. Alii autem satis probabiliter cum Croix id ipsum admittunt, sed casu quo unus tantum vel alter homo prudens delictum ignoret qui illud si nunc sciat, non sit evulgaturus; non enim censetur absolute et graviter diffamatus qui apud unum vel alium tantummodo virum probum famam amittit : ideo tunc videtur præponderare partim scandalum aliorum quibus notum est, partim reverentia debita sacramento. Sed probabilius alii cum Suarez universim negant, quia petens adhuc possidet famam respectu ad illos qui ejus crimen ignorant; unde scandalum quoad alios si oriatur, erit passivum tantummodo. Adde : in quocumque casu admiratio semper oritur; si enim denegatur sacramentum, admirantur qui delictum ignorant; si sacramentum non denegatur, scandalizantur qui delictum sciunt; in eo porro casu convenit salvare famam proximi. V. Suarez, *De Eucharistia*, disp. 67, a. 6, § 5.

Idem dicimus, si petentis indignitas non sit nota in loco ubi ipse indignus petit Sacramenta, sed in alio (excipe nisi hæc indignitatis notitia prævideatur eo brevi facile obventura); nam indignus eo in loco suam possidet famam, et scandalum non adest si ei sacramentum administratur. Ita Cabas-utius et Vasquez contra alios qui contrariam docent hac ratione, quod ille utpote indignus amisit jus ad famam. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 45, etc.

(F) Page 497.

676. Dices : Si tot sunt Sacramentorum bona, cur hodie tantam Ecclesiam luget desertorum multitudinem, qui longe vivunt ab eis? R. Martinet : « Præcipua mali causa certe collocanda est in pestilentissimo draconis janseniani flatu. Hujus enim inspector pervidens excrandis pseudo-reformatorum conviciis duplicari apud filios Ecclesiæ religionem Sacramentorum, artes mutavit, cœpitque reverentiam Sacramentis debitam eum in modum celebrare, qui omnes ab eorum susceptione removeret, veneratione in horrorem commutata. Quæ fraus ei bene cessit non solum apud sectatores Jansenii, famosos parvissimo Sacramentorum usu, sed etiam apud non paucos theologos præteriti ævi, qui utut alieni a dogmatibus jansenianæ scholæ, nimiam hujus severitatem non satis caverunt in definiendis dispositionibus necessariis ad salutarem frequentationem Sacramentorum. Cui causæ omnibus obviam, aliam subjicimus sitam in methodo docendi populum parum apta animis ad fidem et desiderium Sacramentalis gratiæ convertendis.

Ad vincendam enim in peccatoribus alienationem a Sacramentis, parum est eis demonstrare obligationem divinitus impositam ea suscipiendi, nisi simul aversio curetur (animosa et quantum fieri potest, splendida) expositione bonorum spiritualium et etiam temporalium quæ ex debita Sacramentorum frequentatione diffluunt non modo in suscipientes, sed in familias totamque societatem. Toti igitur esse debent *dispensatores mysteriorum Dei* in suadenda hac veritate: Sacramenta fuisse a Redemptore amatissimo instituta, non ad onus, sed ad levamen lætissimamque pacificationem animarum, » etc. (*Institutiones Theologicæ*, vol. IV, l. II, a. 2).

Hac in re *integer legendus* (ut verbis utar Pii VI, qui librum commendat quammaxime), id est: *La lega della teologia moderna colla filosofia e' danni della religione*. Novara, tip. Miglio; opus P. Rochi Bonola Novariensis e S. Jesu, anno 1789. — V. Torricelli, *Dissertazioni*, ecc. T. VIII.

(G) Page 408.

677. Q. 1. *Quanta sit diversitas inter opus operantis, et opus operatum?*

R. Diversitatem sic perbelle exponit Stapf, § 156: « Paradigma non ineptum discriminis, quod inter *opus operatum* et *opus operantis* intercedit, duo homines exhibent, quorum alter aquam in profundo puteo latentem multo eum conatu haurire debet; alteri vero aliud non incumbit, nisi ut vas vacuum et adaptatum salienti fonti apponat. Id quod non obscure per Isaiam indicatur, qui ait: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo; quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: Constemini Domino et invocare nomen ejus: Is. 12, 2 et seqq.* » Vid. *Amico Cattolico*, vol. IV, art. Ricerche sul concetto dell' *opus operatum*.

678. Q. 2. *An valide possit Sacramentum suscipi sine gratia?*

R. Affirmative; nam contingere potest, ut omnia ponantur, quæ ad validam, sed desint in suscipiente quæ ad ejus utilem receptionem ponenda sunt. Uti si adultus susciperet Baptisma, quin doleat de actualibus peccatis, Sacramentum valet et character imprimitur; quia nihil de illius substantia deest: esset tamen *informe*, id est sine gratia, quæ indisposito non datur. Si validum, ideo, accedente dispositione (seu fictione ut aiunt recedente), Sacramentum reviviscit, et gratiam confert; ad modum, quo remoto obice a flumine, aquæ statim revertuntur

in alveum suum marte proprio, ac fluunt sicut ante. Hoc autem in omnibus Sacramentis evenire posse, una excepta Eucharistia, docent Lugo, Salmanticenses, Suarez, Tournely alique multi cum D. Thoma, atque divo Bonaventura.

1. De *Baptismo* patet, qui cum sit initerabilis, remoto obice, reviviscere debet, ad delendum originale: cum hoc per Baptismum tantum deleri possit (D. Thomas, 3 p., q. 69, a. 10; et Augustinus, l. I, de *baptismo*); — 2. idem dicendum cum Sylvio et Suarez de *Ordine* et *Confirmatione*; nam cum ista nequeant iterari, videtur consentaneum divinæ Bonitati, ne tales suscipientes relinquuntur destituti gratia sacramentali tam necessaria confirmatis ad fidem profitendam, et ordinatis ad clericalia munia obeunda; — 3. id valet pari ratione de *Matrimonio* et *Extrema Unctione*, ut docet S. Bonaventura; quia etiam congruum videtur, quod, cum Unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimonium vivente eodem conjuge, interim fideles non careant gratia Sacramenti; — 4. hoc probabilius dicendum est etiam de *Pœnitentia*, ut contra Scotistas communissime docent Thomistæ ex Angelico (*Supp. q. q. a. 1.*; et in 4, d. 17, q. 5, a. 4, q. 1). Casus esset, si quis duo mortalia habeat, unum furti, aliud perjurii; dein memor tantum furti, de eo solum doleat ex motivo speciali supernaturali illius turpitudinis. Tale Sacramentum est validum, quia nulla pars essentialis deest ad valorem: *non confessio*, cum fiat integra eorum, quæ memoriæ occurrunt; *non dolor*, cum adsit circa peccatum confessum; *non absolutio*, ut supponitur. Tamen est informe; quia non habetur dolor de perjurio, neque in alio dolore est inclusus; et si inclusus, non est sensibilis seu externatus, ut sufficiat ad pœnitentiam. Restat ergo, ut detestato peccato obliato, gratia reviviscat; ita ut nulla amplius sit obligatio, nisi postea Pœnitentiæ clavibus subiiciendi peccatum omissum.

Diximus si *Eucharistiam* excipias: cum hæc ex sui institutione frequenter possit iterari, non fuit opus hanc ei tribuere efficaciam. Censet tamen Croix cum Palao ac Scoto, quod si quis se communicet et removeat obicem, antequam species Eucharisticæ consummentur, is non carebit gratia Sacramenti; nam idem est ac si tunc reciperet, cum adhuc tentative subsistat. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 6 et 444.

679. Q. 5. *An ad obtinendos Sacramentorum effectus necesse sit, ut signa collationis eorum, et verba a suscipientibus intelligantur?*

R. Lutherani et Calvinistæ cum teneant Sacramenta non operari per se et *ex opere operato*, sed tantummodo *ex opere operantis*, contentunt ad obtinendos Sacramentorum effectus requiri in suscipientibus

plenam intelligentiam signorum atque verborum collationis Sacramentalis, ita ut si talis intelligentia desit, nulla et irrita prorsus habenda sit ipsa Sacramentorum susceptio; et ideo addunt Sacramenta omnino esse administranda in lingua vernacula: cum propter hominem (inquit Lutheranus Gerandus, l. c., § 51) *Sacramenta sint instituta; ideo in vernacula lingua... nos Sacramenta administramus*. Quem errorem in Quesnello jampridem condemnatum sequi non erubuerant Janseniani-Scipionista in Pseudo-Synodo Pistoriensi. Quid vero in dicta hæreticorum sententia pronuntiandum esset de Baptismate infantium, amentium et aliorum qui intelligentiæ capaces non sunt, ipsi videant. Nos porro dicimus utile quidem esse ut fideles adulti et rationis exercitio præditi meliori quo possunt modo sensum et significationem verborum et signorum Sacramentorum intelligant eaque percipiant (et ideo Ecclesia Parochos et ministros suos enixe hortatur, ut eam in rem studiose nitantur); sed simul dicimus et tuemur ad Sacramentorum effectum illam mentis intelligentiam in suscipientibus haudquaquam de necessitate requiri. Ratio autem aperte deducitur ex eo, quod dogma catholicum sit Sacramentorum essentialiam et efficaciam non consistere in opere operantis, bene vero in ipso opere operato.

680. Q. 4. An Sacramenta physice vel moraliter gratiam producant?

R. Certum est Sacramenta non esse causam principalem, quasi agant virtute sibi propria; sed instrumentalem, eo quod agunt virtute sibi communicata. At causa instrumentalis dupliciter effectum potest producere: physice si effectum virtute accepta immediate producat, ut securis necessario lignum secat; moraliter si alium liberum agentem moveat ad causam physicam producendam: hoc sensu dominus movet servum ad sua jussa exequenda. Hoc posito, magna questio est, an Sacramenta primo vel secundo modo causent gratiam. Alii tenent cum Tournely eam in Sacramentis causari moraliter: quia gratia petit de se a solo Deo produci, quin opus sit miraculum addere, quod scilicet Sacramenta conferant eam de se. Alii volunt cum Suarez eam physice causari; hoc enim magis decet Sacramenta; et est communius ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. Utraque sententia est probabilis. — V. Liguori, *Opusc. Mor.*, l. VI, n. 7. — Knoll, *Instit. Theol.*, pars IV, sec. 2, tr. 4, a. 6.

(II) Page 505.

681. Christus ipse cæremonias adhibuit, sive cum luto cæcum (Joan. ix); sive cum saliva mutum et surdum sanavit (Marc. vii); sive cum flexis genibus in terram prostratus oravit (Matth. xxvi); sive cum per insufflationem Spiritum sanctum Apostolis communicavit (Joan. xx), etc.

In cæremoniis nostris crucis signum saepe usurpamus, et convenientissime; hoc enim signum vim habet: — 1. per modum invocationis, nempe Christi crucifixi et meritorum ejus; — 2. tanquam opus fidei et professio Religionis christianæ; — 3. propter honorem quem cruci tribuimus. — V. Quarti, *De sacris benedictionibus*. — Mozoni, *Tavole cronologiche critiche della Storia della Chiesa universale*; nota VIII al quinto secolo. *Sunto storico del culto della croce n' primi cinque secoli*, ecc. — Ferraris, v° *Cruz*.

Objicienti illud adagium: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*, respondemus distinguendo: *Pluribus intentus*, etc., si illa plura sint talia quæ per se distrahant sensum ab uno et eodem objecto, concedo; si illa plura sint talia, quæ per se dirigantur ad majorem sensuum applicationem in unum et idem objectum, nego. Distinctio patet per se, cum res sit valde evidens, cæremonias sacras non distrahere sensum ab objecto Sacramenti, sed eo unice dirigi, ut magis ac magis sensus in illud intendatur. — V. Nicolas, *La Vierge Marie*; part. III, l. II: la liturgie.

682. Protestantibus vero qui cæremonias nostras habent uti ethnicorum reliquias respondemus: cum plurimi ritus per se indifferentes sint, et totam suam bonitatem ex objecto vel fine mutuentur, nil mirum si nonnullos Ecclesia ab hebræis aut ethnicis (in aliquorum sententia) adoptaverit, purificatos tamen et ab omni superstitionis specie mundatos, ut ita faciliorem viam iis sterneret ad veri Dei cultum amplectendum, prout observat Benedictus XIV (*De sacr. Missæ*, l. I, et de Canonizat., l. I, c. 1). Adde, cum vera religio antiquior sit superstitione, non illam ab ista, sed potius a vera religione superstitionem suas cæremonias mutuasse et depravasse. — Et quanta sit illarum dignitas, utilitas, excellentia aperiat Parochus identidem fidelibus, explicando mysticam earum significationem, ut sic ad devotionem excitentur magis, ut habet Tridentinum loquendo de Sacrificio Missæ (sess. 22, c. viii). Hac de re V. inter ceteros P. Vincentius a Massa, *Institutiones Liturgiæ sacræ*. Taurini, Paravia, 1835: ubi erudite res tota discutitur; — Bonix, *Tractatus de jure liturgico*. — Raffray, *Beautés du culte catholique*. Paris, 1845. — *Spirito delle cere-*

monie della Chiesa. Bergamo, 1845. — *Ragionamento sulle origini e significazioni dei riti della Chiesa*. Lucca, 1840. — Gaume, *Catéchisme*, etc., vol. IV. — Durandus, *Rationale divinorum Officiorum*. — Durandus, *De ritibus Ecclesie catholice*. — Benedictus XIV, *De sacrif.* — Mennini, *Quadro storica polemico delle osservanze e dei riti del cattolico culto, proposto ai Signori della Comunione Anglicana*. Orvieto, 1845. Ceterum plura hac de re observanda.

683. a. Quoad musica instrumenta, quæ in sacris functionibus adhibentur, vid. 1. Benedictus XIV Constit. *Annus* data anno 1749, 19 feb. ubi agit de ecclesiarum cultu et nitore, de officiorum et musices ratione; 2. *Civiltà Catt.*, ser. III, vol. IV : Musica religiosa, 3. Veith, *Scriptura Sacra vindicata* : In Prophetis generatim; 4. Ferraris, *Bibliotheca Canon.*, v^o Musica; 5. *Ristabilimento del canto e della musica ecclesiastica*; Considerazioni scritte in occasione dei molteplici riclami contro gli abusi insorti in varie Chiese d'Italia e di Francia, ecc. (*Annali Relig.* Roma, vol. XVI), legitur inter cetera : « Les PP. du concile de Trente dans la sess. xxii *De obs. et evit. in Missæ celebr.*, portèrent le décret suivant : Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur... (ordinarii locorum) arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit. Puis, à la fin du concile, le pape Pie IV nomma une commission de huit cardinaux pour la réforme de la musique sacrée. Les principaux étaient les cardinaux Vitellozzi et Charles Borromée, le saint. Ils prirent des mesures pour que la musique de la chapelle pontificale fût non-seulement exempte de choses extravagantes ou lascives, mais qu'elle fût pieuse et simple dans sa marche, en sorte que l'on pût bien entendre les paroles de la liturgie. Le célèbre compositeur Palestrina fut chargé de la direction. Il écrivit une messe à six voix, intitulée : *Messe du pape Marcel*, qui reçut une approbation unanime, et ainsi fut conservée dans l'Église la musique moderne que les Pères voulaient d'abord en bannir. *Et musica tolerata fuit, sub clausula, si honesta; musicus cantus debet a theatri differre et talis esse ut verba distincte proferantur et intelligantur.* » V. *Analecta juris Pontificii* anno 1859 : *la musique religieuse et le concile de Trente*, ubi plenius, atque accurate de hac historia disseritur.

Ast pedetentim iterum irrepsit abusus : *Fastidit ætas nostra*, aiebat Bona, *concentum gravem et stabilem, amatque modulos quosdam*, quibus enervantur animi contra illud Psalmi : *Psallite sapienter*. Hoc plerique non curant; at certum est, ipso fatente Tullio (l. II, *De Leg.*, n. 15), *nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos* : et narrat, quod Græci ad mollitiem

sunt immutati cum cantibus. Musicam porro hujus generis e templo prorsus eliminandam nemo non videt; curet ergo Parochus, curet Episcopus, ne Ecclesie suæ illud unquam possit accommodari, quod canebat christianus poeta :

*Il teatral rondo, l'allegra danza
Nella Chiesa risuona, e quella impura
Musica inetta, onde arrossa natura
E ne fremè di Dio la sacra stanza!*

In hoc proscribendo toti fuerunt RR. Pontifices, ut Alexander VII 1657 Const. *Piæ*, et laudatus Benedictus XIV. Et Pius IX 2 dec. 1855 scribens ad magistrum Cappocci : « En lui exprimant sa satisfaction sur le talent particulier avec lequel il unit dans sa musique le beau, le tendre et le grave, de manière à exciter des sentiments à la fois conformes à la liturgie et convenables à une âme chrétienne, Sa Sainteté se laisse aller à parler de l'art musical à notre époque et ajoute : Nous déplorons amèrement qu'on ait introduit dans les temples consacrés au Dieu tout-puissant un genre de musique toujours condamné par les saints canons et par les ordonnances de nos prédécesseurs. Entièrement profane, elle admet des modulations empruntées au théâtre où la voix se prête à des effets si énervants, que non-seulement elle chatouille les oreilles, mais corrompt souvent le cœur. Que dirait maintenant le Souverain Pontife, s'il savait que dans quelques églises non-seulement on entend une musique analogue à celle des théâtres, mais encore que la musique des théâtres s'y introduit, même celle qui s'écarte le plus de l'esprit de la religion? Ce serait un moindre mal si on y chantait les airs du *Moïse*, de Rossini, ou ceux des *Martyrs*, de Donizetti; mais faire entendre au milieu même de la messe la *Traviata*, c'est impardonnable, etc. (*Armonia*, 1856, n. 63).

Adde : « Le cardinal Patrizi, vicaire général de Rome, adressait, dans le cours de novembre 1856, par ordre exprès du pape, un avis à tous les directeurs des églises sur la musique ecclésiastique. Il se plaignait amèrement de ce que *cette musique affectait un genre plus théâtral que religieux, par le style profane du chant et le choix des instruments, et qu'elle devenait un objet de scandale plutôt que d'édification pour les fidèles*. A ce propos il défendait l'emploi des timbales, des tambours et autres instruments bruyants, et les mélodies ou les symphonies sentant le théâtre pendant les offices... Cette prescription, faite par le Saint-Père pour les églises de Rome, mérite d'être prise en considération dans toutes les églises du monde. » Ita *La Buona Settimana*. Torino, anno 2, 1857, n. 1. V. Biaggi, *Della musica relig.* Milano, 1857. — *Analecta juris pontificii*, anno 1855.

684. *b.* Quod pertinet ad *cantores*, illi moribus sint graves, modesti ac religiosi; et quoad fieri potest, Clerici; attamen usu inductum est, ut sint etiam sæculares homines; si autem sæculares mercede conducantur ut ordinarie cantent, ex Conc. Mediol. Provinc. IV, in omnibus functionibus debent esse habitu seu veste clericali induti; sin autem mulctandi. Utrum vero possint ipsæ feminæ conduci ad officium cantorum exercendum, nullum decretum prohibens citatur; quod autem ex Apostolo (I Cor. 14) mulieres taceant in Ecclesiis, id est in ordine ad docendum; et sane in Gallia ac Germania feminæ cantant in orchestra divina Officia. Quidquid sit, si feminæ sint quæ canunt, per cancellos, seu crates quoad potest subducantur a fidelium conspectu. Quod vero speciatim pertinet ad Moniales, ait Barbosa (*In jus Eccl. univ.*, l. I, c. XLIV): « Nec permittatur in Ecclesiis Monialium a personis sæcularibus cantus simplex vel figuratus; S. C. C. in Bononiensi 1585, et in Mediolan. 1595; bene tamen inter ipsasmet; eadem S. C. 8 febr. et 30 martii 1694. » (V. L. Ferraris, *Biblioth. Canonica*, etc., v. Moniales, art. 6). Ordinum tamen fundatores post Tridentinum suis Monialibus prohibere cantum seu modum musicum (vulgo *le contrepoint*). — V. Tannoja, *Della vita ed istituto di S. Alfonso M. Liguori*, l. III, c. xxxiv. Marietti, Torino 1857.

685. *c.* Quoad *lumina* in ecclesiasticis ritibus adhibenda notamus: — 1. non licere oleo substituere *hodiernum gaz* ex immundis materiis (nempe carbone fossile) extractum; intellige in ipsis ritibus, nam liceret ad aditus illuminandos, etc. Videatur Pius Martinucci pontificius ceremoniarus (De Luca, *Annali*, an. 1845, vol. XX). Oleum autem debet esse olivarum; attamen usu toleratur etiam oleum quod non sit ex olivis expressum, in montanis maxime regionibus, ubi nempe hujus generis tam facile haberi nequit. V. S. Carolus in suis *de Sacram. Eucharistiæ Instructionibus*. — 2. Neque etiam permitti loco ceræ candelas modernas (vulgo *stéarines*), ex sebo nempe magis expurgato ac meliori norma per calcem preparato confectas (a græco *stear*, latine *sebum*). Et S. R. C. ea de re interroganti respondit: *Consulat Rubricas* (*Annali*, vol. XVII, an. 1845). Quod idem valet paritate rationis de aliis dictis *philippinis*, cum semper sint ex sebo. Sane ea semper fuit Ecclesiæ mens, ut antiqui ritus adamussim serventur, tum ob mysticam significationem quam innuunt, tum ob instituta majorum quæ præstat venerari, et ne sensim sine sensu exitiosæ inducantur novitates. Hinc Sixtus V. celebri Constit. *Immensa* 22 jan. 1587, qua S. Rituum Congregationem erigebat, præcipit: *Ut veteres ritus sacri ubi locorum in omnibus urbis orbisque Ecclesiis... diligenter observentur... ut omnia rite et sancte... et ex Patrum traditione fiant.* (Attamen a S. C. R. ob motivatas causas declaratum fuit per-

mitti Episcopo Massiliensi, ut tolleret in sua Diocesi candelas stearinas, modo absit fidelium admiratio et scandalum, et modo non agatur de functionibus quæ proprius respiciunt Sacramentum, aut in quibus Ecclesia iis utitur precibus quæ ceræ usum designant; 1834).

686. *d.* Quoad *linguæ usum*, optimo consilio factum esse ut in universa latina ecclesia mos constanter servetur latine celebrandi Religionis mysteria, præter gravia et multa incommoda quæ in contraria sententia jam probavimus oriri, patet, uti scite legitur in Opere, *Institutiones Theologicæ, a purioribus sacræ disciplinæ fontibus*, etc., auctore Can. Mauritio Porro in Casalensi Seminario Professore: *De re Sacramentaria*, diss. 1, c. ix; Casali 1856: « Quia nulla necessitas aderat latinæ linguæ in Sacramentorum ritibus deserendæ. Non enim necessaria esse poterat hæc idiomatis immutatio ex parte Dei, ad quem in Sacramentis perficiendis, ut plurimum, verba convertuntur. Non ex parte elementorum quæ per verba benedicuntur vel consecrantur. Neque tandem ex parte suscipientium Sacramenta, quum verba quibus hæc ministrantur, non sint ad homines erudiendos ordinata. Certum insuper est, e latino idiomate rudibus impervio, quod usurpat Ecclesia, nullum consequi fidelium detrimentum; Sacramenta quippe vim habent justificandi *ex opere operato*; idcirco gratiam tribuunt, etiamsi a non intelligentibus recipiantur. Præterea juxta constantem Ecclesiæ praxim, quam Tridentina Synodus firmavit (sess. 24 de Ref. c. vii) ab animarum pastoribus instrui solent fideles circa Sacramentorum naturam, materiam, formam, virtutem et effectus, antequam ad eorum participationem admittantur. Inde patet, quod licet ritus sacri lingua populari non celebrentur, id tamen non impedit, quominus et rudiores sciant quid sibi per Sacramenta conferatur, atque ad ea sumenda congruo disponent valeant pietatis fervore. » — V. it. Martinet, *De ceremoniis Sacramentorum* in suis Theolog. Prælect., v. IV. — De Maistre, *Du Pape*, lib. I, c. xx: Digression sur la langue latine. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., v. Langue vulgaire, Liturgie. — Guasco, *Dizionario Ricciano antiricciano*, v. Lingua. — Liguori, *Opera Dogmat.*, sess. 25, c. viii, n. 48. — Nardi, *Elementi di diritto*, ecc., § 508. Rem ergo malam tentant qui e scholis nostris linguam latinam amandare vellent. V. *Avvedimenti politici*, c. xi. Item *Memorie Moden.* Continuatione, vol. I. It. *Il Cattolico*, vol. XVIII, pag. 275. It. *Civiltà Cattolica*, serie IV, t. I: del latino come stromento di scienza; et t. IV: d'una lingua comune nelle scienze, ecc. — Knoll, *Inst. Theol.*, t. V: de utilitate ceremoniarum. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc. Vol. II.

687. *e.* Audiatur Stapf (§ 574), quoad *modum ceremonias exequendi*: « Dum Sacerdos inter ipsa sanctissima Mysteria nil nisi frontis

audaciam, levitatem oculorum, caeremoniarum incuriam, et animum quaquaversus dissipatum præ se fert, quid mirum, si etiam adstantes omnis devotionis expertes maneant, vel omnino ad conspectum talium ministrorum de veritate Religionis vacillent, dicentes: *Ubi est Deus eorum?* Quare ut scintilla pietatis in nobis æque ac aliis excitetur, atque in caelestem denique flammam animus surgat, præcipua nostra cura sit, ut *sancta semper sancte* administremus. Nihil in nobis appareat, quod non modestia, gravitate, decencia et Religione plenum sit. Tunc sane dicitia et irrisiones, quibus hæretici ac infideles cultum nostrum onerant, facile cessabunt, quippe quibus aliud respondendum non erit, nisi: *Venite et videte.*

Sed aliud est grave monitum, quod tamen nonnulli parvi faciunt; at maximi momenti est tum ad devotionem in Clero tum ad reverentiam in populo erga sacra Mystera excitandam: hoc legere est in libro, *Memorie di Religione*, ecc., Modena, tom. II, pag. 371: « Les sacerdoties, qui sont comme le vestibule des temples, doivent être l'asile du recueillement et du silence. Le rire et les conversations, quel que soit l'usage malheureusement introduit, doivent en être sévèrement bannis. Comment, en vérité, se préparer à célébrer la Messe au milieu d'entretiens oisifs, pour ne rien dire de pis? Comment offrir le redoutable sacrifice lorsque le cœur s'est rempli de vaines pensées et de la joie profane des mondains? » Qui habet aures audiendi, audiat, etc.

Novi Sacerdotes ac Parochi attente perlegant Rituale atque illud serio revolvant per aliquod temporis, antequam Sacramentum administrent, vel functionem agant; ipsa enim rei novitas vel doctissimos errare facit: unde præstat, ut privatis experimentis sese exercent primum, vel expertis administrantibus aliquoties assistant. Ceterum Rituale adamussim servant, neque addendo, neque mutando, ubi Rituale neque addit, neque mutat: sic, v. g., non licet addere *alleluia* ad antiphonas in funere parvulorum, etsi currat tempus paschale; cum Rituale non dicat. Ita neque in baptizanda femina licet immutare orationes, ut illius sexus aptentur, nisi id indicet Rituale. — Attamen etiam experti interdum perlegant in Rituali tum ordinem administrationis, tum ea quæ illam præcedunt, ut omnia semper rite agant: et hoc maxime convenit, ut fiat exercitiorum tempore. Synodus Novariensis commendat, ut *semel saltem in anno Missalis rubricas Sacrificii ritum spectantes Sacerdotes omnes, imperiti vero quoties opus fuerit, attente relegant* (pag. 409).

688. f. De hoc etiam inter cetera nos incusant potestantes et libertini, quod eadem sine fine repetimus in liturgiis et orationibus nostris quæ quidem, ut aiunt, et fastidium generant et risum excitant et animi infirmitatem ostendunt. Verum ad rem Lacordaire, *Vie de S. Domi-*

nique, c. vi. « Le rationalisme sourit en voyant passer une foule de gens qui redisent une même parole: celui qui est éclairé d'une meilleure lumière comprend que l'amour n'a qu'un mot, et qu'en le disant toujours il ne le répète jamais. » — Pulchre etiam cl. Bellasio in opusculo *Manière de réciter avec fruit le S. Rosaire*: « Pourquoi répète-t-on tant de fois la même prière? — Il faudrait pour répondre savoir dire pourquoi les cœurs qui aiment se plaisent à répéter leurs plus ardentes expressions; il faudrait savoir expliquer pourquoi, dans la vivacité de l'affection, le cœur ne se lasse pas de battre d'un même mouvement; ces battements sont au contraire la vie et le soutien de l'amour. Nous pourrions faire observer encore que la poésie, ce langage de l'amour par excellence, a ses cadences, ses repos, ses intervalles mesurés, dans lesquels l'âme se complait comme pour savourer tous les parfums de cette fleur de beauté qui lui sourit. Ainsi, dans les psaumes, la première partie du verset exprime une pensée et la seconde partie en répète l'expression avec une certaine symétrie. Plus le sentiment est vif, plus la répétition des paroles se fait remarquer. Et la *musique*, cette sublime expansion du sentiment qui enlève l'âme, » etc.

689. Pulchre demum atque ad rem in tanta hodierna prurigine omnia immutandi, ait Stapf: « Quæ non forte timenda, si posthabitis sancitis Ecclesie, unusquisque suam tantum phantasiam et proprii ingenii placita sequeretur? Præsertim nos sacerdotes sollicitos esse oportet, ne ritibus præscriptis vel approbatis ab Ecclesia pro libitu nostro aliquid detrahimus adiciamusve. Sopitus religionis sensus per arbitrarias ejusmodi innovationes certe non excitatur, sed enecatur potius; id quod experientia abunde testatur; nam nullibi major in obeundis sacris levitas invenitur, quam ubi ritibus publica auctoritate statutis per temerarios hominum nova tuentium ausus novi substituti fuere. — Utinam illi, qui tam importune de reformanda catholica liturgia clamitant, prius semetipsos reforment, ut discusso spiritu profano quo turgent, gratiam vocationis suæ resuscitare, seque sub omni ratione irreprehensibiles exhibere satagent! » (§ 199.)

(1) Page 506.

690. Hic obiter nonnulla de B. Virginis cultu die Sabbati, de quo ita perbelle Nicolas: « Dès les temps anciens, le samedi a été comme le dimanche de Marie, lui étant spécialement consacré, non-seulement par un Office spécial, mais par une Messe appelée *de Beata*, et cela dans tous les rites du monde chrétien. Cet usage, dit Durand de Mende,

prit son origine de ce que jadis, dans une église de Constantinople, il y avait une image de la bienheureuse Vierge devant laquelle était suspendu un voile qui la couvrait tout entière; mais ce voile, le soir de la sixième fête venu (le vendredi après vêpres), s'écartait de l'image sans que personne y touchât et par le seul miracle de Dieu, comme s'il était emporté vers le ciel, afin que l'image pût être parfaitement vue par le peuple. Et après la célébration des vêpres, le samedi, le même voile descendait devant l'image et y demeurait jusqu'au vendredi soir suivant¹.

« Mais ce voile découvrait aussi des raisons de consacrer le samedi à la sainte Vierge, et ces raisons liturgiques qui justifient et animent cette institution sont diverses et fort belles. La première, c'est que lorsque Notre-Seigneur eut été crucifié et fut mort, et que ses disciples s'enfuyaient et désespéraient de sa résurrection, en ce samedi qui précéda celle-ci, Marie seule soutint toute la foi en son divin Fils; car elle savait comment elle l'avait conçu et enfanté, et elle était certaine que le Fils de Dieu, qui avait pris la vie dans son sein virginal, la reprendrait dans le tombeau. Glorieux souvenir de la foi unique de Marie, représentant en ce moment toute l'Église, et que toute l'Église devait justement fêter. A cette première et principale raison sont venues se joindre celles-ci: que le samedi est la porte d'entrée du dimanche, et que Marie, étant pour nous la porte qui conduit au royaume des cieux que symbolise le dimanche, le samedi devait lui être consacré; — qu'il convenait que la solennité de la Mère fut la vigile et comme l'aurore de celle du Fils; — que le jour où Dieu s'est reposé de tout ouvrage devait être fêté comme il l'a été de toute antiquité, et qu'il ne pouvait mieux l'être que par la fête de celle qui a été comme le reposoir du Verbe, par qui tout a été fait, au milieu de nous. — Enfin le samedi est ainsi célébré comme symbole prophétique du samedi de la grande semaine qui comprend tous les siècles, et dont le dimanche sera la bienheureuse éternité. En ce soir du monde, en ces Complices de la création, la Vierge Marie sera glorifiée pour la suprême miséricorde dont elle sera l'instrument envers les élus, et pour le triomphe final de la famille de Dieu dont elle est la Mère. C'est un grand culte que celui qui s'offre de toute part sous des aspects si lumineux et si sublimes.

« Par ces raisons, le samedi est consacré à la sainte Vierge par un Office spécial et par une Messe en son honneur; et ce n'est pas un des moindres caractères de l'éclipse de la vie chrétienne dans ce temps, que l'ignorance ou l'oubli de cette institution. »

¹ Rationale Divinorum officiorum, lib. IV, cap. 1, n. 34.

(J) Page 508.

691. Inter Sacramentalia enumerantur tum *Agni cerei* a Papa benedicti, vulgo *Agnus Dei*, qui proinde veneratione digni sunt, et quos pingi vel inaurari sub pœna excommunicationis prohibuit Gregorius XIII, uti refert Azorius; tum *Rosa aurea*, quæ in Dominica quarta Quadragesimæ item a Papa benedicitur ac postea dono mittitur ad aliquem Principem vel Reginam. — V. Benedictus XIV Epistola *Quarta*, 24 mart. 1751. — Raynaudus, *Tract. IV*, t. X, ejus Operum. — Beyerlinck, *Theatrum vitæ humanæ*, v^o Benedictio. — Quarti, *De benedictionibus*. — *Civ. catt.*, vol. I, ser. 2^a. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Agnus Dei.

692. Aquæ lustralis usus utique commendatur antiquitate, ut dictum est in *textu*; nam, antiquitus in medio templorum atrio erant aquæ salientes seu putei vel conchæ ubi fideles templum ingressuri manus et os sibi lavare consueverunt (V. Bona, *De rebus liturgicis*). Ex quo illud certe repetendum apparet, quod adhuc penes nos catholici templa petentes manus dexteræ digito aqua lustrali perfuso sese crucis signo munire solent, ut sic purificati loco sancto, divinis rebus digniores sint. Etsi autem olim non solerent fideles aqua benedicta se munire e templo egrediendo; id tamen hodie passim est in usu, quod quidem contra externas tentationes utiliter fieri, merito docet Bouvier, *De Eucharistia*, c. vi, a. 4, § 11.

Aquæ benedictæ adveniente causa, non benedicta adjungi potest, dummodo hæc semper sit in minori quantitate. Tempore interdicti fieri potest aspersio aquæ benedictæ, modo populus sine ulla solemnitate aspergatur. Ita P. Coronelli; et Quarti cum ceteris docet ad consequendos effectus aquæ benedictæ sufficere contactum moralem, qui censetur intervenire, quoties aspersio aquæ acceptatur a personis, ad quas dirigitur signo aliquo, v. g., inclinatione; vel si fiat aspersio super res insensibiles quoties intentio aspergentis ad eas dirigitur, quamvis aqua non perlingat physica ad illas; et sic benedicuntur palmæ, candelæ in magno numero et loco etiam distantes. V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Aqua benedicta.

693. Projicere (ait ex Croix S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VI, n. 94) canibus ossa agni vel ova quæ in Paschate benedicuntur, Græterus putat illicitum; sed ea omnino vult comburi et cineres decenter tractari. At negandum, quia res ejusmodi non benedicuntur benedictione constitutiva sive consecrativa, id est per quam reddantur res in rigore consecratæ; sed tantum benedictione invocativa, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa rerum illarum usum. Quæ porro

sic benedicuntur, adhiberi semper possunt ad illum usum, ad quem poterant ante benedictionem. Sic sæpissime a Sacerdotibus benedicuntur omnes cibi ante mensam; et tamen postea licite ex illis cibis datur canibus. Similiter est licitum candelis vel aqua benedicta uti ad alios profanos usus, decenter tamen: v. g., adhibendum lumen pro studio, ad miscendum vinum pro potu; ultimum tamen plures damnant.

694. Q. 1. *Quid sentiendum de benedictionibus a laicis tributis?*

R. Benedictio significat tum consecrare, dedicare, quomodo dicuntur benedictæ Ecclesiæ, consecrata vasa, etc.; tum prospera alicui adprecari, ut cum benedicitur persona; tum Deum orare sub aliqua re, ut illam nobis salutarem efficiat uti cum benedicuntur poculenta et esculenta in mensa. Primum sæcularibus non convenit, cum illa benedictio sit adnexa Ordini: cetera etiam fieri possunt a laicis, privatim tamen; neque tunc habentur ut sacramentalia, cum non adsit Ecclesiæ deputatio.

1. Benedicere personis privato modo etiam laicis fuit proprium. Sic S. Birgitta Dariam virginem benedixit, et a cæcitate liberavit. Maxime autem commendatur Benedictio parentum in filios: sane parentes sunt quasi Sacerdotes familiæ ex Chrysostomo; et plura exempla sunt in Scripturis et Ecclesiastica historia; idque maxime in usu est, cum filiis parentes tribuunt extremum vale, exemplo Christi, qui elevatis manibus benedixit Discipulis suis et in cælum ascendit (V. Quarti, *Bigæ æthereæ, de bened.* — Catalani, *Rit. Rom. commentariis exornatum*, t. VIII, c. v).

2. Benedictio mense est ritus sane antiquissimus, qui quidem fuit in usu apud clericos, monachos et laicos: idque exemplo Domini, qui cibos benedicere solitus fuit. Dedecet tamen, ut benedicant laici, præsentente Ecclesiastico. (V. Catalani, *Sacr. Cæremoniarum*, lib. III, h. 1.)

In benedictionibus a Christianis adhibetur signum crucis: et merito, quia per crucem omnia nobis Christus procuravit, et ideo crux est omnium benedictionum instrumentum. Nulla autem est determinata verborum formula. Audiatur Augustinus, qui in illud Ps. 128: *Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos, ait: Nostis, fratres, quando transitur per operantes, est consuetudo, ut dicatur illis: Benedictio Dei super vos. Et magis ista consuetudo erat in gente Judæorum; nemo transibat et videbat aliquos facere aliquod opus in agro vel in vinca vel in messe vel aliquid hujusmodi: non licebat transire sine benedictione.* Vel ipsis gentilibus benedictio communis erat; sic enim Christiani pro accepta elemosyna aiebant danti: *Benedicat tibi Deus, aiebant gentiles: Benedicat tibi Jupiter.* — V. Christianus Lupus, t. VII *Operum*.

695. Q. 2. *An omnes Sacerdotes, capellani, coadjutores, etc., possint indiscriminatim devotis benedicere?*

R. Quamvis omnes Sacerdotes ex vi sui Ordinis facultatem habeant benedicendi res et personas; hoc tamen accipiendum est intra limites ab Ecclesia præscriptos, a qua juxta diversos ordines sacrarum functionum diversorum Ordinum ministri deputati sunt. Sic benedictiones aliæ pertinent ad solum Romanum Pontificem, ut benedictio Agnorum Dei. Aliæ ad solos Episcopos de jure pertinent, ut benedictio pyxidis, vestium, imaginum, ecclesiæ, cæmeterii, primi lapidis ædis sacræ, campanæ; item consecratio calicis, ecclesiæ, altaris, aliæque omnes in quibus intervenit unctio Chrismatis vel sacri Olei. Aliæ demum benedictiones spectant ad Sacerdotes: et quidem cum hoc discrimine, ut quasdam omnis Sacerdos, quasdam vero nonnisi Parochus vel ab ipso delegatus dare possint. — Ex Diclic cum Baruffaldi particulares quæ habentur in Missali, nempe benedictio aquæ, agni in paschate panis, novorum fructuum, vel comestibilis, candelarum, loci, domus novæ, thalami, novæ navis, fieri possunt etiam a simplici Sacerdote absque præjudicio jurium parochialium; ceteræ vero quæ sunt in Rituali nonnisi a Parocho possunt fieri. Verum doctissimus Catalani cum Quarti dicit, quod per se loquendo a simplicibus Sacerdotibus peragendæ sunt illæ benedictiones quæ tam in Missali quam in Rituali fieri præscribuntur a Sacerdotibus absque alio additamento, ut benedictio aquæ lustralis, candelarum, navium, esculentorum, bombycis, pueri, infirmi, fornacis, etc. Abstinere autem omnino simplices Sacerdotes ab iis benedictionibus debent, quæ in libris Missalis ac Ritualis dicuntur fieri a Parocho vel ab alio Sacerdote, sed illorum permissio, vel de licentia Ordinarii, ut est benedictio nuptiarum, fontis, domorum in Sabbato sancto, et aliæ complures in Rituali descriptæ, ut a Parocho fiant, vel ab alio Sacerdote; tunc enim intelligitur ab alio Sacerdote de licentia Parochi.

Habet autem S. R. C. 12 jul. 1704: *Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendæ de præcepto; potest tamen simplex sacerdos eas benedicere privatim et non solemniter.*

Diximus per se loquendo; observat enim Lorenzini: ad confusionem evitandam, ad ordinem conservandum, benedictiones a sacerdotibus simplicibus aut capellanis datæ, oportet ut sint singulares, privata, quietæ ac moderatæ; item caveant Sacerdotes, coadjutores maxime et capellani, ne parochianos a proprio Parocho avertant, ne turpe lucrum quarant, ne superstitionem aliquam foveant. Ex quo etiam patet, quare plura quæ etsi non de jure parochiali, attamen nonnisi a Parocho præstant fieri; id est vel quia id exigit consuetudo immemorabilis, vel lex Synodalis, vel conventio, vel bonum pacis. —

V. Benedictus XIV, *Notificatione* cv. — Ferraris, *Bibl. Canon.*, v^o B-nedictio. — Gardellini, *Collectio Decret.*, n. 4855. — Bouix, *De Parocho*, part. IV, c. xi. — Carli, *Bibliotheca liturgica*, v^o B-nedictio. — Maringola, *Antiquitatum christianarum institutiones*. Neapoli, 1858; lib. XI.

696. Q. 3. *Quid dicendum est de benedictione infirmis cum Sanctorum Reliquiis impertita?*

R. Rituale nullam mentionem facit harum benedictionum, quæ fiunt super infirmum; attamen pius et laudabilem usum nemo reprobatur; et nonnullæ Religiones formam habent, quæ si haberi non possit, ita fit: absolutis precibus a Sacerdote stola induto super infirmum juxta R. Rituale, benedicatur ei cum Reliquia in signum crucis dicendo: *Per intercessionem S. N. liberet te Deus ab omni malo, amen*: et dein Reliquia osculanda detur. Hic nonnulla advertenda: — 1. benedictionem quæ privatim tribuitur infirmo vel ejus indusio a Capellano stola induto vel domi vel in ejus Oratorio, hodie non interdici sive ex tacito Parochorum consensu sive ex usu inducto: at caveatur semper omnis abusus, omnisque modus indecens; — 2. quoad istas benedictiones reprobanda est illorum nimia facilitas, qui omnibus sine discretione ultro benedicunt, non jam bonum animarum curantes, sed turpem quæstum: sunt enim qui benedictionibus abutuntur. Sed etiam eorum reprehendenda falsa prudentia atque mundanitas, qui omnes et viva fide benedictionem petentes repellunt uti superstitiosos; — 3. etsi Sanctorum Reliquiæ sint deponendæ in Ecclesia, non autem in domibus privatorum detinendæ ex Nicæno Concilio; neque sint per laicos ullo modo tractandæ aut tangendæ ex Conc. Prov. Mediol.; attamen si agatur de Reliquiis parvis ac thecis inclusis, etiam privatis hodie usus concedi solet, et collo decenter gestari; — 4. recognitio Reliquiarum ad Episcopum pertinet etiam pro Ecclesiis Regularium; unde antequam publico exponantur, ab Episcopo Diocesis sunt cognoscendæ. Decenter autem vel in Ecclesiis vel in Sacriis custodiantur; item et diplomata, sigilla, fila quibus earundem veritas authenticæ, probantur. — V. Lorenzini, *Il rito, onde venerare le Reliquie dei Santi*. Piacenza 1760. — Boudon, *L'obligation que hanno i Pastori d'anime d'insegnare*, ecc., V. pag. 126. — H. Synodus Novariensis, pag. 57 et seqq.

697. Q. 4. *Quid de campanarum benedictione et usu?*

R. Campanæ benedici seu baptizari solent, quod quidem antiquum est et laudabile; non enim baptizantur quasi fidei ac gratiæ capaces, sed ut habeantur consecrata ad officia religiosa: quæ quidem officia sic exprimi solent:

Laudo Deum verum, plebem convoco, congrego Clerum, Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Non ego irridendus usus campanas pulsandi vel ipsa ingruente tempestate; instrumentum est ad hoc etiam ab Ecclesia benedictum. Quia tamen plerumque in iis pulsandis modus non observatur, imo tunc pulsantur magis, cum tonitru terræ vicinum est, ex quo facile (ut dicunt) evenire possit, ut vibrationes aeris fulmen attrahant, ideo hæc de re civiles leges emanatæ sunt ad modum ponendum. In Gallia habetur lex civilis 8 apr. 1832; in Lombardia Decret. 15 julii 1817; in Pedemontano Edict. 3 apr. 1822 (vid. Synodus Novariensis, pag. 564, ubi de campanarum sonitu et custodia turris). — Quoad campanas vid. Benedictus XIV, *Notificatione* xx. — Catalani, *Pontif. Romanum commentariis illustratum*. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*. — *Cattolico*, giornale Relig. Lugano, vol. XVIII, XIX, XXV, ecc. — Bellasio, *Il libro della S. Messa*: art. Campanæ. — Chateaubriand, *Génie du christianisme*. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Campana.

698. Vicarius Capitularis nequit sine pontificio privilegio benedicere paramenta; nam id est de potestate Ordinis; item neque campanas baptizare, et eas benedictiones facere quæ unctionem requirunt, etsi eas possit delegare alteri episcopo. Novas tamen cruces, primos lapides fundamentales ecclesiæ ædificandæ, novas ecclesias ac cæmeteria potest ipse benedicere, quia id quilibet sacerdos ab episcopo delegatus valet. Item et reconciliare cæmeterium vel ecclesiam pollutam (non tamen si prius hæc fuerit consecrata). — V. Marchetti, *Praxis Vicarii Capitularis*.

699. Non possunt benedici solemniter campanæ quæ solum deserviunt profanis usibus, v. g., ad horas solummodo indicandas; nam ut ex ipsa benedictione quæ habetur in Pontificali, colligi potest, campanæ benedicuntur in usum tantum ecclesiasticum, ut cetera vasa sacra, et ideo inunguntur, variisque cæremoniis consecrantur, fere ad eum modum quo consecrantur altaria. Ita S. Rituum Congregatio 17 sept. 1822. Benedictio campanæ est de necessitate præcepti ex Pontificali; minister autem hujus benedictionis est solus episcopus, cum sit res ordinis episcopalis utpote faciendæ cum sacris oleis; ideo inferioribus episcopis committi nequit, nisi ex speciali indulto Papæ (S. R. C. 19 apr. 1687); aqua semper ab episcopo benedicta. Hoc indultum in Novariensi Diocesi obtinet, ejus vi non tantum in ecclesiastica auctoritate constituti, sed et Vicarii Foranei, singulis tamen vicibus delegari possunt ab episcopo (dat. anno 1829).

700 Duo demum hic notamus quoad benedictiones in genere: — 1. in publicis benedictionibus et in iis omnibus quæ ab Ecclesia sunt designatæ, semper, ubi fieri possit, adhibeatur stola et cotta; *in omni*

benedictione extra Missam, sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur, legitur in Rituali (de benedictionibus regulæ generales). Dictum est nisi aliter in Missali notetur (vel in ipso Rituali); nam regulariter præscribitur stola alba, et aliquando violacea: Color enim albus, ait Gavantus, designat puritatem communicandam rebus benedicendis; violaceus autem adhibetur congrue in benedictione conjuncta cum exorcismis ad fugandos dæmones, unde ad aquam benedicendam eo colore utimur (V. Ferraris, vº Stola); — 2. in omnibus benedictionibus aliisque cæremoniis adhibeatur Rituale R. et alii ab Ecclesia adprobati libri, ut præcipit S. R. C. (V. dicta jam tom. I, append. 2, verb. Benedictio.)

701. Quia ergo (quæres) de pluribus qui circumferuntur libellulis ceteroquin piis, qui tamen plura referunt, de quibus tacet omnino Rituale prædictum, ut est, v. g., Il sacerdote provveduto, ecc.; Il moribundo confortato, ecc.?

R. Si illi libri nihil inusitati vel indigni habeant, sed pia referant, ut libri citati, et insuper præ se ferant ordinariam ecclesiastici superioris adprobationem (uti solet quoad cetera quæ in dies evulgantur opera), utique privatim usurpari possunt (v. g., ad dandam private benedictionem, ad assistendum et adjuvandum infirmum, moribundum, etc.) sicuti alii devotionis libri. Non tamen in sacra et publica liturgia, v. g., in administratione Sacramentorum, etc.; tunc enim non nisi ii adhibendi, qui in omnibus sint consoni ac per totum conformes cum libris liturgiis a Romanis Pontificibus probatis; qui proinde indigent speciali declaratione vel inquisitoris, vel Episcopi aut ab ipso delegati, quæ fidem faciat de illa perfecta concordantia. Quod quidem sapiens præceptum miramur, nonnullos parvi facere; cum tamen omnino conferat ad liturgiæ uniformitatem, dignitatem, et sanctitatem tuendam; etenim ex historia constat, quod semel data licentia hac de re, ipsa pedetentim eo devenerit, ut indigna quæque, indecora, vilia, ridicula et absurda in sacros ritus irrepserint. Quæ porro lex cum fundetur in præsumptione periculi, ideo in omni casu obligat; est enim lata ad præcavendos abusus facile inolescentes, semel contraria doctrina admissa (V. tom. I, loc. cit.).

(K) Page 510.

702. « Veterum hæreticorum, nempe archonticorum, marcosianorum, valentianorum et quintilianorum doctrina, qua rejiciebatur Baptisma tanquam a malo principio inductum, jamdiu obsolevit. Hæretici

recentiores, lutherani et calvinistæ cum sectis quæ ex illis prodierunt, veritatem hujus Sacramenti ultro admittunt (attamen pervertendo ejus naturam). Si qui autem sunt qui illud rejiciant, increduli potius quam hæretici sunt, contra quos frustra ex Scripturis et Traditione pugnares. » Ita Perrone.

703. Triplex distingui solet a catholicis Baptismus juxta illum versiculum: *Baptismus reddunt et votum et sanguis et unda*. Videlicet *flaminis*, et est ardens desiderium suscipiendi Baptismus: sic dicitur quia fit per impulsum S. S. qui flamen dicitur. *Sanguinis*, et est martyrium hominis non baptizati pro Christo perpassum. *Fluminis*, et verum est Baptisma, quod Sacramentum est, et quod semper intelligitur, cum sine addito usurpatur Baptisma: imo ceteri non nisi istius vices supplent; unde dicitur, *unum Baptisma*: *unum* (ait Angelicus, lect. II, in cap. iv ad Ephes.) tum quia baptismata non differunt secundum baptizantes, sed a quocumque conferatur, uniformem virtutem habet; tum quia datur in nomine unius, scilicet Trinitatis; tum quia iterari non potest.

704. Ad ejus præstantiam indicandam Baptisma compluribus consuevere Scriptura et Patres designare vocabulis: sic dicitur *lavacrum regenerationis*; *illuminatio*; *sepultura*; *Sacramentum fidei*; *prima salutis tabula*; *janua Sacramentorum*; *sigillum*, *signaculum*, *obsignatio*, etc.

« Recordare, lector (ad rem Contensonius, disserens de nomine *sepulturæ* quo baptismus donatur) quod Baptismus sepultura est, qua mundo mortui cum Christo veluti sepeliuntur, dicente Apostolo (Rom. 6): *Consepulti sumus ei per Baptismum in mortem*. Ergo vita mortui, vita nobis sepulti ducenda est. — Sepultus separatur a societate, nullum habet cum viventibus commercium; ergo baptizatus a damnandis operibus debet omnino non vivere, nec cum peccatoribus fœdera iniquitatis inire. — Sepultis nulla spes est redeundi ad sæculi vitam; ergo baptizatus cum mundo et maxime mundi inimicitiam gerere capitalem, immortalem, implacabilem, et citra omnem restituendæ amicitia expectationem obligatur. — Sepultus est in loco oblivionis...; ergo baptizatus tametsi recogitare debeat annos suos in amaritudine animæ suæ, omnium tamen peccati incentivorum delere memoriam debet, ne iterum labatur in scelera, » etc.

Ex hoc patet quanta sollicitudine sit conservanda gratia et innocentia baptismalis, maxime in adolescentibus, ut per totam vitam illibata maneat. Ad rem ait Oberrauch: « Unde satis mirari, imo satis dolere nemo facile queat, quod ii, qui adolescentiam aut ex munere publico, aut ex privato officio curant, in explicando tanti momenti negotio tam segnes, et plerumque etiam nulli sint. Quasi vero præ omni

scientia, eruditione ac civilitate morum prima integritas non esset decus sine comparatione primum. Reliqua cuncta sine hoc adolescentem parum reipsa exornant; et ingentium insuper malorum occasiones sunt. Sed umbratica pro veris maxime curantur, et summis male neglectis, ingentes non raro conatus soli adolescentum ruinae proluunt (Staph, § 269). — V. Knoll, *De baptismo*, § 551: Usus doctrinae de Baptismo. — *Catechismus R.*, p. II, c. II.

(L) Page 519.

705. *Cur (quæres) aquam elegit Christus pro materia Baptismi?* Præter sapientem ejus voluntatem ratio esse potest, tum quia aqua est elementum omnibus obvium; tum quia inter effectum aquæ in corpore et effectum Baptismi in anima adest optima analogia. Sic aqua corpus lavat et sordes abstergit, et gratia Baptismi maculas abluunt animarum, Aqua calores ardoris attemperat, et gratia Baptismi passionum moderatur æstus ac castigat. Aqua omnia fecundat, et Baptismi aqua irrigatus animus fit hortus amoenissimus. Aqua sedat sitim quæ est appetitus frigidi et humidi, et gratia Baptismi omnia cordis nostri desideria celestibus implet. Ita Contenson, *Reflexio ubi de necessitate Baptismi*. Quænam autem aquæ quantitas requiratur ad valorem Baptismi, dicimus tantam generatim requiri, quanta sufficiat, ut corpus dicatur vere ablu. Communiter aiunt Concina, Layman ac Tournely non sufficere unam vel alteram guttam, præsertim si gutta non fluat; verum tenent probabilius Elbel et Holzman id dubium esse. Ceterum si baptizans motu digiti malefacti statim ablueret partem corporis baptizandi, commune est cum Anacleto, Coninchio, Filiucio aliisque valere Baptismum; quia tunc ipsa aqua revera fluere: quod tamen nonnisi in necessitate fiat.

706 *Quidnam (quæres) si quis ad baptizandum puerum ipsum proficiat in flumen, formam Baptismi pronuntians?* R. Alii negant valere talem Baptismum; quia contactus aquæ non fieret a ministro, sed a corporis mole: alii affirmant, quia jam hic omnia concurrunt: materia, forma, intentio et actio ministri. Utrumque est probabile. V. Deus. Quidquid sit, dicimus nunquam fas esse infantem, quamvis mox decessurum, in flumen projicere, quia nunquam fas est innocentem directe occidere ex illo Scripturæ (Exodi 23): *Insontem et justum non occides*.

Communiter tamen cum Laymano dicunt utique licere aqua nimis frigida (si alia haberi nequit) puerum baptizare mox moriturum; licet timeatur ex hoc mors acceleranda. Quia mors non eveniret, nisi per

accidens: cum talis actio per se tendat ad abluionem. V. Liguori, *Opus. Mor.*, l. VI, n. 106.

707. Certe invalidum est Baptisma, si quis verba proferens supponat puerum alteri, qui aquam infundit; quia una et individua debet esse in Baptismo causa moralis, idem scilicet et qui aquam infundit et qui verba pronuntiat. Aliter esset, si quis puerum supponeret aquæ e tecto decidenti: tunc enim, cum hic solus moraliter operetur, ipse in veritate dicitur abluere.

(M) Page 521.

708. « Croix hoc advertit circa praxim, nempe ut statim post mortem matris aperiatur os ejus, ut si proles vivit, non suffocetur. Ait Cangiamila cum Possevino, Gobat, etc., peccare graviter parentes, qui negligunt efficere, ut fiat incisio; et etiam chirurgos qui illam negligunt vel differunt... Præterea dicit, quod si alter reperiat, etsi non chirurgus, qui vires habeat faciendi incisionem, tenetur illum operari. » Ita Liguori, *Homo Apost.*, tr. XIV, n. 9: et tenetur curare parochus, ut talis fiat incisio (matre certe mortua), si spes aliqua effulgeat salvandi infantem illumque baptizandi. Ceterum ad prospiciendum infantibus valde præstat, ut consulatur laudatus Cangiamila in sua *Embryologia sacra*, quæ adeo commendatur a Beneficentia XIV, *De Synodo Diæc.* — It. vid. ejus *Compendium*, auctore Dinonart: hoc Compendium habetur etiam in *Biblioth. sacra*, sive *Dictionnaire universel des sciences ecclésiastiques* des PP. Ricard et Giraud, v. XXI. — It. apud Bouvier, in *Supplemento*: Dissertatio in 6 Decalogi præceptum, etc.

Hic tria ponimus quæ non parum conferunt ad praxim.

709. a. Casus: *Igne casualiter applicato domunculæ Sabæ, quæ recenter parturit, Venantius parochus parum distans illico fuit accersitus, ut iret ad ibi baptizandum infantem, et dandam abluionem mulieri ab omnibus derelictæ, nec potenti a lecto surgere. Is tamen ob rationabilem metum mortis noluit illuc intrare, quamvis adesset tempus et se conferendi, et prædicta agendi; an talis ommissio sit graviter peccaminosa?* Affirmative cum D. Thoma, Suarez et aliis communiter; tenetur enim ex justitia non solum cum probabili, verum etiam cum certo periculo suæ vitæ corporalis consulere necessitati spiritali suorum parochianorum. Et sane si ordo charitatis postulat, ut unusquisque in extrema necessitate spiritali proximi sui, potens ei succurrere, illi succurrat etiam cum certo peri-

culo vite propria, ut ex mente SS. Augustini et Thomæ de communi sententia testator Sporer; quanto magis ad id tenebitur parochus, cujus sunt oves propriae, et qui ad hoc alitur, ut de iis quæ nedum necessaria sunt, verum etiam utilia, ad spiritualem salutem, suis parochianis provideat: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (inquit summa veritas Christus, Joan. 5); et I Joan. 5 legitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus (nota istud verbum debemus) pro fratribus animas ponere.*

710. b. Plurimum facit monitum Debreyne, in Op. *Essai sur la théol. morale*, si illud præ oculis habeant maxime obstetrices, quas ideo præstat prudenter talia edocere: « Souvent dans les accouchements difficiles et prolongés, les enfants naissent dans un état de mort apparent, sans sentiment, ni mouvement, ni pouls, ni respiration; ils sont ordinairement faibles et pâles, c'est ce qu'on appelle *l'asphyxie des nouveaux-nés*. Après avoir baptisé l'enfant sous condition, on cherche à le ranimer par tous les moyens que l'art et la raison peuvent suggérer. On attend quelque temps avant de couper le cordon ombilical; on ne le coupe qu'après avoir fait la ligature. On place l'enfant devant un feu clair et flamboyant; on le plonge dans un bain tiède que l'on rend plus ou moins excitant avec un peu de vin, d'eau-de-vie ou de fort vinaigre; ou l'on fait sur tout le corps et surtout sur la région du cœur et sur l'épine dorsale, des frictions aromatiques et toniques avec du vin aromatique, de l'eau-de-vie ou autre liqueur spiritueuse ou simplement avec des linges chauds et secs; on frictionne les tempes, le front, le pourtour du nez avec de l'eau de Cologne, de l'alcool, du fort vinaigre ou un peu d'éther; quelquefois des aspersions d'eau froide ont ranimé les enfants presque subitement, comme les adultes en état de syncope. On irrite l'intérieur de la bouche ou des narines avec les barbes d'une plume dont on se sert en même temps pour retirer de l'arrière-bouche, de la bouche et des narines, des glaires ou des mucosités filantes qui les obstruent plus ou moins. On presse doucement la poitrine et le ventre, afin de provoquer le mouvement respiratoire et le jeu du diaphragme.

« Dans les cas où ces différents moyens sont sans effet on a recours à l'insufflation de l'air dans les poumons. A cet effet on peut se servir d'un tuyau de plume que l'on introduit dans la bouche ou plutôt dans une narine; on y souffle de l'air avec la bouche, et on ferme en même temps l'autre narine et la bouche de l'enfant, afin que l'air insufflé ne sorte pas par ses ouvertures; on peut aussi souffler directement dans le larynx en arrière contre la colonne vertébrale, afin d'aplatir l'œsophage et d'empêcher l'air de pénétrer dans ce conduit. » V. Dens.

711. c. « Dans le cas (ad rem Gousset) où il n'y aurait ni médecin, ni chirurgien, ni une autre personne capable de faire l'opération césarienne, le curé ou un prêtre quelconque peut-il être dans l'obligation de la faire? Nous ne pensons pas qu'il y soit obligé; cette opération ne convient pas au caractère du prêtre, et il s'exposerait d'autre part à être poursuivi par les magistrats. » Goussetio assentitur Baltimorensis Archiepisc. Kenrick; id enim horrorem plerisque incuteret et forsitan absque ullo fructu, nam præter quam quod incisio fieri debet statim, peritissimum chirurgiæ hominem exigit hæc difficilis operatio, etiam in matre mortua. Dein proseguitur:

« De sectione cæsarea præstat audire S. Alphonsum: *Illic omnino puto distinguendum; nam respectu ad chirurgum, dico tunc eum posse incidere matrem, si periculum mortis illius sit remotum, secus si proximum aut probabile; sicut enim illicitum est occidere matrem ut puer baptizetur (ut vidimus cum communi ex D. Thoma), sic etiam non licet matrem probabili periculo mortis exponere: quod periculum non video quomodo vitari possit in tam gravi incisione; videant periti. — Respectu vero matris an ipsa teneatur incisionem pati, dico quod si periculum ejus mortis sit probabile, ipsa non tenetur nec potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere: tantum potest et teneretur illam pati, si chirurgus sine suo consensu (ipsa omnino negative se habente) incidere et spes probabilis adesset prolem fore baptizandam, ac mors matris non esset certa; nam in dubio utriusque probabili, tenetur ipsa vitam spiritualem prolis vitæ suæ temporali præferre. Si autem sua mors sit certa et salus prolis dubia, non tenetur ipsa vitam certe amittere (Op. Mor., l. IV, n. 406). Non videtur igitur expedire, ut sacerdos consulat incisionem que tantum vitæ secum affert periculum.*

« *Quid autem faciendum, dum novit chirurgum in animo habere fœtum, forcipibus adhibitis, extrahere; vel in utero extinguere, pharmaco dato, ut matris servetur vita?* Equidem quum utrinque periculum sit, puto haud oportere se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere; nil enim proderit, et in se mortis matris suscipiet odium. Plerisque quidem chirurgis videtur fœtus non possidere plenum jus ad vitam, donec utero egressus sit; eum scilicet veluti partem matris habent, quæ cum ipsius morte non est servanda; imo tanquam aggressorem in matris vitam tollendum censent.

« *Quod si chirurgus quid liceat, petat, nescio quomodo vita fœtus tolli absque culpa queat. Si mater petat quid sibi faciendum sit, videtur dicendum oportere chirurgum orare ut vitæ fœtus, omni qua possit ratione consulat. Studio laudabili medicis suasit Joannes Barry me-*

dicus, ut rem hanc juxta sanctissima principia tractent. » Ita clariss. Archiep. in suo Opere, *Theol. Moralis*, vol. I, tr. III, c. IX, § 3.

(A) Page 523.

712. *Quid* (inquit) *si quis Baptisma administret in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque?* Baptismus hujusmodi saltem ut dubius habendus est ex S. Thoma; nam hic assumenda sunt illa nomina, quibus communis consueverunt nominari Personæ. Item merito aiunt, si loco *Filii* dicatur *Jesu Christi*; licet enim Jesus Christus noscatur esse Filius Patris, tamen id non satis exprimitur. Item dicunt de hac formula: *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis, aut in nomine trium divinarum personarum*: est invalidum, vel saltem valde dubium; nam in tali forma non satis distincte exprimuntur singulæ personæ SS. Trinitatis, uti voluit Christus (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 5).

Quid (addes) *de Baptismo dato in solo nomine Christi Jesu?* Nemo illum hodie uti validum habet; deest enim præscripta illa trina personarum invocatio, de qua in Evangelio, in Patribus et Tridentino. Neque obstant ea Scripturæ verba: *In nomine Christi baptizabantur viri* (Act. 8); communis interpretes ibi pro nomine Christi intelligunt Baptismum a Christo institutum ad differentiam Baptismi Joannis; et hæc videtur vera sententia. Hinc cum Apostolus discipulos quosdam interrogasset an accipissent Spiritum sanctum, et ipsi respondissent se neque si Spiritus sanctus sit audivisse, subjungit: *In quo ergo baptizati estis?* (Actor. 2.) Unde ait Billuart, D. Thomam, qui docet Apostolos sic baptizasse ex speciali Christi revelatione, hypothetice potius fuisse locutum. V. *Bible de Vence*, t. VI, *Dissertation sur le Baptême au nom de Jésus-Christ*. — Calmet, *Dictionar. Biblicum*, vº Baptismus. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 12.

Baptismus ab obstetrice collatus sub forma: *Mi te abattezzo in nome del Padre e del Figliuolo dello Spirito Santo*, dubius est, tum propter omissionem *et*, tum propter verbum de novo inventum *abattezzo*; ideoque reiterandus sub conditione. S. C. C. 12 maii 1755.

Baptismus infanti collatum ab obstetrice sub forma: *Io ti battezzo nome di Padre, di Figliuolo et dello Spirito Santo*, validum censuit S. C. C. 12 sept. 1801; cum non dubitaretur de fide regionis et proferentis, et inspecto vulgari proferendi usu, corruptio ex lapsu linguæ accidentaliter procedens non mutaret sensum substantialem formæ sacramentalis. Et idem videtur dicendum paritate rationis de

hac forma: *Io ti battezzo del nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo*.

Valet Baptismus, si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Filii et Patris et Spiritus Sancti*, licet etiam præponendo Filium velit significare hunc esse principium Patris; nam aliter ex se sonat nomen Patris. Neque error internus ministri præjudicat valori Sacramenti. — Excipe si cum mente hæretica ita variatur forma, ut etiam exterius alium sensum verba habere possint, quam Christus intendit: tunc vera Ecclesiæ intentio perversa esset, ut si quis diceret *Spiritu Sancta*, intendens tertiam Personam esse muliebrem.

Item esset invalidus, si quis adderet in fine ad nomina trium Personarum nomen *Beatæ Virginis* intendens Baptismum conferre in nomine B. Virginis, sicut in nomine Trinitatis; quia perverteretur vera Divinitatis confessio (secus si hoc adderet ex importuna devotione). Vel si omittat particulam *te*; quia non determinaretur Baptismus. Vel si omitteretur *ego te baptizo*, idque ex propositione ab Alexandro VII damnata sub n. 27; nil enim significaretur.

Utrum vero possit illud *et*, quod præponitur tertiæ Personæ, omitti, alii affirmant; quia sic etiam est usus. Verum videtur id in nostro casu non posse, secus non haberetur Personarum realis distinctio. Nam Spiritus Sanctus genericè loquendo tam competit Patri, quam Filio; ut ergo fiat distinctio, illa particula videtur necessaria. — Tamburini, *De baptismo*, l. II, c. 1, plures alias refert et discutit formulas.

Cum in fine formæ baptismi, quæ traditur cap. 1, *de bapt.*, ab Alexandro III, addatur vox *amen*; theologi morales cum Bonacina, Soto, Salmanticensibus, Vasquez, Vivaldo, Filliucio, Henriquez, Coninchio, Leandro, Chamerota, Dicastillo, etc., canonico jure sistentes, illud *amen* omittere veniale dicunt. Attamen cum hæc vox (quæ legebatur etiam in omnibus antiquis fere Ritualibus teste Martène et Catalani) non reperitur hodie in Rituali R. emendato nedum veniale sit illam omittere, imo incongruum esset illam usurpare: sed *strictim in casu servetur Ritualè Romanum*, ut respondit S. R. C. 9 jun. 1855.

713. *NOTA.* Quædam hic de modo, quo Baptismus hodie conferunt hæretici: ex quo manifestum erit quam recte catholica Ecclesia illum reiteret saltem sub conditione, et in quot errores impingat qui Ecclesiam nostram veritatis columnam deserit, ut suo ducatur spiritu.

1. *Quoad Germanos*: « En 1845, à Zurich, plusieurs ministres protestants causaient dans une auberge et se moquaient de la superstieuse pratique du baptême, avouant chacun à leur tour qu'ils ne le conféraient qu'en apparence, pour satisfaire la bêtise de ceux qui croyaient encore à son efficacité. Une dame protestante, qui les entendit, en fut si scandalisée et épouvantée, qu'elle se rendit à Fribourg, et,

après s'être fait instruire dans la religion catholique, elle voulut recevoir le baptême sous condition. En 1848, en Allemagne, les partisans de l'Église libre du docteur Rupp, réunis en assemblée générale, votèrent l'abolition du baptême à la majorité des voix. La communauté libre de Halle l'a abolie tout à fait. Quelques-uns de ceux qui le conservent encore le confèrent sous cette forme : « Je te baigne au nom « de Jésus de Nazareth; » ou bien : « Je te baptise au nom de Dieu « et de la commune. » Un pasteur protestant déclarait, en 1847, à la seconde chambre de Bavière que, l'homme n'étant sauvé que par la foi, le baptême était un simple accessoire. — V. *L'Ami de la Religion*, 1845, 26 juillet; 1847, 26 juillet; 1844, 6 janvier. — *Amico Cattolico*, de Milan, 1846, XII^e vol. — *Annali Religiosi*, Rome, 1846, II^e série, vol. III.

2. *Quoad Anglicanos*: Non raro est ut pueri apud ipsos etiam sine aqua baptizentur. Ceterum en quomodo hisce nostris temporibus vel ab ipsis Episcopis confertur Baptisma, prout refert *Civ. Catt.*, ser. II^a, vol. I: « Le ministre range autour de lui les enfants à baptiser. Puis, pour abrégé, il trempe son doigt dans l'eau, en jette en l'air une goutte qui tombe où elle peut, et dit: *Je te baptise, etc.*, une fois pour toutes et au singulier, bien que les enfants soient huit ou dix. Il faut qu'on le sache. Pour moi, je le tiens d'un presbytérien écossais. Et pourtant l'Écosse, dit-on, est le pays où le baptême est le mieux administré de tous les pays protestants. » V. *Annali Religiosi*, ser. II^a, vol. I, pag. 446.

Diximus: quo hodie conferunt; plures etiam antiquorum hæreticorum hic errarunt, ut videre est apud Knoll, *Inst. Theol.*: de forma Baptismi; et Klee, *Storia de dogmi*, vol. II. Sic Gnostici baptizabant in nomine ignoti patris universorum, in veritate omnium matre, in eo qui in Jesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum. Montanistæ in Patrem, Filium, Montanum et Priscillam. Eunomiani in mortem Christi, etc. Alii in nomine Dei et sanctæ crucis. Alii in nomine Domini; alii aliter.

(O) Page 526.

714. Q. An duo possint simul unum baptizare?

R. Si quilibet intendit agere independenter ab alio ut causa particularis et individua, validus est Baptismus; quia adsunt omnia requisita, ut patet a simili in Ordinatione, qua Sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo (qui tamen primus formam complet, ipse solus baptizat, ut patet). Nec traderent aliud et aliud Sacra-

mentum, ait Angelicus; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum per utrumque conferret. Hoc tamen, ut patet, erit graviter illicitum, nisi forte excuset præcipitancia aut timor, ne infans non tinctus deeedat.

Si vero unus intendit agere dependenter ab alio, ut causa communis et simultanea, tunc invalidus Baptismus tam si dicat: *Ego te baptizo*; quam si dicant simul: *Nos te baptizamus*. Nam, ut ait idem Angelicus, homo non baptizat, nisi ut minister Christi et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus; ita oportet unum esse ministrum, qui Christum repræsentet (3 p., q. 67 a. 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 120).

715. Sed quid (quæres) si unus plures baptizet eodem tempore? Illicite extra casum necessitatis plures eodem tempore ab uno baptizantur; nam Rituale R. formam illam: *Ego vos baptizo*, ad plures simul directam reprobatur, nisi adsit mortis periculum: nec tempus sinat, ut singuli separatim baptizari valeant. Valide tamen, neque enim sic agendo diversificatur forma necessaria; nam plurale est singulare geminatum. Unde sic agere est contra usum, contra præceptum Ecclesiæ, ac Sacramenti dignitatem; non vero erit contra substantiam (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 29).

716. *Polestne* (addes) *quis seipsum baptizare*? Nec licite nec valide potest quis se baptizare; tum quia persona baptizantis diversa esse debet a persona baptizanda; tum quia Baptismus, cum sit spiritualis generatio, imitari debet naturam, in qua quidem nemo se gignit (Ex c. iv *De bapt.*).

(P) Page 540.

717. Anno 1858 quædam famula christiana Bononiæ baptizaverat Edogardum Mortara infantem hebræum in mortis articulo constitutum, qui postea convaluit. Cum id resciverit Congregatio S. Officii juxta canonicas sanctiones filium jam tunc septennem a patris seductione subtraxit, ut christiane educaretur. Multorum hinc excitata murmura, qui temerè prorsus obloquentes Ecclesiam incusarunt de patrio jure violato. At dicant: « Doit-on remettre à un père juif son fils chrétien, en sorte qu'abusant de l'autorité paternelle il puisse le faire apostasier? La question étant ainsi posée, il suffit d'un peu de bon sens et de foi pour répondre qu'on ne le peut pas, qu'on ne le doit pas et qu'il y aurait une véritable cruauté à agir ainsi; surtout lorsque (ut in præsentis casu) l'enfant est assez éclairé pour distinguer le danger qu'il va

courir et qu'il implore aide et protection... Est-ce que la loi civile n'a pas réglé qu'il fallait soustraire son enfant à un père dénaturé, afin d'en garantir les jours? Pourquoi donc serait-il injuste de faire en faveur de la vie éternelle d'une créature humaine, ce qui serait parfaitement juste pour sauvegarder sa vie temporelle? » Utique gravissime prohibentur hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari; at semel valido, etsi contra vetitum, baptismo collato, jus enascitur in Ecclesia in illos infantulos; est quasi semen, quod e manu furtiva cecidit in alterius campum, quod quidem crevit in arborem, quique non potest pertinere, nisi ad dominum ipsius campi.

« Supposé que l'enfant est baptisé, la question de savoir s'il faut le laisser à son père israélite équivaut à ceci : Un enfant baptisé doit-il être chrétien ou juif? Car, en définitive, il sera ce que son éducation l'aura fait. Cela est si vrai, que lorsque l'Eglise a pu avoir la certitude morale de la cessation du danger (de séduction paternelle), elle s'est rarement opposée à la réunion du fils chrétien à son père israélite. » Falsum autem quod hic paternum jus violetur; sed jus quod minus est (jus humanæ paternitatis) superatur a jure majore (a jure paternitatis divinæ) quod e baptismo exurgit : « S'il était moralement certain que le maintien intégral des droits de celui qui a engendré l'enfant à la vie terrestre dût avoir pour résultat de méconnaître et de fouler aux pieds les droits de celui qui l'a régénéré pour le ciel, il ne faudrait qu'un peu de foi et de sens commun pour comprendre auquel de ces deux droits appartient la prééminence... Sur quel autre principe donc s'appuie, nous ne dirons pas toute la raison pénale, mais ces réquisitions impitoyables qui arrachent la jeunesse aux douceurs du foyer et aux caresses des parents, non plus pour les placer dans des collèges, mais pour les envoyer au loin affronter le yatagan des Kabyles dans les déserts brûlants de l'Afrique ou le canon des Russes dans les steppes de la Crimée? » En casus noster non absimilis, imo fortior.

Dura forsàn alicui videri poterit hæc doctrina; attamen vera est. Et hic verificatur illud Christi : *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam* (Math. 10). — Sed quomodo hoc concordare potest cum illo Decalogi : *Honora patrem tuum?* Resp. concordat plane; audiatur Gregorius M. (Homil. 37 in Evang.); *Utrumque agere per discretionem valemus, ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt et quos proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus.*

Ita in Diario, *La Civiltà Cattolica*, serie III, vol. XII : art. Il piccolo neofito, Edgardo Mortara. — V. *Armonia*, 15 magg. 1860. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Hebræus, Neophytus, — *Prælectiones*

juris canonici habitæ in Seminario S. Sulpitii. Parisiis, 1860; t. II, part. II.

(Q) Page 541.

718. Catechumeni sic dicti a verbo græco *catechizô* idem significante ac viva voce prima elementa docere : unde *catechismus*, *catechesis* et *catechistæ* ii intelligebantur homines, qui a Catechistis erudiebantur, et ad Baptismum præparabantur. Triplicis gradus distinguebantur, ut communius docent præsertim P. Martène *de Antiquis Ecclesiæ ritibus* : audientes, electi et competentes.

Audientes : ii dicebantur qui Baptismum suscipere desiderantes, admittebantur ad catechismum ut elementa fidei discerent; ipsis permittebatur audire verbum Dei in Ecclesia et caeremoniis Missæ usque ad Offertorium assistere; tunc dicente Diacono : *Catechumeni, discedite*, egrediebantur : et ideo pars ista Missæ vocata est *Missa catechumenorum*.

Electi : vocabantur illi qui, absoluto catechumenatus tempore, per scrutinia reperi erant digni, ut ad gratiam Baptismi admitterentur : hæc scrutinia incipere solebant secunda Quadragesimæ hebdomada, et præcipue habebantur Romæ feria iv majoris hebdomadæ.

Competentes : qui sufficienter probati et capaces reperti, petebant et rogabant ut Sacramentum regenerationis sibi conferretur. Solemniter autem baptizari solebant in vigilia Paschæ aut Pentecostes. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Catechumeni.

Tempus catechumenatus varium fuit et a prudentia Episcoporum pendebat : primum statim conferebatur Baptismus iis, qui sufficienter instructi erant et credebant, ut constat exemplo Cornelii, eunuchi reginæ Candacis, trium et quinque millium una et altera die ab Apostolis baptizatorum : postea diversa statuta sunt tempora, v. g., octo vel etiam sex menses; attamen communius quadraginta dies.

Ritus autem instituendi catechumenos apud veteres situs erat præsertim in signo crucis, impositione manuum cum oratione, exorcismis, insufflatione in faciem, tactibus sputi in nares et aures, Olei sancti unctione in pectore et scapulis, etc. Nunc caeremonia catechumenatus fit immediate ante Baptismum, uti in Rituali.

719 An (quæres) *baptismo adulatorum præmitti debeat confessio sacramentalis?* Negative, quia peccata ante baptismum commissa non sunt materia sacramenti poenitentiae; neque homo nondum baptizatus illius est capax subjectum. Attamen ex D. Thoma adulti antequam baptizentur utiliter confitentur, non quidem ad absolutionem, sed ad

humilitatem, ad instructionem, etc., prout olim erat in usu non solum apud Tertullianum (*de baptis.*), sed etiam in Actis Apostolorum (c. xix, v. 18): quanquam hæc confessio verosimilius erat generalis et publica. — Item neque ad confessionem tenentur tales adulti statim a baptismo; quia per hoc jam ablatum est *totum id quod veram et propriam peccati rationem habet*, ut ait Tridentinum (sess. v, c. v, *de pecc. orig.*). Item neque in Baptismo adultorum adjungi debent opera satisfactoria, cum baptismus remittat omnem culpam et poenam. Bouvier, Dens, cum D. Thoma.

Quid (quæres) si quis adultus suscepto baptismo, neget se veram intentionem habuisse? Cum fieri possit ut ipse in actu veram intentionem habuerit, diabolicis exinde stimulis incitatus ad vomitum rediturus proferat mendacium, ideo iudex ecclesiasticus sit cautus; clamores aspernetur, respuat juramentum, nisi circumstantiæ antecedentes et subsequentes sint inconcussæ. Si plenissime constet non adfuisse sufficientem intentionem, hortetur hominem illum, ut rite faciat, quod jam irritum fecit; si obstinate repugnat, tunc nihil aliud superest nisi ut remittatur. Si autem res in dubio remanet, non est dimittendus, quia de facto potest esse revera baptizatus; sed refinendus et sub conditione baptizandus. Benedictus XIV, *Instruct. Postremo.*

NOTA. Augustæ Taurinorum (et alibi) Hospitium Catechumenorum erectum est, in quo recipiuntur acatholici pauperes, ut in vera fide instruantur; ad quod quidem sustinendum non pauca subsidia necessaria sunt. Qui porro eleemosyna ad insignem atque adeo laudandam misericordiæ operam concurrat quantam mercedem non merebitur? hic modica pecunia erigit qui sedent in tenebris et umbra mortis, et illos facit videre lumen cœli; ideo nihil dignum potest esse tanto beneficio, nisi regnum cœli: qui fratris animam salvat, animam suam prædestinat. Nostræ igitur regionis parochi ac concionatores summopere curent hortari fideles, ut quomodo potuerint, ita sint misericordes; qui enim miseris succurrit, præmium bonum sibi thesaurizat in die iræ.

(R) Page 544.

720. Per Baptismum omnia omnino remitti peccata et originale et actualia negant hæretici eorumque sectatores, sic nempe ratiocinantes: *Per Baptismum non tollitur concupiscentia; atqui concupiscentia est peccatum.* At non nisi esse potest hæreticorum doctrina, concupiscentiam vere esse peccatum; et sane ea a Melanchthone suorum omnium nomine sic tradita est: *Scholastici (nempe Catholici) dixerunt*

concupiscentiam non esse peccatum, sed tantum poenam, et vocarunt fomitem; nos dicimus et poenam in rea natura et peccatum esse. Sed contra eos Tridentinum declaravit: *Manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet* (sess. v, can. v).

Quidquid est contra legem (instabilis) peccatum est; atqui concupiscentia est contra legem: lex enim arguit non tantum consentire vel ire post concupiscentiam, sed ipsum concupiscere. Hæc Calviniana argumentatio facile refellitur: quidquid est contra legem *voluntarie et libere*, peccatum est, concedimus; quidquid est contra legem *nec libere, nec voluntarie*, peccatum est, negamus. Concupiscentia, porro quia non est in nobis libere et voluntarie, per se peccatum esse non potest, nisi velimus admittere peccata necessaria, quod est absurdum. *Tribus modis* (ait Bellarminus) *concupiscentiæ reatus intelligi potest: 1. dici potest reatus concupiscentiæ reatus ille, qui ab ipsa oritur et in ipsa fundatur, ita ut reus sit qui ipsam habet, quia ipsam habet;... 2. dici potest reatus concupiscentiæ is, quo ipsa facta est, non quem ipsa facit;... 3. dici potest etiam reatus concupiscentiæ is, quem ipsa facit si pertrahit ad consensum, ut non sit proprie homo reus, quia concupiscentiam habet; sed quia concupiscentiæ edit* (De amiss. grat., l. V, c. xiii).

Si ita est, quomodo (addes) Paulus concupiscentiam appellat peccatum? Concupiscentiam appellat peccatum non quasi vere, et proprie peccatum sit; sed metaphorice, id est per figuram, quam rhetores vocant methonymiam, cum nempe effectus ponitur pro causa: sic dicitur *pallida mors, morbi pallentes, tristis senectus, ira præceps.* Vocavit Paulus concupiscentiam *carnis peccatum* (ait theologus Vega, qui Tridentino interfuit) *quia effectus est et pœna peccati, vel certe quia trahit et invitat ad peccatum; non vero quod eam crediderit proprie esse peccatum, id est divini transgressionem mandati; hæc est expositio a Patribus in hoc Concilio Tridentino* (de Justif., l. XI, c. xv). Idque Concilium expresse declaravit iniquens: *Ecclesiam catholicam numquam intellexisse concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat; et si quis contrarium senserit anathemate damnat* (sess. 5, can. 5).

Hæc (dices) vera erunt, si sermo sit de peccato quod conjunctum habet reatum, sive imputationem et damnationem. Quid si loquamur de peccato, quod sit sine ullo amplius reatu, sine ulla imputatione et damnatione, quia hæc per Baptismum sublata sunt? Revera Tridentinum verba protulit de peccato quod est mors

animæ, uti legere est in canone secundo sessionis quintæ. Hæc fuit quidem contentio ab hæreticis in dicto Concilio proposita; concedebant nimirum Lutherani et Calvinistæ per Baptisma deleri penitus reatum et imputationem peccati originalis; sed simul contendebant ipsum peccatum adhuc in renatis manere, licet sine imputatione et damnatione: *Peccatum remittitur in Baptismo* (inquirebat Lutherus) *non ut non sit, sed ut non imputetur.* Et Calvinus: *Tametsi* (renati) *adhuc a peccato teneantur obsessi, mortis tamen potestati jam exempti sunt, et omni maledictioni.* — Sed contra illos Tridentinum definivit: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, asserit non tolli totum, id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum non imputari, anathema sit.* Futilis autem, ne dicam ridicula est exceptio, qua dicitur Concilium eo in loco loqui de peccato quod est mors animæ; duplex enim Concilii definitio distinguenda est pro duplici hæreticorum errore profligando in sessione quinta. Quidam nempe tradebant Adæ prævaricationem ipsi soli nocuisse, et non ejus propagini; vel saltem ejusdem inobedienciæ peccatum mortem quidem et pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, sed non peccatum, quod est mors animæ. Contra hos Tridentinum sic definivit canone secundo: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse... aut inquinatum illum per inobedienciæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animæ, anathema sit.* Lutherani vero et Calvinistæ distinguentes in peccato reatum inter et actum concedebant per Baptisma tolli utique peccati reatum sive imputationem et damnationem, sed contendebant peccatum ipsum remanere actu: istos quoque damnavit Concilium canone quinto, his verbis: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur... asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantummodo radi aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus.* Ergo cujuscumque peccati nomine concupiscentiam appellent adversarii, in damnationem Concilii semper incidunt.

Verum (instabis) *nonne Augustinus expresse docuit: Peccatum originale post Baptisma transit reatu, sed remanet actu?* — Fuit hæc petulantissima Lutheri assertio, quam sic refellit Bellarminus: *Lutherus crimen falsi commisit; nunquam enim sanctus Augustinus dixit peccatum in aliquo esse, sed non imputari, vel actu manere, reatu transire. Neque enim tam stupidus erat ut non inteligeret, reatum a peccato separari non posse, cum in eodem libro scripserit: Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati* (de

nupt. et conc., c. xxvi). *Loquitur igitur sanctus Augustinus de concupiscentia, eamque dicit in renatis non esse peccatum, non imputari, nec reos facere, licet maneat quoad actum; quia non cessat prava desideria excitare* (De amiss., l. V, c. xiiii). — V. *Annali Religiosi*, ser. 2, vol. VII, pag. 445: il caso di Gorham.

(9) Page 559.

721. Neque obstat dicere, quod confirmare est actus Ordinis; delegatio enim hac de re est actus jurisdictionis, quam quidem, renuente Pontifice, non habent Episcopi, ut tradit Benedictus XIV (*De Syn. Diœc.*, l. VII, c. vii et ix). Hinc versus illi:

*Chrisma nequit validum simplex conferre Sacerdos,
Ni sibi donetur per Papam tanta potestas.*

Quod ut plenius intelligatur, sciendum non unum esse usum in orientali et occidentali Ecclesia hac de re: « Exploratum est (ad rem Perrone in suo *Compend.*) ex certissimis documentis, quæ proferunt Morinus, Lupus, Holstenius, Goarius, ac Renaudot us, ab immemorabili consuevisse Episcopos græcos et orientales demandare Presbyteris munus administrandi hoc Sacramentum, qui mos apud ipsos adhuc perseverat, « tacita saltem conniventia rom. Pontificum, ut loquitur Benedictus XIV (*De Syn.*, l. VII). Quod vero spectat ad Ecclesias occidentales distinguendum est jus antiquum a jure novo, quod a pluribus sæculis obtinet. Juxta antiquum jus constat ex documentis a Morino prolatis in *Ex recitat. de Sac. Confirmat.* atque a reliquis fundatis auctoribus, potuisse Episcopos etiam in occidentali Presbyteros ad consignandum delegare. Nunc vera hæc delegatio soli rom. Pontifici reservata est pro occidentalibus Ecclesiis, ita ut irritum sit, si, illa non interveniente, Presbyter consignaret. Numquam vero factum est, secus ac contenderint Morinus, Holstenius ac Sirmoodus, ut hæc facultas delegaretur Diaconis. Verba enim Innocentii I, epist. ad Decentium, quibus isti inniuntur pro hac assertione, de sola manuum impositione super energumenos, intelligi debent. » — V. Liguori, *Opera dogmatica*, sess. vii, c. iv.

Quomam jure (inquires) *de fide credendum est, Episcopos esse solos ministros ordinarios Confirmationis?* R. Tridentinum unice definivit Episcopum esse ministrum ordinarium hujus Sacramenti, nec esse communem cum presbyteris hanc quam ipse tenet facultatem; at non declaravit quo jure, divino an ecclesiastico id Episcopo competat. Hinc disputant theologi; alii cum Charmes contendunt id esse de divina

prorsus institutione; neque enim tempus adsignari potest quo hæc ordinaria potestas ab Ecclesia fuerit Episcopis tributa; præterea si Ecclesia illam dedit, potest etiam auferre, et sic dogma mutationi subjiceretur. Alii vero docent cum Trombellio hoc esse juris tantum ecclesiastici; idque dicunt magis traditioni conforme; neque enim satis intelligitur quare possint ab Ecclesia deputari extraordinarie ad conferendum hoc Sacramentum etiam presbyteri, si a Christo unice tantum sunt designati Episcopi. *Perrone, Knoll, etc.*

Dices: *Nonne Ananias manus imposuit Saulo, qui illico repletus fuit Spiritu sancto (Act. 9)? Volunt autem Ananiam laicum fuisse: ergo etiam laicus potest conferre hoc Sacramentum.* — R. Manuum impositio non ad solam Confirmationem adhibetur; videmus enim illam usurpari ad impetrandum, ad curandum, ad consecrandum, etc. Porro Ananias manum imposuit Saulo, ut visum reciperet, et ut recepto (mediante baptismo quem ei statim contulit) impletur Spiritu Sancto, nempe gratia sanctificante. Illa enim manuum impositio, utpote facta ante baptismum, non potuit esse Sacramentalis.

722. Quare (quæres) confirmatus signatur signo crucis in fronte? *Primo quidem (ait perbelle Angelicus) quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum: inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegatur, et ideo limitur confirmatus Chrismate in fronte, ut manifeste demonstret se esse christianum; sicut et Apostoli post Spiritum S. acceptum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo: scilicet propter timorem et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt, unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. Et ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat (3 p., q. 72, a. 4).*

723. Episcopus graviter peccat, si vel aliena Diœcesi, vel sibi non subditos etiam in sua Diœcesi confirmet sine licentia: imo confirmans in aliena etiam subditos suos, incurrit ex Tridentino ipso jure suspensionem a pontificalibus (sess. vi de R., c. v). Valida tamen est Confirmatio, quia hæc ab Ordine dependet. Ceterum communius et probabilius censent licitum esse in propria Diœcesi alienos subditos confirmare, si præsumatur consensus eorum Episcopi, uti est etiam praxis ubique recepta, vi cuius semper præsumitur, nisi de contrario positive constet; semper enim præsumendum, Episcopos velle oves suas hoc Sacramento

minime privari; cum nullum incommodum ipsis proveniat. — Bouix, *De episcopo*, part. V, c. xvii.

Volunt nonnulli esse mortale collationem Confirmationis extra templum; cum id advesetur constanti Ecclesiæ consuetudini. Sed probabilius alii negant, cum talis consuetudo non videatur obligare sub gravi; obligatio autem levis evanescit, cum aliqua causa rationalis etiam levis existit. Sic enim habet Rubrica Pontificalis Romani: *Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco ex causa ad arbitrium Episcopi.* Semper autem licite confertur in domestico Sacello. Ad tempus vero quod spectat, quidquid sit de antiqua consuetudine, jamdiu penes nos usus obtinuit, ut Confirmatio conferri valeat quocumque die festivo vel feriali, et quocumque tempore. Et ideo hodie jejunium tam in confirmante, quam in confirmando de quo loquitur jus, communiter dicunt esse de consilio, non de præcepto: unde sæpe tale sacramentum confertur etiam post ipsum prandium (*cap. Ut jejuni, et Ut episc. de conf. d. 5*).

Præscribit autem Pontificale, ut episcopus induat amictum super rochetum (vel superpelliceum si sit religiosus) ac stolam, pluviale albi coloris, ac mitra et baculo utatur. Quæ omnia omittere verius mortale esset. Sufficit tamen ut baculus maneat publice expositus vel defineatur a Clerico. Imo declaravit S. C. sufficere quod episcopus sine mitra, sola stola adhibita super rochetum (vel superpelliceum si sit religiosus) confirmet. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 175 et 184.

Est autem notandum Episcopum, nisi eum moralis impossibilitas excuset, mortaliter peccare, si diu differat hoc Sacramentum ministrare, puta ad 8 aut 10 annos, saltem per loca præcipua; cum sit subditos ingenti honore privare: hoc valet maxime pro iis locis ubi juvenili ætate et patria commigrant, nonnisi serius redituri. — Quia tamen illud non est absolute necessarium, ideo difficillimum est tueri teneri episcopum illud ministrare peste laborantibus (ait Benedictus XIV) etsi præstet imitari S. Carolum, qui etiam illis tribuere curavit. — V. Benedictus laud. *de Syn.*, l. XIII, c. xix, n. 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 175.

724. In omnibus Sacramentis distinguuntur tria: *Sacramentum tantum*, et est illud quod significat; *res tantum*, et est quod significatur, seu effectus Sacramenti; *Sacramentum et res et est* quod significatur ab uno et significat aliud. Porro in Eucharistia *Sacramentum tantum* sunt species consecrate, quæ tantum significant animæ

refectionem; *res tantum est gratia; res et Sacramentum tandem est Corpus Christi, quod significatur a speciebus et gratiam significat.*

Reprobandi catechismi, ubi Eucharistia definitur: *Actio seu functio, qua manducatur Christi Corpus et bibitur ejus Sanguis, etc.*; si enim ea sita est in manducatione et potu, jam non erit in re permanente, sed in actione transeunte. Hæc fuit sententia Calvinii, qui (ut refert Tournely, *De Euch.*, c. iv, a. 2) dicit l. I *Inst.*, c. xvii, § 57: Eucharistiam esse *actualem actionem, qua manducatur Corpus et Sanguis bibitur Christi*. Item Berti, *De Theol. discipl.*, l. xxx, c. 1, ait: *Opinio eorum qui putant Sacramentum Eucharistiæ situm esse in sola consecratione, sive ut placet Calvinianis, in sumptione sacramentali (panis et vini consecrati) apertissime falsa est; et quantum ad secundam partem hæretica.* — V. it. Bellarminus *De Euchar.*, l. iv, c. 1.

725. Quæres: *In quonam sita est essentia Sacramenti Eucharistiæ?* R. Duae sunt sententiæ probabiles ac præcipuæ: prima cum Gonet, Salmanticensibus, Soto et aliis docet, quod essentia sive ratio hujus Sacramenti consistit in recto (sive essentialiter) in solis speciebus; Corpus autem Christi pertinet ad Sacramentum tantum in obliquo, id est tanquam quid extrinsece connotatum a speciebus. Probat ex Tridentino, ubi: *Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem D. N. J. C. anathema sit* (sess. xiii, can. 1); ergo si corpus continetur in Sacramento, sequitur quod species sint Sacramentum tantum continentes Corpus Christi, ne dicatur Corpus Christi contineri in seipso.

Secunda sententia cum D. Thoma, Continuatore Tournely, Suarez, etc., tenet Sacramentum Eucharistiæ consistere essentialiter æque in speciebus ac Corpore Christi; quia ex Corpore Christi atque ex speciebus unum fit Sacramentum. Christus autem continetur in Sacramento tanquam pars in toto, uti anima in homine; non vero tanquam aliquid extrinsecum a ratione Sacramenti; sicque intelligendos textus Tridentini. Confirmatur ex D. Augustino, qui docet hoc Sacramentum *duobus constare, visibili elementorum specie, et indivisibili D. N. J. C. Carne et Sanguine... sicut Christi persona constat ex Deo et homine* (Relatus in Can. *Hoc est* 48, dist. 2 de consecr. — V. Li- guori, *Opus Mor.*, l. vi, n. 190).

Contentit autem Bellarminus cum aliis totam rationem hujus Sacramenti salvari in sola specie panis aut vini seorsim sumpta; nam quælibet species habet rationem integri convivii, cum per concomitantiam sanguis veniant sub specie panis et contra. Sed probabilius Lugo, Tournely et alii negant; quia licet per concomitantiam Corpus Christi veniat sub specie vini et contra (quod sufficit ad totum assequendum

fructum Sacramenti); hoc tamen per accidens evenit, quia nunc sanguis non potest a corpore separari: sed non per se, nam si triduo a morte Christi Apostoli celebrasset, sanguis non venisset sub specie panis. Unde, cum sub altera tantum specie vi verborum et per se ponatur tantum corpus vel sanguis, non potest per se significari per alterutram speciem tota refectio cibi et potus. Et pro hac sententia videtur expresse stare D. Thomas (3 p., q. 75, a. 2).

(U) Page 578.

726. a. Contra ipsum *transsubstantiationis* nomen insurgunt hæretici, contententes nempe illud prorsus esse novum et veteribus inauditum. At frustra, et 1. etiamsi ita esset, nemo tamen vetat, quominus Ecclesia ad novas hæreses præfocandas novis interdum utatur nominibus, ut ita dogmata antiquissima firmiter conserventur; — 2. falsum est nomen ipsum fuisse veteribus inauditum; refert enim Baroni- us illud inveniri in confessione Albigensium anno 1278; — 3. veteres dogma *transsubstantiationis* indicare consueverunt vocibus idem omni- no significantibus; alii docent panem et vinum in Christi Corpus ac Sanguinem *converti*, ut Cyrillus alexandrinus; alii *mutari, transmutari, immutari*, ut Cyprianus, Cyrillus hierosolymitanus, Ambrosius, Chrysostomus, Damascenus; alii *transire, transformari, fieri, trans- elementari*, ut Remigius remensis, Theophylactus, Augustinus, etc.

Post editam Bullam dogmaticam *Auctorem fidei* videntur nobis emendandi, si qui adhuc sint, Catechismi Diocesani, in quibus *transsubstantiationis* nomen omittitur; cum talis omissio facile possit ætate nostra haberi tanquam *suspiciosa*, eo tendens, ut notitia subtrahatur tum *articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses; tendique ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica* (V. laud. Bulla, prop. 29). Neque etiam posset a nobis probari Theologus qui de more sacram Synaxim appellat *convivium panis et vini consecrati*: Ecclesia enim eam vocat *sacrum convivium, in quo Christus sumitur* (non panis ergo, et vinum), *recolitur memoria passionis ejus, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

b. Catholica Ecclesia dogma *transsubstantiationis* docuit: at circa naturam hujus divinæ operationis nihil statuit. Scotistæ volunt panem et vinum in instanti consecrationis annihilari, et Corpus ac Sanguinem Christi e nihilo educi seu produci ideo hanc conversionem vocant *productivam*: hoc tamen parum congruit, tunc non jam adesset conversio, sed productio. Thomistæ docent Corpus et Sanguinem Christi

loco panis et vini substitui seu adduci. Vasquez ait transsubstantiationem esse relationem ordinis inter substantiam quæ cessat, et substantiam quæ vi verborum Christi incipit. — Item Ecclesia definiendo totam substantiam panis in Corpus et totam substantiam vini in Sanguinem Christi converti, remanentibus duntaxat speciebus panis et vini, quid sint illæ species, non dixit. Anastasius sinaita, Gaitmundus et alii docent accidentia panis et vini in Corpus Christi transire et in eo subsistere: sic Corpus Christi qualitates suas naturales et gloriosas juxta quas nec frangi, nec pati potest, retinens, qualitates panis et vini induit, et sub eo respectu est album, rotundum, frangibile, etc.: quando autem hostia consecrata dividitur, Christus juxta ens suum naturale non frangitur, sed totus a seipso separatur, et totus est sub singulis specierum partibus. Cartesius censet accidentia panis et vini in alia materia perseverare; supponit enim inter vini et panis particulas reperiri spatiosa aere vel alia materia plena. Maignan vult Deum nullo mediante corpore easdem producere sensationes quæ per panem et vinum immittebantur: unde juxta illum species sacramentales nihil sunt ex parte rei.

Quæ omnes hypotheses cum plurimas habeant difficultates, communior evasit sententia Angelici, qui expresse (5 p., q. 77, a. 2) docet *accidentia eucharistica esse sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis et vini remanente, et quantitatem sine subjecto existere; idque Deum sua omnipotentia facere posse. Hinc canit Ecclesia: Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximie.*

Quomodo autem contra incredulos facillime solvantur, omnia quæ contra opponuntur vid. Ventura, *École des miracles*, homel. 31: it. *La raison philosophique et la raison catholique*, vol. III, p. II: *Les harmonies de l'Eucharistie*. — Lacordaire, *Conférence LXXVI*. — Wiseman, *Conférence*. — Moehler, *La Symbolique*, lib. I, c. iv. — Martinet, *Institutiones Theol.*, vol. IV, lib. III, a. 7. — Bossuet, *Exposition de la doctrine catholique*, c. xv; it. *Histoire des variations*, etc., lib. II.

Plura alia adversariorum objecta ex ratione petita vel ipse solvit Leibnitzius licet protestans in lib. *Expositio doctrinæ*, etc. Et citare possumus 50 art. Confessionis Calvinistarum, ubi dicitur *mysterium Eucharistiæ altitudine sua omnem sensum prætergredi, omnem naturæ ordinem superare, uno verbo esse cælestis, neque nisi per fidem apprehendi posse.*

727. c. Nos miremur potius tantam Domini dignationem, qua voluit ut sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, laterent res adeo eximie. Concludere possumus cum pio Contensonio: « Sed ut verum fatear, unum est quod ei suavius allicit et arctius stringit et

attentum rapit, modus nimirum amoris qui sine modo est et ultra omnem modum... *Magnum quidem fuit, inquit S. Thomas (Opusc. de Sacr. altaris), Christum Dominum seipsum in peregrinationis nostræ socium dedisse; majus vero in pretium redemptionis: hoc tamen donum adhuc est in aliqua separatione ab eo, cui datur. Cum tamen datur in cibum, datur non ad aliquam separationem, sed ad omnimodam unionem. Ununtur enim in unitate corporis et cibus et qui cibum sumit. Videlicet Christus adest vere in Sacramento; absens tamen videri vult, ut amorem probando acuat, acuendo inflammet. Adest, ut auxilium præbeat et solatium; abesse videtur, ut ipsum animus christianus quærat, ipsum appetat, ipsi inhiat, in quem desiderant Angeli prospicere. Denique adest et non apparet; nisi enim adesset, non præberet remedium; nisi lateret, non inescaret appetitum. »*

(V) Page 583.

728. a. Quoad Eucharistiæ asservationem notamus, quod ipsa asservatur etiam in Cathedralibus, quia illæ primæ dicuntur Parœciæ: verum ibi non est asservanda in Altari majori, sed in capella, propter funciones pontificales necessario peragendas ab Episcopo retrorsum ad Altare majus. Permittitur etiam asservari in Ecclesiis regularium, propter necessitatem ibidem præbendi Communionem infirmis. Item in Ecclesiis Monialium viventium in clausura ex Decreto S. Concilii C. 15 maii 1700. Insuper sciendum quod Sedes apostolica licentiam asservandæ Eucharistiæ non solet concedere pro Oratoriis privatis; nec capellis ruralibus, nisi esset ibi populi concursus et distantia a Parœcia. Tandem advertendum jus retinendi claves tabernaculi privative spectare ad Parochum. — F. Liguori, *Opus, Mor.*, l. VI, n. 424. — Card. Petra, qui fuse agit in Constitutione *Transiturus Urbani VI*.

« Quis non summpere doleat (ad rem Stapf, § 222) quod tanta christianorum pars, quibus ceteroquin de vera Christi præsentia certissime constat, in visitando suscipiendoque hoc mysterio adeo segnes et frigidi conspiciantur? Ast materiam dolendi infinitis adhuc majorem sacerdotes illi præbent, qui non tantum per integrum diem Christum in ecclesia præsentem ignorare videntur, sed in ipsa quoque celebratione missæ tam præcipitanter ac luride agant, ut populo christiano scandalum, aut fors ipsam suspicionem incredulitatis moveant. » Præstat porro ut Pastor et ipse in hac re sollicitus sit, atque populum suum hortetur ad visitandum SS. Sacramentum ac Virginem Matrem: et insuper doceat, ut qui non potest convenire ad Ecclesiam, id spiritu

domi agat. Omni etiam studio cultum eucharisticum promoveat, et fideles a cunctis irreverentiis retrahat; nam *dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem* (Apoc. 5); et est asylus in calamitatibus, consolator in tristitia, defensor in periculis, etc. — V. Liguori, 1. *Homo apost.*, tract. 7, n. 42. — 2. *Visita ad SS. et a Maria SS.* Opus magno cum plauso ubique receptum; quodque plurimi faciebat Pius VI. — Pagani, *La divozione al SS. Sacramento esposta in visite*. Milano, Pogliani, 1845. — Gourdan, *Sacrifice de foi et d'amour*. — *L'Ora santificata proposta ai divoti del SS. Sacramento* del sacerd. Ravina, Canonico Coadj. della Cattedrale di Novara. — Stapf, § 595.

729. b. *Usus exponendi Eucharistiam publicæ fidelium adorationi, eaque populo benedicendi, et probat auctoritas, et ratio firmat, et pietas suadet; etsi id fiat non solum dominicis et festis, sed aliis quoque diebus. Hæc enim frequens expositio abstrahit a vanis, perplures deducit fideles ad Ecclesiam, impedit profanas in templo profanationes, movetque ad virtutum actus, ad orationis frequentiam, ad Sacramentorum susceptionem. Ubi viget devotio, ait S. Alphonsus noster, et cultus augetur, debita semper obtenta facultate, nescio, præsertim juxta præsentem nostrarum regionum crebrum usum, cur potius non sit laudanda quam improbanda hujusmodi SS. Sacramenti expositio; modo exciperem non sit nimis frequens; nimia enim frequentia esset quidem causa, ut reverentia erga tantum Sacramentum minueretur.* — V. Christianus Lupus, *Opusc.*, p. I de processionibus. — Thiers, *Histoire de l'exposition du SS. Sacrement*. — L. Ferraris, *Bibl. Canon.*, vº Eucharistia. — It. Synodus Novariensis *De custodienda Euch.*, p. 88; *De expositione*, p. 97 et 99; *De oratione 40 horarum*, p. 288; *De process. Corporis Domini*, p. 374.

Hinc etiam notandum ex Pontifice Benedicto XIV Constit. *Cum ut* 27. jul. anno 1755, hæc in re nemini fas esse novum ritum inducere, privata auctoritate. Hinc, v. g., non licet Eucharistiam deferre contra incendia vel tempestates, hoc enim et novum esset et periculosum et Dei tentatio; et in Novariensi Diocesi sub pœna suspensionis ferendæ id prohibetur. Item non liceret parochi qui oblitus est consecrare hostiam deferendam in processione, particulam consecratam affigere hostiæ non consecratæ, ad auferendam populi admirationem; esset enim illum in materiale saltem idololatriæ crimen advertenter inducere.

c. Si publica adoratio Eucharistiæ diu intra Sanctuarii claustra constiterit, causa fuit *disciplina arcani*, seu lex vetans ne mysteria nostra illico revelarentur, ne facile dicerentur exponeretur infidelium, imo nec illico aperiebatur catechumenis, uti testatur inter ceteros Augustinus,

Tract. II in Joan. 5 (V. Rohrbacher, *Hist. de l'Église*, lib. LXXIV; et tom. II, n. 898). Porro quando fit publica expositio requiritur decentior altaris ornatus, conveniens cereorum numerus, nempe saltem duodecim ardeant, et omnia religiosa fiant, ut tantam Hostiam decet. Solemnius autem fieri debet expositio 40 Horarum, quam primus invexit P. Joseph mediolanensis Cappucinus anno 1556. Solemnissime vero processio et expositio in die Corporis Domini, cujus festum instituit Urbanus IV an. 1264. — V. Benedictus XIV, *De Festis*; it. *Notificatione XXX*, ubi de expositione et benedictione; *Notificatione XIV*, ubi de processionibus et expositione 40 Horarum. — Billuart, *Digress. historica*: de festo Corporis Christi. — Morozzo, *Trattato delle sacre cerimonie*.

NOTA. Benedictus XIV Constitutione *Ab augustissimo* 5 mart. 1744 gravissimas renovat suorum prædecessorum pœnas in reo execrabili furto Hostiæ consecratæ. V. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., vº *Surripientes Tabernaculum*.

(I) Page 588.

730. a. Cum non sit mittenda falx in messem alienam, ideo regula generalis est, ut nemo sine pastoris consensu Sacramenta administret; qui tamen consensus sic hodie communiter explicari solet, ut generatim pro administranda Eucharistia (quod valet etiam de Pœnitentia) sufficiat consensus interpretativus: pro administranda communionem paschali (quod etiam extendunt ad Baptismum, et Extremam Unctionem) requiratur consensus certo præsumptus in illis gravibus ac particularibus circumstantiis; pro adsistendo vero matrimonio omnino requiratur ad validitatem consensus positivus et datus. Lugo, *De Sac. Euchar.*, dis. 18, sess. 2.

b. Imo, contradicente Parocho, neque ipse Coadjutor titularis deberet Communionem paschalem dare, quia esto quod curam animarum habeat, sed eam nonnisi dependenter a Parocho habet; et munera principaliora sunt tantum vel esse debent Parochi.

c. Sunt qui tenent, eum qui, transacto quidem tempore paschali, sed die immediate sequenti communicat, adhuc satisfacere præcepto; quia talis dilatio, etsi culpabilis, minima tamen est; hoc autem præceptum admittere debet parvitatem violationis. Sed hæc singularis opinio, quam vix reperies in Diana ac Pasqualigo, communiter et merito rejicitur; nam præceptum grave est communicandi Paschali tempore, at qui communicat die licet immediate sequenti sine causa, non amplius potest dici communicare Paschali tempore; ergo jam est trans-

gressus grave præceptum; etenim tempus quando absolute et rigorose determinatum est, consistit in indivisibili. Nonne qui uno tantum puncto ab aliquo territorio egressus est, totus est egressus, adeo ut non amplius possit adstringi ad illius loci leges? Ita etiam qui uno tantum die egressus est, ut ita dicam, a tempore Paschali, totus est egressus, neque amplius valet communicare tempore utili.

d. Pœna Concilii in non communicantes non incurritur, nisi post iudicis sententiam; non eam Marte suo potest infligere parochus. Interdictum est ferendæ sententiæ; privatio vero sepulturæ ecclesiasticæ jurisdictionem supponit in foro externo. Hodie nemini solet hac ratione sepultura negari, nisi certo constet, quod sciens volens decessit impœnitens; item nec ideo potest arceri ab ingressu ecclesiæ. V. Ferraris, *Bibliothec.*, etc. V. Pascha, Paschalis Communio. — *Analecta juris Pontificii*, t. IV, v: de la confession annuelle et de la communion pascale.

e. Qui sacrilege communicavit in Parœcia, non est necesse ut iterum in Parœcia communicet; sed sufficit, ut rite communicet quocumque loco. Nec tenetur ad Communionem in parœciali Ecclesia repetendam, qui infirmus Viaticum suscepit domi tempore Paschali; sic nempe fert usus. *Cury* contra *Collet*.

f. Qui prævidens impedimentum communicandi in Paschate, Communionem anticipavit ante tempus paschale, si in Paschate cesset impedimentum illud, iterum communicare debet ipso Paschæ tempore, etsi anticipando habuerit intentionem satisfaciendi præcepto; intentio enim nequit efficere, ut actus positus tempore, quo nondum cœpit obligatio, sit satisfactorius: sic præcepto Missæ non satisfacit qui prævidens se die dominica impeditum iri, Missam audit die præcedenti. Unde colligitur, quod nondum cœpto paschali tempore, nemo tenetur ad præveniendum, etsi postea impediturus, ut communiter dicunt et recte contra Layman et Habert: ad differentiam confessionis, quia cum quis peccavit mortaliter, jam obligationem contraxit confitendi intra annum: quare prævidendo auferendam sibi fore in posterum facultatem confitendi antequam annus finiatur, tenetur prævenire. Sed hoc non procedit pro communionem, quia debitum communicandi non incipit nisi cœpto tempore paschali, unde si fieret ante illud tempus, communicatio non esset adimpletiva præcepti, quod nec existit modo, nec unquam existit; sed eo incœpto, jam obligatio urget: unde si jam cœpto paschali tempore quis prævideat se non posse amplius in Paschate communicare, nisi statim id faciat, tenetur illico ad Communionem; quia præceptum jam urget et impellit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, VI, n. 298; *Ho. Ap.*, tr. XII, n. 40.

(F) Page 590.

731. Quoad Communionem paschalem quædam notanda tum quoad adultos; tum maxime quoad pueros, pro Parochorum regimine.

Primo quoad adultos: Parochi est invigilare, et quoad potest curare, ut subditi omnes præcepto Paschali satisfaciant; proptereaque cavere debet, ne schedulas Communionis committat alicui Clerico. Elapso jam tempore paschali, diligenter debet inquirere de iis, qui forte non adimpleverint præceptum, ut eos moneat, urgeat, opportune et importune impellat, nulli parcens, si forsitan ad respiciendam adduci possint, in tanta temporum iniquitate. Quot istorum in Missionibus reperiuntur, qui per multos annos omiserunt præcepto satisfacere, quin de hoc Parochus verbum admonitionis cum eis impenderit, qui forte moniti satisfacissent!

« Un fidèle (casum ponimus cum Gousset), désirant faire ses pâques dans une autre paroisse voisine de la sienne, n'ose en demander la permission à son curé, dont il craint un refus, la trop grande susceptibilité, les brusqueries. Ce fidèle a pour motif, ou le besoin de communier immédiatement après sa confession, qu'il a coutume de faire à un prêtre du voisinage, en vertu d'une concession générale de la part de son évêque ou de son curé; ou la crainte plus ou moins fondée d'être une occasion sacrilège pour son curé, *quem credit versari in consuetudine graviter culpabili*; ou une certaine antipathie naturelle pour ce curé, une répulsion involontaire qu'il ne croit pas pouvoir surmonter. Le curé, le prêtre qui connaît la position de ce fidèle pourra-t-il le communier sans l'obliger à recevoir une seconde fois la communion dans sa paroisse? On peut le communier, et par cette communion il remplira le devoir pascal. Si dans le cas dont il s'agit, on ne peut présumer le consentement du curé, on peut, on doit même présumer le consentement de l'évêque. « Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. » L'esprit de l'Église est de faciliter à ses enfants l'accomplissement de leurs devoirs en matière de discipline; le prêtre éclairé le comprend, et ne confond point les intérêts de la religion avec les intérêts de l'amour-propre. »

732. *Secundo quoad pueros*: tria maxime curare debent Parochi in tanta re, a qua bonum vitæ futura pendet, nempe admissionem, instructionem et praxim.

1. *Admissionem*: hac de re audiendus Abrate, *L'Esprit du Curé*, vol. II, qui Parochum sic monet: « Bien que vous deviez prendre garde d'admettre qui que ce soit à cette table des anges avant de l'avoir examiné et trouvé passablement instruit des choses nécessaires, évitez

néanmoins de suivre la sévérité de ceux qui, en voulant trop exiger des enfants et les soumettre préalablement à trop d'épreuves, se mettent dans le cas de les admettre ensuite, lorsque le démon s'est déjà établi dans leur cœur. Si la première communion se faisait par la jeunesse dans un état d'innocence, oh! comme il en résulterait des fruits plus délicieux au profit du catholicisme; une plus forte impulsion pour le bien; un charme plus sensible pour les fidèles! Aujourd'hui que le vice semble plus précoce, avancez aussi l'antidote qui prévienne contre ses conséquences désastreuses; et, quand vous verrez le jeune homme parvenu à une connaissance suffisante de ce qu'il va recevoir, permettez aussitôt qu'il s'approche du vrai soutien de l'âme, et qu'il s'assure l'augmentation de la grâce, dont le retard laisserait la ruine spirituelle se développer invinciblement.

« Qu'il serait cruel, s'il existait, le curé qui refuserait à la tendre jeunesse de ses paroissiens un bienfait aussi signalé! Il irait contre la volonté et l'ordre exprès de notre mère la sainte Église, qui veut que tout chrétien, aussitôt qu'il en est capable, s'approche dévotement et sans délai du pain substantiel de la vie éternelle.

« S'il se trouve quelque enfant réellement plus étroit d'esprit, et que ce malheureux ne corresponde pas à vos prévenances, ayez pour lui une compassion particulière: *Quod si nimis tardus est, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis ceteris, ea que maxime necessaria sunt inculcanda sunt*: ayez recours à la prière auprès de Dieu, pour lui aider à retenir les choses essentielles, *magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda sunt*, vous dit très-bien S. Augustin. S'il vous vient des demi-fous ou des enfants presque stupides, efforcez-vous d'obtenir quelque chose d'eux par des signes et des indices, engageant en même temps leurs parents et les personnes avec lesquelles ils vivent à leur parler souvent des choses de la foi; il ne serait pas du tout impossible aujourd'hui, par exemple, d'instruire même les sourds-muets; votre charité saura certainement vous suggérer les moyens convenables pour arriver à leur faire apprendre ce qui leur est nécessaire pour le salut éternel. » — V. etiam Raineri, *Corso d'Istruz.*, 3 *prec. della Chiesa*. — *Cours d'instructions religieuses*, par le directeur des Catéchismes de Saint-Sulpice.

— *Pratique du zèle ecclésiastique*, par M. l'abbé Dubois. Paris.
« Règle générale (ait Gousset): il y a de grands inconvénients à différer la première communion d'un enfant au delà de quatorze ou quinze ans. « Plus on diffère, comme l'a remarqué le cardinal de la « Luzerne, moins les enfants ont de disposition à apprendre, plus les « passions se fortifient, plus les habitudes vicieuses s'enracinent; et « il faut considérer aussi que les enfants du peuple, devenant grands

« et forts, sont plus occupés au travail, et ont moins de facilité pour « fréquenter les catéchismes. » Ait autem Catechismus R.: *Qua vero ætate pueri sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater, et Sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant. Cum autem non possit una regula præscribi, quia aliquibus citius, aliquibus tardius advenit usus rationis et discretio, recte Roncaglia reprehendit parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad communionem, nisi pueros in certa ac fixa ætate constitutos; cum potius identidem illos examinare debeant, ut videant eorum discretionem. Cap. penult. caus. 26, q. 6 habetur: Cui penitentia Sacramentum conceditur neque Eucharistia Sacramentum negari debet, si desideret. Et satis inveniatur dispositus.*

Quid si dubitetur de capacitate pueri, vel de ejus dispositione?
Plenum rationis usum non habentibus seu semifatis conceditur communio in mortis articulo et paschali præcepto. Quoad ceteros s. dubium non ita sit fundatum de indispositione vel incapacitate, dicimus ipsos, etsi non sit necesse, posse tamen communicari, si jam attigerint ætatem communiter requisitam pro complendo paschali præcepto; neque enim dispositio puerorum æquiparanda adultorum dispositioni; quisque enim eam præbet pro modo ætatis, indolis, etc. — Ceterum si dubium sit fundatum, differenda communio, ut melius disponantur pueri; hoc enim Sacramentum exigit majorem quam cetera dispositionem et curam ad omne periculum irreverentiæ vitandum. Lugo, *De Euchar.*, disp. 15, sect. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 293, et 300.

2. *Instructionem*: patet ex dictis. Ex instructionis defectu evenit, ut res adeo excellens fiat nullo fere devotionis sensu, nulloque vite profectu. Cum puerorum ætas sit nimium levis, oportet ut industrie patienterque edoceantur, doctrinas eorum tenellæ ætati exemplis, similitudinibus, quoad potest aptando, æmulationem etiam inter illos excitando, etc. Croix (*l. V, n. 750*) has ponit questiones pro puerorum instructione qui prima vice debent communicare: *Quid est communicare?... quid accipitur in Communione?... quid intelligis per Christum Dominum?... estne Christus ubique? quandonam est præsens in Eucharistia?... quid est sub hostia, quid in calice ante et post prolata verba consecrationis?... non videmus Christum ibi, sed omnia apparent ubi antea; quomodo id possibile est?... unde sumus certi quod ita sit, adeo ut possimus hoc firmiter credere?... unde scimus quod Deus hoc dixit?... Quid est in vase quod custos porrigit post Communionem?* (Resp. est tantum vinum vel

aqua, et ideo sumitur, ut si quæ particula sacræ hostiæ adhæsisset linguae vel palato, sic deglutiantur: hinc oportet facere, quod potest, ut particula prius deglutiat, et illam vinum vel aqua sequatur. Si tamen aliquis non vult, potest vinum illud vel aquam non sumere). — *Quomodo debet esse dispositus ut quis digne communicet? quid si quis habeat sola venialia? quænam optima præparatio ad Communionem? quid agendum postea? quandiu oportet abstinere ab expuendo post sumptam Eucharistiam? quandonam tenemus communicare, etc.* Ceterum pro pueris ac juvenibus maxime faciunt: Constans, *Instructions de Catéchisme* (ex alemanno). — Vermot, *Questions pratiques et de direction sur le Sacrement de Penitence*. Lyon, 1841. — Cirier, *Cours complet d'Instructions familières, etc.* Lecoffre, Paris, 1855. — Guillet, *Projets pour un Cours complet d'Instructions familières*, Paris, 1852. — *Entretiens familiers en forme de Catéchisme d'un Curé de campagne avec la jeunesse* (ex alemanno), Lyon, 1845. — Ventura Bartolomeo, *Istruzioni familiari per agevolare all'intelligenza della gioventù il Catechismo Diocesano*. Sanpierrezena 1862. — Martinet, *Philosophie du catéchisme catholique*, ubi plura ad attentionem excitandam, ad veritatem vividius pingendam, ad errores profligandos, piscantur utiliter etiam pro incipientibus. Vid. etiam monita ad rem pro catechistis in *Append. t. I.*

5. *Præxim*: hac in re hæc præcipua sat erit adnotare: Parochorum quidem est ex usu ac pluribus Synodis pueros ad primam Communionem admittere; hoc tamen non impedit, ut simplex Confessarius unum vel alterum puerum in particulari ac privatim admittat, si satis idoneum inveniatur, et si id per Parochum obtineri non possit; saltem per Episcopum provideatur, ne fiat confusio vel scandalum; 2. in confessione quæ præmittitur primæ communioni, multum adlaborandum est, ut puer rite disponatur: ad quod quidem plurimum confert si generalem confessionem emittat. Absit autem, ut talis confessio perfunctorie, celeriter ac sine ullo religionis sensu fiat a pœnitente vel excipiat a confessario; 3. puer non tantum prima vice, sed iterum atque iterum ad Communionem adjuvandus, donec sibi sufficere possit. Item præstat, ut puer identidem in anno, puta in solemnioribus saltem festis post primam Communionem ad novam accedat: ideo non bene se gerunt qui pueros de uno ad aliud Pascha expectare faciunt: « Nous recommandons aux pasteurs (ait S. Alphonsus in sua Notificatione ad Clerum, anno 1764) qu'ils fassent faire tous les ans, aux enfants, la communion générale, en outre de la communion pascale, le dimanche dans l'octave de l'Assomption et aux fêtes de Noël; » 4. multum confert, si prima Communio in Ecclesia cum aliquo apparatu fiat ac festivitate,

ut fit in Gallis, non sine maximo puerorum fructu, qui toto vitæ curriculo tantæ actionis recordantur, et ejus memoria excitantur ad pie vivendum. Ideo plurimum juvat, si ante Communionem pueri una simul emittant et renovent Baptismi promissiones: postea vivide et sancte excitandi sunt ad tantum opus devotissime peragendum; demum Communionem peracta adjuvandi ad gratias Deo agendas, gratiam perseverantiæ postulandam, etc. Neque dimittantur sine aliquo monito peculiari, et præstat si ipsis aliqua pia effigies, vel liber donetur, qui epocham quodammodo signet. Ceterum in tali administratione caveat Pastor a quadam methode, quam in aliquibus libris legere est, quæ fuit a S. Pœnitentiaria merito proscripta (V. append. 2^a in fine vol.): non desunt moduli, quos tuto sequi potest. — V. Gaume, *Le Seigneur est mon partage. S'avvicina il gran giorno*, Lettere di un Missionario sulla prima Comunione. Milano. — *Importance de la première communion*. Lyon. — Regnault, *Instruction pour la première Communion*. Lyon. — Cerra, *Dono di un Parroco ai fanciulli che fanno la prima Comunione*. Vigevano, 1845. — *Istruzioni e discorsi e fervorini per la prima Comunione*. Firenze, 1857.

Abrate ait: « Sachez aussi relever par une pieuse solennité la première communion des enfants, pour qu'elle fasse plus d'impression; qu'elle forme une époque plus marquée dans la vie de ceux qui y ont part, et qu'elle tourne à l'édification de tout le peuple, particulièrement des parents, qui, dans leur émotion, envieront peut-être le sort de leurs petits anges: » *de prima puerorum Communionem solemnem quodam apparatu faciendam, populus in cujus non levem hoc ædificationem vergat, præmoneatur, atque sacrosanctam ejusmodi actionem concio præparatoria præcedat; Eucharistiam vero seu gratiarum actionem gratumque ipsorum animum exprimens subsequatur exhortatio: ita Soedler.* V. *Metodo per la direzione delle anime*; ubi plura.

Hic demum unum notamus, nempe studium quod impendunt Parochi in hac re, plurimum conferre (si expertis credere est) ad totius populi bonum, qui suos puerulos conspicens compositos, modestos atque devotos, mire excitatur ad devotionem, Sacramentorum frequentiam, injuriarum condonationem, etc. Dixeri in tali cura singularem inesse benedictionem: nec mirum, cum sit proprius Christum imitari, cui parvuli adeo cordi erant, qui indigne ferebat, quando Apostoli eos prohibebant ne ad se venirent; advocabat illos, imponensque manus, benedicebat eis (*Matth.* 19; *Marc.* 10; *Luc.* 18). Si velit totam Porœciam Parochus reformare, puerorum perdidicentem curam habeat; nam *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*: quod si aliquando forsitan recedet, de

facili ad prima revertetur. Ideo eos allicere studeat, eorum se accom-
modet aetati, et pueriliter quoad potest cum pueris agat; caveat ne
eorum honestos jocos prohibeat vel festivitatem obtundat. Sunt enim
animarum Curatores, ceteroquin optimi, qui in pueris propriam gra-
vitatem postulant, et ideo severe illos carpunt, si jocantur, saltant,
currunt, cantant, aut in minimo deficiunt: inde fit, ut a Parocho alieni
fiant, ipsum tanquam inimicum quasi habeant, aversentur Sacramenta
aliaque pia opera ad quæ ab ipso incitantur, et si quando confiteantur,
in sinceritate forsan etiam deficiant. (V. Dubois, *Le Saint Prêtre*,
n. 120). Hinc canebat Gagliuffi:

*Dulce mihi in vestro, pueri, consistere cætu;
Vos lateri et Christus jussit adesse suo.
Vestra est simplicitas felix; hac auspice pulchra,
Pulchræ virtutis crescat honestus amor.*

(Z) Page 596.

733. a. Censet D. Thomas aptam materiam Eucharistiæ siliginem
quia siligo ex vero tritico in malis terris seminatum, nascitur, et
speciem a frumento distinctam non constituit. Alii vero volunt, illam
a frumento specie differre, et panem ex illo confectum simpliciter
panem non dici. Talis panis est igitur saltem materia dubia; ideoque
ea uti non licet, quia nefas uti materia dubia in iis Sacramentis,
quæ ad salutem hinc et nunc necessaria non sunt. — V. Liguori,
Op. Mor., l. VI, n. 199.

Quod de siligine idem dicunt de farre et spelta (seu zea) a farre pa-
rum dissimili. Quamquam agendo de *spelta* proprie dicta (quod dici-
tur etiam frumentum Suevicum) Germani, teste Gobat, Layman aliis-
que, censent esse materiam validam et licitam, quia ex spelta fit panis
usualis, optimus et candidissimus, usitatus in aulis Principum, qui
sine scrupulo adhibetur in Missa ipsa a Suevis. Quia tamen hic spelta
nomine alii verum frumenti genus intelligunt, atque ideo ob variam
variarum regionum et vocum significationem difficile sit rem definire;
hinc pro praxi consulendum peritorum judicium, et præstat attendere
(concludit Voit) ad communem Diocesis aut regionis æstimationem,
quid nempe nomine *tritici* veniat.

734. Audiendus quoad panem azymum Alphonsus noster, Opus-
colo, *Degli abusi nel prender le Messe, Risposta*, ubi n. 25 ait:
« Honoré Tournely (*Prælect.*, t. IX; *de Euch.*, q. 4, a. 5) écrit que
S. Thomas (*in 4 sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3), Alexandre de Halès et

d'autres anciens scholastiques pensent que l'Église grecque et l'Église
latine se servirent au commencement de pain azyme pour la célébration
de la messe. Cela dura jusqu'à l'hérésie d'Ébion, qui voulut unir l'ob-
servance de la loi ancienne à celle de la loi nouvelle. Il dit qu'il y a
encore là-dessus d'autres opinions anciennes qui depuis n'ont plus
trouvé de défenseurs. Aujourd'hui, écrit-il, les opinions les plus im-
portantes sont réduites à trois. La première est celle de Jacques Sir-
mond, *In disquisit. de azymo*, in t. IV ejus *Operum*: où il prétend
que pendant huit cents ans et plus l'Église latine se servit de pain fer-
menté, mais que depuis l'an 886 jusqu'à 1055, au temps de Michel
Cérulaire, elle adopta le pain azyme. La seconde est celle du P. Ma-
billon (*In diss. de pane azymo et ferment.*) qui, s'appuyant sur
l'autorité de Ch. Lupus (t. IV, *in declar. Concil.*, *diss. de actis*
S. Leonis IX, c. xvii), veut que l'Église latine se soit servie de pain
azyme depuis le temps des apôtres. Le cardinal Hubert, Rupert,
Jacques de Vitry, Innocent III et d'autres auraient pensé ainsi. La
troisième opinion est celle du cardinal Bona (lib. I, *de rerum liturgic.*,
c. xiii) qui dit que les Grecs ont toujours fait usage du pain fermenté,
tandis que les Latins firent usage depuis les premiers siècles, soit du
pain levé, soit du pain azyme, selon l'opportunité des temps et des
lieux, mais qu'ils n'usèrent pas communément du pain azyme avant
le x^e siècle. De ces autorités et d'autres raisons qu'il allègue, Tour-
nely conclut que les Grecs durent user du pain azyme dans les pre-
miers siècles suivant le sentiment de S. Thomas, et que les Latins
jusqu'au ix^e siècle firent indistinctement usage des deux sortes de
pain. Mais on peut dire que ce qui résulte de toutes ces discussions,
c'est l'incertitude.»

Ad quæsitum vero, an presbyter græci ritus, alter ex electis pro
Mandato Feriæ V in Cæna Domini Romæ, possit et debeat sacra refici
Eucharistia cum aliis duodecim ritu latino in azymo, S. R. C. respon-
dit *in casu de quo agitur, affirmative*. Decretum Pontifex probavit,
sed pro eo casu duntaxat 25 aug. 1818.

*Sed (dices) quid si Sacerdos latinus apud Græcos moretur, aut
vicissim? poteritne uterque consuetudini ibi viginti sese confor-
mare? — Consentiant omnes quemlibet teneri servare ritum pro-
prium, si in locis ubi moratur, adsit Ecclesia ritus proprii; cum nulla
tunc sit ratio immutandi. Dubium est in casu, quo Sacerdos latinus
transeat per regiones Græcorum, vel ex adverso, et ibi nulla sit Eccle-
sia proprii ritus. Tunc communiter et probabilissime docent Antoine
Suarez, Tournely, etc., cuilibet fas esse ritum servare, prout libuerit;
cum quilibet possit se conformare loco, ubi degit. Neque obstat Bulla
Etsi pastoralis Benedicti XIV data anno 1742, quæ sub pena perpe-*

tuae suspensionis a divinis, jam aliis statutum confirmat, scilicet Sacerdotem quemcumque semper debere proprium servare ritum (nisi timeat scandalum, vel agatur de sacrificio complendo, quod alioquin mutilum remaneret); quia Bulla intelligitur, si celebretur in loco proprii domicilii, quo utique in casu non licet variare proprium ritum: probabilis neque ad Viaticum infirmo administrandum, quia praeferenda est reverentia erga tantum Sacramentum utilitati proximi, cum illud non sit ei simpliciter necessarium. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 282.

735. Nota quoad vinum. Omne vinum sive gallicum sive hispanum sive italicum (album vel nigrum), valida et licita est materia; nam quodlibet ex hisce vinis simpliciter est vinum. Caute autem advertendum, ne tam facile vinum extraneum adhibeatur, quia ut plurimum haec vina vel omnino artefacta sunt, vel alienis commixta substantiis.

Hic notandum: peccaret sacerdos (venialiter prout docent communiter cum Concina), si in purificatione calicis, seu in prima purificatione sola aqua uteretur. In ablutione autem digitorum seu in secunda purificatione esset adhuc veniale aquam tantum adhibere: excusabitur tamen si adsit rationabilis causa, pro qua putat sufficere aliquem esse abstemium, vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. Hic obiter nota, decentius esse, ut sanguis sumatur uniceo haustu; et melius esse si calix semel tantum ori admoveatur, aliquantulum immorando, ut quantum fieri potest, reliquiae omnes atrahantur. Monet autem Pius V apud Gavanti, ut in calicem infundatur eadem vini quantitas, in qua fuerunt species sanguinis, et sumatur per eandem partem, qua sumptus est sanguis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 408. — Ferraris, *v. Vinum*.

Marchantius, in *Horto Pastorum*, recte taxat aliquorum pastorum incuriam, qui tempore aestivo in parva lagena diu conservant vinum pro missa in sacristia: quod vinum quia debile, facile deficit et eo usque acescit, ut perdat substantiam vini. Considerent tales, considerent omnes, an haec et similia vina ad mensam divinam destinata, velent mensae suae profanae apponi. *Dens*.

(AA) Page 602.

736. Quid si ciborium ex oblivione extra corporale relictum fuerit? Communiter et probabilis negant esse consecratum; quia cum intentio consecrandi extra corporale sit graviter peccaminosa, illam tu habuisse non praesumeris. Sed quia contrarium non videtur improbabile, ideo rationabiliter ait Benedictus XIV (*De sacrif. Miss.*, l. III,

c. xviii), ciborium esse postmodum in alia Missa consecrandum; vel ut dicit Continuator Tournely, in praxi particulas illas esse sumendas post sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem; quia reliquiae sanguinis sunt certe Sacramentum, sed particulae illae in ciborio sunt dubiae. Sunt qui censent illas posse consecrari sub conditione in alia Missa; sed per se mihi non placet: quia non videtur adesse justa causa, cum jam sumi possint; nisi tamen essent in magna quantitate. Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 217.

Si quis ad Altare plures particulas attulerit consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuit de particulis consecrandis jam super altare positis, vel animadverterit ab alio adferri, ut consecrentur, etsi dum consecrat, earum non ita expresse meminerit, modo sint praesentes in ipso corporali, sunt consecratae; quia intentio praecedens virtualiter perseverat. Idem dicunt Gury, Reuter et alii, si ciborium positum in corporali ex oblivione remanserit clausum tempore consecrationis; quia est praesens, et Sacerdos censetur semper habere intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso advertente, fuit positum supra corporale, et est honeste consecrabile, licet ipse consecrationis tempore ad id non amplius advertat.

Hic etiam notandum quod Sacerdos, si ei post oblationem offerantur particulae, ut consecret ad populum communicandum, licite eas consecrat, suppleta mentaliter oblatione: imo probabiliter id fieri potest etiam Canone incepto, si aliunde plures Communionem carerent; nullum enim, observat Sporer, adsignari potest praecipuum praeter usum, quo una cum hostia particulae offerri debeant, vel praesentes esse ante praefationem vel canonem; sufficit ergo, causa extante, ut praesentes sint ante consecrationem. Si tamen unus vel alter tantum remaneret communicandus, suadent potius, ut detur ei pars propriae hostiae: et sufficeret pro causa, si communicaturus diu expectare deberet, ut ait Croix cum D. Antonino et Sylvio: ceterum in omni casu cavenda fidelium admiratio.

Utrum autem tuto sequi possit Regula Ritualis Parisiensis sic expressa: *Si quando communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiae dividi in plures particulas quae singulis distribuuntur?* S. Rituum C. 17 mart. 1855 in Veronensi respondit: *Servetur consuetudo dividendi particulas consecratas, si adsit necessitas.*

737. Quid (quaeres) de guttis vini quae calici adhærent? De guttis externis nulla quaestio; istae enim non sunt consecratae, cum certo consecrari non intendantur. De internis (si Sacerdos nihil circa eas intendat) variant auctores: alii negant eas consecrari; alii affirmant; alii denique affirmant de propinquis: negant de guttis remotis, quia illae,

non istæ censentur haberi per modum continui. Monet Platel, quod Sacerdos advertens statim ante consecrationem tales guttas, si sint vicinæ, admisceat; si vero remotæ, vel abstergat (et congruentius fit ex S. R. C. 7 sept. 1716), vel excludat ab intentione. Sed Croix dicit etiam posse licite includere eas in intentione, ne scilicet in calice sit vinum quod non sit consecratum.

(BB) Page 604.

738. Sacerdos non in propria, sed in solius Christi persona loqui debet: unde nulla erit consecratio si dicat: *Hoc est Corpus Christi*; quia tunc non Christi personam sustineret, sed suam dumtaxat. Ita Continuator Tournely. Hinc in Decreto ad Armenos dicitur: *Formas hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens conficit Sacramentum.*

Valida est, sed graviter illicita consecratio, si dicatur: *Hic cibus, hic potus, hic calix, etc.*; vel *hæc res*; vel *contentum sub his speciebus est corpus meum, est sanguis meus*. Item si dicatur: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo* (ut habetur Luc. xxii); vel *hoc est corpus meum quod de virgine sumpsit*; *hic est sanguis meus infiniti valoris*; vel *hoc, istud est meum corpus, hic est meus sanguis, vel hoc est sanguis meus*. Ratio horum est, quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis. Item valet si dicatur *hoc est corpus meum, vel copus meum, vel corpus meum*; vel dicatur *xanguinis, calis*. Ratio: voces sic institutæ sunt, ut si aliquando cum vitiosa latinitate proferantur, idem significant.

Invalida erit consecratio, si dicatur *hic (qui, adverbialiter) est corpus meum*; si autem *hic* ponatur substantive, sed per errorem grammaticalem loco *hoc*, valet. Item invalida, dicendo: *Hoc corpus est meum; hic sanguis est meus; hoc sit, vel fiat corpus meum*, quia non significaretur transsubstantiatio facta, sed facienda. Item *hoc est substantia mea, etc.* Item communiter dicunt invalidam formam, si dicatur: *Hoc enim corpus meum*, nam licet illud *est* in aliis verbis adjunctis quandoque subintelligatur; tamen in præsentis ex ipsa propositione absoluta minime percipitur, dum hic non habentur alia adjuncta, quæ satis denotent subaudiri verbum *est*.

Nomen *corpus* accipitur proprie et stricte prout distinguitur ab ipso sanguine, comprehendens carnem, ossa, nervos, etc.; adeoque si loco *corpus* diceretur *caro*, non valeret consecratio, nisi juxta alios per illud *caro* vellent idem intelligere ac illud *corpus*. Res saltem dubia est.

— V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 221 et seqq. — Ferraris, v^o Canon missæ; Eucharistia ubi de forma. — Biel, *Canonis Missæ lucidissima expositio*.

Circa formam plures errarunt: contendit Bucer in Eucharistiæ consecratione nihil esse proferendum; Calvinus formam usitatam a nobis magicam incantationem dicit; moderni protestantes nullam ipsi tribuunt vim, ideo illam volunt esse amandam. Contra hosce omnes habet Tridentinum, sess. xxv, can. 6: *Si quis dixerit Canonem missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.*

(CC) Page 608.

739. Nihil refert, si communo fiat ex particulis præconsecratis; nam ad totum Sacramenti fructum percipiendum sufficit, ut fideles de eadem victima participant: neque communicantes de altari sacrificium sumunt, sed Sacramentum; cum ex Catechismo Romano *omnis sacrificii vis in eo sit, ut offeratur*.

Sic etiam nullum extat præceptum, quo fideles teneantur communicare in Missa. Hinc Rituale romanum præcipit, ut *aliquot particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possint, conserventur in pyxide*. — V. Benedictus XIV. Encycl. *Certiore* 1742. — Bercastel, *Histoire ecclésiastique*, l. XC, § 223.

An (quæres) quis possit seipsum communicare? — R. Negative: nemo potest se ipsum communicare, si adsit Sacerdos: quia præceptum est, ut sumatur Eucharistia de manu illius. Si Sacerdos non adsit, tunc affirmant de Sacerdote (præcisa semper admiratione seu scandalo) posse communicare ex devotione; quia quantum ad illum nulla irreverentia est. In necessitate id permittunt etiam Diacono, quia tunc ipse est verus minister. Quoad ceteros sive clericos sive laicos, adhuc affirmant Caietanus, Suarez, et alii; cum adest vera necessitas, quia nulla prohibens potest lex citari. Sed Lugo, Continuator Tournely, Gonet, etc., negant, quia hodie id novum esset et inauditum; aliunde non agitur de sacramento omnino necessario ad salutem (V. Benedictus XIV, *De Sacrif. Miss.*, l. III, c. vii, § 10. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 227).

(DD) Page 613.

740. Inter plura horologia dissonantia aiunt communissime Croix, Merati, etc., licere ultimum sequi, si de errore non constet; nec horologium sit tale ut plurimum erret. — Nec refert, quod hodie, causa

viarum ferrearum pluribus in locis horologia *tempori medio* (ut aiunt) accommodata sint juxta meridianum loci præcipui, adeo ut non omnimode respondeant ubique *tempore vero*; iis enim in locis hæc est regula ordinaria mensurandi tempus (merito inducta, ne currus via ferrea e loco diverso, diverso et ignoto temporis momento se moventes, mutuo sese impellant et confringantur, quin casus possit præcaveri). Adde esse ferme impossibile, ut habeatur ratio *dissonantiæ*, quæ parva est ac semper mutabilis: hinc confusio et anxietates, si hoc esset attendendum. Nuperrime hæc de re interrogata S. Penitentiaria (anno 1859), respondit: *Consulat probatos auctores.*

Nihil autem ad se communicandum refert, quod quis post comestionem vel potionem non dormierit, vel non sit digestus; *refert autem* (ait S. Thomas) *quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter indigestionem aut insomnietatem, ex quibus si mens multum perturbetur, homo ineptus fit ad sumpcionem hujus Sacramenti.* Hoc tamen puto non procedere, si vigilia vel indigestio provenierit ex causa naturali, aut rationabili et honesta, nec si homo conetur turbationem illam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 289. — *Et Opera dogmatica*, sess. 22, § 25.

741. *Quid (dices) si infirmi morbus sit diuturnus, nec tamen periculosus; darine potest ei Communio etiam non jejuno, si sine cibo aut potu stare omnino non possit? R.* Sunt qui negant hoc casum dari posse: « On ne peut poser le cas d'une maladie longue et non dangereuse, parce que tous les médecins conviennent qu'une maladie qui se prolonge entraîne toujours un danger » (Careno, *Delle regole*, ecc., esame xxv); et revera videmus plures chronicos subito et ex improvisa morte occumbere. Posito tamen hoc singulari casu (de quo tacet Alphonsus noster) conveniunt non licere Communione dare, si frequentius fieret per annum; tum quia esset contra praxim et piorum sensum; tum quia illusorium tunc redderetur Ecclesie præceptum de jejuniis servando. An autem aliquando id liceat in anno, v. g., semel, his vel ter, diversi diversa opinantur: alii absolute affirmant cum Elbel (qui citat Busembaum, Bonacinam et Dianam, qui tamen de hæc re nihil habent), si talis fidelis solebat frequenter communicare, et nunc vehementer communicari optaret; non est enim verosimile piam matrem Ecclesiam velle ipsum tanto auxilio destituï. Alii id permittunt tantum in Paschate ad præcepto satisfaciendum, non vero si ex devotione fiat: id eruunt ex Rituali romano, quod tradit posse Viaticum morituris dari non jejunis; *ceteris autem infirmis qui ob devotionem in ægitudine se communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum* (de Sac. Eucharistiæ): ubi mentio tantum fit de

Communione ex devotione, non ex præcepto suscepta. — Alii cum Bouvier et Alasia absolute negant etiam pro Paschate Communione dari posse, nam lex jejunii strictissima est, ad Sacramenti reverentiam inducta; et hoc ideo magis, quia communiter auctores quoad infirmos ab hac lege excludunt tantummodo casum morbi periculosi. Neque obstat præceptum divinum, ab Ecclesia determinatum, Paschatis adimplendi; quando enim non potest consuli reverentiæ Sacramenti, præceptum cessat: idque maxime quia non agitur de Sacramento absolute necessitatis.

Tandem Gury in hac re concludit, spectandam esse locorum consuetudinem; et ipsi videtur ratio sufficiens in tali casu, si Eucharistia post mediam noctem infirmo jejuno administraretur, saltem ad præceptum paschale adimplendum: quod tamen alii negant, quia ratio sufficiens Eucharistiam deferendi non solemniter est tantum periculum extremum; secus esset contra reverentiam ipsi debitam. Poterit tamen semper administrari summo mane, idque maxime in montanis regionibus, ubi illarum incolæ solent e strato surgere, vix ac nec vix quidem facta die; et etiam in religiosis communitatibus.

Scarpazza ex rigidioribus, relata opinione Elbel, ait: « Il est clair que cette opinion n'est pas admissible, si l'on examine la loi du jeûne que l'Église a portée et l'exception qu'elle fait pour ceux qui sont en danger de mort. On affirme sans raison que l'Église ne veut pas vraisemblablement obliger au jeûne, dans le cas présent. Elle sait bien, en effet, que ce cas se présente, et, si elle avait eu l'intention d'en faire une exception, elle l'aurait faite. Aidée par les lumières du Saint-Esprit, elle sait que les dons du Seigneur peuvent être obtenus non-seulement par les sacrements, mais même par de pieux désirs. Elle fait savoir que son intention est de voir les malades qui ne peuvent rester à jeûn mériter la grâce par leurs désirs, plutôt que de laisser supposer par son silence qu'elle les dispense du jeûne. Ajoutez à cela que l'interprétation des lois n'appartient point aux sujets, mais au législateur. Si donc une personne pieuse ne peut se contenter d'offrir au Seigneur ses vœux durant la maladie et souffrir patiemment de ne point recevoir Jésus-Christ en substance, qu'elle ait recours au chef de l'Église et lui demande une interprétation ou une dispense de cette loi ecclésiastique. Si les motifs sont graves et pressants, il ne manquera pas de l'accorder, comme le fit Benoît XIV pour le prince Stuart. » Casistica, *Dictionnaire théorique et pratique*, etc., t. IV, v^o Communio in viatico.

742. Olim non licebat usque ad horam sextam sive bibere sive edere post Communione: quod præceptum hodie abrogatum est. Attamen ex decentia sub veniali aliqua mora servanda est post sumpcionem tantum Sacramenti ad alios cibos sumendos; ex Croix saltem ad quadran

tem : excipe rationabilem causam. — Item per se non est illicitum expuere post Communionem, modo nullum particulæ fragmentum in ore remanserit : nullum enim est periculum irreverentiæ erga sacras species; nam via per quam sputa ejiciuntur, non est œsophagus, seu via cibi et potus; sed est via respirationis. Attamen congruum est, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo sese abstineant (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 285, 284).

(EE) Page 621.

743. Quoad Sacerdotes qui mortali culpa maculati, sunt celebraturi, hæc tria (ut verbis utamur el. Riccardi, *Des Devoirs et de l'Esprit des ecclésiastiques*, c. VIII) urget Tridentinum : « En premier lieu le concile défend au prêtre de célébrer avant qu'il se soit confessé, sans qu'il puisse s'appuyer sur le prétexte qu'il n'a pas sous la main son propre confesseur ou un autre en qui il ait confiance. En second lieu, il lui défend, à défaut de confesseur, de célébrer après un acte de contrition seulement, si ce n'est *urgente necessitate*, et avec la résolution de se confesser *quam primum*, c'est-à-dire avant de célébrer de nouveau. En troisième lieu, il l'oblige après avoir célébré une fois *urgente necessitate* à se mettre aussitôt à chercher un prêtre pour se confesser *quam primum*, c'est-à-dire à l'instant, s'il le peut sans grave dérangement, ou au moins dans l'intervalle de trois jours, pendant lesquels il suspendra la célébration de la messe. »

Ponamus casum : *An Parochus, quem, sive propter censuram in quam incidit, sive propter ipsius habitudinem graviter culpabilem, absolvere non potuit Confessarius, teneatur celebrare Missam in sua Parochia die dominica, deficiente quolibet alio Sacerdote? Peccatum illius Parochi est occultum, ita ut a celebrando non possit abstinere absque periculo gravis infamiae aut scandali.* — « Nous répondons : Celebret, cum ad id ex officio teneatur : sed non celebret, nisi perfecte conteratur eum proposito quam primum ad sacrum Tribunal revertendi et satisfaciendi. Dans ce cas, il ne pourrait évidemment se dispenser de dire la messe sans scandaliser les fidèles, à moins qu'il ne fût réellement malade. Il ne lui serait pas permis de rompre le jeûne, prétextant une indisposition qui n'existe pas. Le défaut d'une messe qu'on doit au peuple, et sur laquelle tout le public compte, ne peut guère, dit Collet, manquer de diffamer le prêtre ou de scandaliser les paroissiens, et de produire assez souvent l'un et l'autre effet. Or une loi plus ancienne et plus étroite que celle de la

confession veut qu'on évite avec soin ces sortes d'inconvénients qui blessent directement la charité. » Cl. card. Gousset, c. XI, p. 116.

« Si une semblable nécessité (ad rem Baccari, *Pratique du Confessionnal*, part. IV, c. IV) peut se présenter quelquefois pour le curé et le simple prêtre, il est difficile qu'elle se rencontre pour un laïque, et il est alors aisé de trouver quelque prétexte. S'abstenir de la communion (auctoritatem profert Cardinalis Denhoff), ce n'est pas proprement scandaliser, mais causer un certain étonnement, dont la crainte n'autorise nullement un pécheur à communier; il lui est interdit de s'approcher de la table sainte quand même il se verrait à cause de cela soupçonné de quelque faute secrète. C'est la décision d'Innocent III, aussi savant docteur qu'illustre pontife. » Peccator debet potius eligere ut abstinendo reddatur suspectus, quam manducando, manducet indigne.

Quid si scandalum revera timeatur nec tamen haberet pœnitens omnia requisita, ut prudenter possit illum absolvere confessarius? Tunc addit laudatus Denhoff : « Ne vous laissez pas effrayer de ce mot de *scandale*. Il faut refuser l'absolution aux prêtres mal disposés, quand même ils seraient sur le point de célébrer, quand même le peuple les attendrait, car, dans des cas semblables, ils peuvent, s'ils ne trouvent aucun moyen d'éviter un grave scandale, avoir recours à un acte de contrition parfaite, l'avoir demandée à Dieu avec instance, comme l'on fait dans l'absence d'un confesseur, avec une ferme volonté de se confesser au plus tôt pour recevoir régulièrement l'absolution. »

744. *Quid (quæres) si pœnitens innodatus sit excommunicatione reservata? Sunt qui docent hunc extra mortis articulum non posse communicare. Sed communiter contradicunt Suarez, Lugo et Concina, qui recte censent eum bene posse eucharistiam suscipere, urgente scandalo vel nota infamiae, uti si ejus excommunicatio nota non sit. Ratio quia præceptum ecclesiæ prohibens excommunicatis sacramenta suscipere, non obligat occurrente præcepto naturali vitandi scandalum, vel eum tanto incommode perferendi infamiam. — Utrum autem tunc excommunicatus debeat confiteri non habenti facultatem super excommunicationem, probabiliter dicunt quod non potest, quia ideo interdictus est a Sacramento Pœnitentiæ; ideo præmissa contritione, communicet, etsi habeat alia mortalia. Verum probabilius alii contrarium tenent; nam in casu necessitatis excommunicatio sicuti non privat susceptione eucharistiæ, ita nec pœnitentiæ, quæ debet suscipi cum possit, ut servetur divinum præceptum præmittendæ confessionis ad communionem. Et bene quis absolvitur a peccatis valide, non præmissa absolutione a censura : quod recte fit in eo singulari necessitatis casu. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 265.*

(FF) Page 633.

745. Neque dicas: *Qui solum panem sumit, dimidiam coenam sumit; ideo habebit dimidium tantum fructum.* R. De fide est a Tridentino definitum, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt (sess. 21, can. 3 et cap. v). Atque ideo convivii significatio si non adeo expressa, habetur tamen sufficiens in unico symbolo; in hoc enim differt convivium commune a convivio sacramentale, quod illud sine potu mutilum est, non item hoc in quo sub unaquaque specie cibus et potus, corpus et sanguis Christi tribuuntur; qui ergo hanc escam spiritualem manducant, etiam potum spirituales bibunt. Imo etsi non de fide, commune tamen est, per se majorem substantialiter gratiam ad salutem necessariam non produci per Communionem sub utraque specie; gratia enim non producit ratione specierum, quæ sunt mera symbolica, sed ratione rei sub ipsis contentæ; atqui res sub unaquaque specie contenta est semper eadem, nempe Christus totus et integer¹. Non tamen negamus, quod maxime ratione fervoris in sumptione alterius speciei augmentum gratiæ obtineatur; sed per accidens, non substantialiter, quasi aliquid in se majus entitative suscipiatur².

Adde: Christus Communionem sub utraque specie præcepit iis verbis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. 4). — R. Christus hic inculcavit necessitatem Eucharistiæ quoad rem sumendam, non vero quoad modum sumendi; et talis erat ejus scopus. Audiatur Tridentinum (sess. 21, c. 1): « Qui dixit: *Nisi manducaveritis, etc.*, dixit quoque; *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet*

¹ Neque refert, quod his sumatur Christus communicando sub utraque specie; nam hæc sumptio semper est in ordine ad unam tantum refectionem.

² Hac ratione etiam qui sub una tantum specie communicat plus referre potest illo qui communicat sub utraque. « Sic plus saginatur muliereculæ fervidæ animus octiduana Communionem roboratus Sacerdotibus illis tepidis qui dum Christum devotionis inanes quotidie edunt, ab ipso Christo tepiditatis eorum impatiens, sicut Scriptura loquitur, evomuntur. *Idcirco*, ut recte monet abbas Paschasius I (de Corp. et Sang. Domini, c. xvii) *cogitandum a vobis est, non quantum dente prematur, sed quantum fide et dilectione accipitur.* » Ita Contensonius.

vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Ergo Christus, in prædicto textu, non modum sumendi Eucharistiam, sed tantum rem ipsam præcipit.

Christus (urgebis) nonne Apostolis Eucharistiam distribuit sub utraque specie? præcepit autem, ut et ipsi facerent quod fecerat ipse dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22). — Adde illud Apostoli: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (I Corinth. xi). *At una species mortem Christi non potest memorare, sed ambo requiruntur; sic enim una corpus ut avulsum a sanguine, altera sanguinem ut separatam a corpore repræsentat.* Ergo irrationabiliter romana Ecclesia usum calicis interdixit violando jus quod Christus omnibus tribuit suum sanguinem sumendi.

R. ad 1.: Christus in Eucharistiæ distributione plurima egit cum apostolis suis, quæ non sunt in præcepto, v. g., communioni coenam præmittens, pedes lavans, etc. Ceterum Eucharistiam vel ipse Christus sub una tantum specie distribuit discipulis in Emmaus (Luc. 24). Præcepit autem apostolis eorumque successoribus, ut idem facerent quod ipse, ut nempe panem et vinum consecrantes Eucharistiam conficerent eamque sub utraque specie sumerent: quod quidem præceptum semper agnovit sancta et romana Ecclesia.

Ad 2.: Utraque species necessaria est ad rationem sacrificii, non ad rationem sacramenti: quanquam et in una specie sufficienter exprimitur passio et mors Christi, quia tenore verborum et specierum corpus ut separatam a sanguine ponitur. Apostolus autem utitur verbo *annuntiabitis*, non *repræsentabitis*; minus sane requiritur ad annuntiationem, quam ad representationem alienius rei. Dum nempe conficitur Eucharistia per distinctam panis et vini consecrationem, mors eruenta Christi repræsentatur; dum vero illa sumitur, etiam per alterutrius tantum sumptionem mors Christi satis annuntiatur.

Ad 3.: Si aliquod jus fideles acquisierunt Eucharistiam sub utraque specie sumendi, hoc jus non est absolutum, sed dependens ab ordinatione Ecclesiæ, cui Christus Sacramentorum dispensationem reliquit.

(GG) Page 634.

746. Sed nonne ad Communionem octiduam (dices) requiritur etiam immunitas a veniali, et a quolibet illius affectu? Uti que re-

quiritur ad Communionem frequentem; non tamen ad octiduam, quæ in nostra sententia frequens non est: *Hortor*, ait S. Antoninus, *ad communicandum omnibus dominicis; sed hoc dico de illis, qui peccatis mortalibus non gravantur*. Et Wigandt Viennensis doctor ait: *Qui mortalia vitant, semel in hebdomada, et interdum bis, nimirum occurrente festo singulari, communicare possunt*. Id confirmatur ex veteri disciplina, ubi mortali crimine non inquinati semel in hebdomada sub gravi communicare jubebantur: imo apud Græcos sub poena excommunicationis, ut notat Theodorus archiepiscopus (*Spicilegio*, t. IX, c. XII). Ratio est, quod venialia (ut communius docent cum Angelico) licet impediunt actualem refectionem spiritualis dulcedinis, non impediunt tamen augmentum gratiæ habitualis vel charitatis (3 p., q. 79, a. 8). Adde, ipsam voluntatem recipiendi Eucharistiam quamdam esse venialium virtutem detestationem. Ita docent P. Avila, Blosius, Clericatus, Granata, Salazar, Suarez, Turlot, Tournely, Silyus, Petavius, Habert, Sotus, Concina, Cuniliati, etc. Audiatur inter ceteros Natalis Alexander: « Cum Eucharistia vim habeat peccata venialia remittendi, neque pugnent cum habitu charitatis, hujus Sacramenti effectum omnem, scilicet incrementum gratiæ et charitatis impedire non possunt. Unde Tridentinum sess. 13, c. VII, significat eum, qui nullius sibi conscius est mortalis peccati, paratum esse, quantum necesse est, ut sacram Eucharistiam digne percipiat, » etc.

Quare recte docet Scaramelli, ex communi Asceticorum, et Ecclesiæ praxi Communionem octiduam illis omnibus esse concedendam, quibus absolutio conceditur, nisi forte ex peculiari aliqua causa aliud Confessario videatur (*Directorio ascetico*, tr. I, a. 10): v. g., ut communicandus majorem concipiat horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum reverentiam. Unde concludimus cum Alphonso nostro (ut habet in Opusculo hac de re Romæ ab ipso edito, a Pontifice Clemente XIII laudato), « on ne peut nier que, pour admettre une personne à la communion fréquente, il ne suffit pas qu'elle soit exempte de péché mortel; mais on ne saurait nier non plus que cette disposition suffise pour la communion qui n'est pas fréquente. Autrement il faudrait aussi interdire la communion faite à de longs intervalles dans l'année aux personnes qui ont quelque affection au péché véniel. »

747. Verum (dices) huic obstat Franciscus Salesius hac in re facile princeps, qui divi Augustini auctoritate fretus ad communicandum singulis octiduis requirit etiam carentiam affectus cujuslibet ad veniale, et multo magis ipsius venialis (Introd. à la vie dévote, p. II, c. XX).

R. Tempore Augustini fuit quæstio circa convenientiam vel disconve-

nientiam quotidianæ Communionis. Hinc inde Doctoribus disputantibus, medius surrexit Gennadius quidam ista proferens: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo nec vitupero; omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit*: quæ verba retulit Gratianus (C. *Quotidie* 13, de consecrat. d. 2). Porro Salesius Communionem octiduam iis prohibuit, qui affectum ad venialia habent; tum quia illa verba, *si tamen mens in affectu peccandi non sit*, interpretatus est de peccato veniali; tum quia illud testimonium pro certo putavit esse Augustini. Atqui res aliter se habet: 1. ea verba esse tantum intelligenda de affectu ad mortale, est communis opinio. Ita docent S. Antoninus, Tournely, Sotus, Scotus, Dualdus, Frassen, ipse Adrianus VI (*De Sac. Euch.*), ipse Angelicus (3 p., q. 79, a. 3; et in I Corinth. 2. 11, sect. 7): imo et ipsa Glossa in ea verba: ita demum patet ex toto contextu; 2. illud testimonium non est Augustini; licet enim Tractatus *De Ecclesiasticis dogmatibus*, ubi ea verba reperire est, inter opera D. Augustini haberetur; hodie tamen nemo eruditorum est, qui eum non tribuat cuidam Sacerdoti massiliensi nomine Gennadio. Corruit ergo tota ratio, qua Salesius fretus est.

748. Ideo laudanda et promovenda pia sodalitas Romæ primum canonice erecta 1862 sub titulo: « Confrérie de la communion mensuelle pour les besoins présents de l'Église, érigée canoniquement à Rome dans la paroisse S. Laurent in Damaso. » Ejus scopus est, communium numerum in tota Ecclesia augere; porro adscripti sodales, singulis mensibus, electo die ad sacram synaxim accedere debent, adeo ut nulla feria sine communionibus; et electo die, singulo quoque mense, communicanti et oranti juxta R. Pontificis intentionem pro Ecclesiæ sanctæ necessitatibus, Pius IX, 8 mart. 1862, plenariam indulgentiam defunctis applicabilem concedit. V. *Lettre cattolique*, anno X, Torino 1862: *le due Orfanelle*, ecc., in fine. Qui paululum considerat maxima bona quæ a sancta communionem jugiter oriuntur, et ingentia mala quæ hodie fidei imminet, laudabilem praxim summo opere commendabit.

(III) Page 626.

749. Plures plura objiciunt contra Communionem frequentem. Aiunt enim inter cetera: « La communion trop fréquente engendre trop de familiarité envers notre Seigneur. » Au contraire, cette familiarité est agréable à Dieu et avantageuse pour nous. — « Je ne communique pas souvent parce que je ne me sens aucune dévotion. » On peut avoir de

la piété sans la sentir. — « Je crains de communier par habitude. » — L'habitude des choses louables est excellente. — « Mais je n'en retire pas de fruit. » Si vous évitez le péché mortel, c'est grâce à la communion fréquente. — « Je ne communie pas souvent parce que malgré mes communions fréquentes je tombe souvent dans les impatiences, la jalousie, la vanité, la paresse. » — Dans notre cœur, il est vrai, croissent continuellement de mauvaises plantes, mais la communion fréquente vous sert à les déraciner et les empêche d'étouffer le bon grain. Remarquez encore que les guérisons ne se font d'ordinaire que lentement et par la continuation des remèdes. — « Je ne communie pas souvent parce que je crains d'en abuser. » — Alors ne mangez pas non plus, ne buvez pas, vous pourriez en abuser. — « Les gens qui communient souvent, quels exemples nous donnent-ils ? » — La communion fréquente ne rend pas impeccable ; mais elle purifie certainement l'âme et la préserve de bien des fautes. Je vous le demande, ceux qui ne communient point sont-ils plus vertueux ? Les voyez-vous, plus attentifs à leurs devoirs, charitables, patients, humbles, obéissants, studieux ! Communiez comme il faut et vous verrez des prodiges. — « Je ne communie pas souvent parce que j'éprouve mille tentations contre la foi, la pureté, la sainte Vierge, Notre-Seigneur, » etc. — Ce sont là autant d'illusions du démon pour empêcher le résultat de la communion. Méprisez-les, n'en faites aucun cas, et ne ressembliez pas à celui qui prendrait au sérieux les inconvenances d'un fou. Sainte Térèse appelle l'imagination la folle du logis ; s'en préoccuper ou vouloir la mettre à la raison, c'est perdre son temps. — « Je ne communie pas souvent, parce que je n'éprouve plus de consolations. » — Cherchez Dieu, et non les consolations de Dieu. C'est même un bon signe. Jusqu'ici le Seigneur vous a nourri de lait comme des enfants, maintenant il veut vous fortifier par des aliments plus solides. C'est ainsi qu'il traite ses amis. Saint François d'Assise vécut deux ans dans cet état d'aridité ; sainte Marie-Madeleine de Pazzi cinq ans ; sainte Térèse vingt-deux ; saint Hugon, évêque, toute sa vie. — « La nourriture que l'on prend sans appétit ne profite point. » — Ceci est vrai de la nourriture matérielle, et non de la communion qui ne dépend point de nous, et produit ses effets nécessairement dans les âmes bien disposées. Cette chair, dit Bossuet, ne se digère point, mais c'est elle qui nous change en elle-même. — « L'Église n'a point ordonné la communion fréquente et dans ma paroisse, dans mon collège, elle n'est point d'usage. » — L'Église ne l'ordonne point, mais elle la désire instamment, et elle nous la conseille. Si elle ne commande pas, elle demande. — « Ce n'est pas l'usage. » — Sacrifiez-vous votre intérêt à l'usage ? Introduisez vous-même cet usage et montrez par votre pro-

grès dans l'accomplissement de vos devoirs, les effets de la fréquente communion ; personne ne pourra vous blâmer. — V. Farre, *Le Ciel ouvert par la communion fréquente*. Careno, *Règles et Examen* XIX.

Neque, ut verbis Oberauchi utar, illam frigidorum cantilenam occinas: *Res sancta nimio usu vilescit ; in tanta frequentia debita præparatio deesse solet ; prudens suspicio est illis, qui toties communicantes, in virtute tamen patentes progressus non faciunt, occultum vitium subesse, etc.*

R. *Hæc in frequenter communicantibus, præsertim qui prudenti conscientia moderatore utuntur, plerumque non contingunt. Si vero ex quibusdam abusibus regulam generalem statuere velis, omnium pene rerum usum sustulisti. Revera numquid in raro communicantibus major reverentia, diligentior præparatio, et exactior cordis puritas deprehendi consuevit? Quosnam facilius ad Communionem admittis? num eos, qui ante aliquot menses, vel omnino ante annum confessi fuerunt; an vero qui frequenter se sistunt? Hæc nempe inter divina humanaque commercia differentia datur, ut homines, quibuscum frequenter conversamur, ex detectis illorum navis plerumque nobis vilescant; contra quos sæpius familiariusque cum civibus regni celestis, et præsertim cum Deo ipso agimus, eo magis reverentia et charitas nostra augmentur; ibi enim mens nostra novos in dies ardores concipit. Si denique a frequenter communicantibus conspicuos in virtute progressus requiras, numquid, si raro tantum accesserint, eosdem magis profecturos speras? Vah! cave, ne in ætate præsertim juvenili peccatis hucusque levibus mox gravia succedant, et omne proficiendi consilium penitus demittatur! Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad pejora. Retrahit ergo sancta Communio a malo, et confortat in bono. Si enim modo tam sæpe negligens sum et tepidus quando communico aut celebros; quid fiet, si medelam non sumerem, et tam grande juvamen non quærerem? De Imitat. Chr., l. IV, c. III. Hæc Stapf, *Theol.*, § 589.*

« Ce ne fut pas une réunion d'hommes, disait S. Alphonse de Liguori, mais de démons que celle de Bourg-Fontaine, et Antoine Arnault ne pouvait trouver de moyen plus sûr d'éloigner de l'Eucharistie que de changer le sens des dispositions que requiert le grand apôtre pour en approcher. Je sais que les anges n'en sont point dignes. Mais J. C. a voulu en gratifier l'homme pour le soulager dans ses malheurs. Tout le bien nous vient de ce sacrement. Que ce secours nous manque, et tout est perdu. » V. Tannoja, *Vita di S. Alfonso*, l. IV, c. xxx, tip. Marietti, Torino.

750. *Sed nonne (dices) clamabat Augustinus: quotidie Eucha-*

ristiæ Communionem recipere nec laudo, nec vitupero? Hæc verba cum Gratiano retulerunt Salesius, et alii ut propria Augustini; at hodie certum est ea Augustini non esse; sed cujusdam Gennadii, qui in pluribus Augustino adversabatur. Huic autem Gennadio opponimus tum S. Ambrosium, qui ait (l. III de Sacr. c. iv): *Accipe quotidie quod quotidie tibi prodest: sic vive, ut quotidie merearis accipere;* tum verum Augustinum *Epist. ad Januar.*, qui scribit: *Quotidie peccas? quotidie sume.* Quod si adhuc quis ea verba ab Augustino dicta putaret objiceretque; ad eum pulcherrimam præberet responsionem S. Catharina Senensis. Cum enim quidam ipsam reproberet, quod adeo frequenter communicaret; atque hanc quam putabat Augustini sententiam, ad nauseam exaggerarat, *respondit Virgo sacra in præsentia plurium: Ex quo Augustinus non me vituperat in dictis suis, quare tu, Reverendissime, me vituperas? sicque confusus tacuit.* Ita refert S. Antoninus.

751. *Sed nonne (subjunges) qui singulis in mensibus per annum fornicatur, dicitur peccare frequenter, atque pravam consuetudinem habere? Ergo a pari qui singulis communicat mensibus, frequenter communicare dicendus est.* Negamus paritatem; frequentia enim quoad peccata ex impellentibus circumstantiis est metienda. Sic nonne qui toties peccat quoties ei occurrit occasio, dicitur pravum habitum habere, quamvis semel tantum in anno ei occasio contingat? Adde a corrupta natura nos ad malum jam nimis inclinari: adde unum peccatum quasi suo pondere ad aliud trahere; unde manifestum est quod etiam panis vicibus mala consuetudo constituitur. Sed diversa ratio in casu nostro; cum enim Eucharistia cibi rationem habeat, longe sæpius est sumenda, ut frequenter sumi dicatur; cibi enim frequentia ipsam diem potius quam mensem respicit.

752. *Verum (addes) nonne congruentius est abstinere ob reverentiam, quam ita frequenter accedere?* Respondet P. Granata esse communem opinionem, quod melius sit accedere quotidie ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Quod confirmat Angelicus dicens (3 p., q. 80, a. 10): *Utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstinetur; amor tamen et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Sane qui se abstinere, actum reverentia negativum exercet; qui accedit, positivum.

Quis (regeres) potest digne tam frequenter suscipere Deum?
R. Si hoc valeret, nunquam esset suscipiendus. Unde dicimus sufficere dispositionem nostræ conditioni convenientem; nam etsi magna devotio requiratur ad tantam cum Christo familiaritatem, tamen nostris viribus accommodari debet. Nempe *requiritur et sufficit, ut su-*

blato affectu ad venialia, et superata majori parte pravæ inclinationum, magnum habeatur communicandi desiderium, ardens in dies semper proficiendi studium, atque directoris consensus. De hac perfectione contentus est Salesius: et hæc est juxta S. Prosperum, quæ in hac vita potest haberi, attenta humana fragilitate. Hinc merito ab Alexandro VIII damnata est hæc propositio: *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint; et alia similiter arcenti sunt a Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.* Non solis perfectis hæc frequentia convenit. Hinc laudatus Salesius: *Si quærunt a te, cur tam frequenter communicates? responde illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare, perfecti et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire... Die illis, quod ii qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero iis detinentur, quia habent necessitatem, etc.* (Introduction à la vie dévote).

MONITUM GRAVISSIMUM.

753. Hodie maxime viri fortiter urgendi sunt ad frequentandum tale convivium; quot enim sunt qui id fere erubescunt! Hac in re vid. *Lettres à Eugène sur l'Eucharistie.* Paris, 1830.

V. Castelvetere. *Direttorio mist.*, l. I, p. III, t. I. — Scaramelli, *Direttorio ascetico.* — Crescimbeni, *Le provinciali all' Italiana*, opus cl. Vittadini. — Martinet, *L'Emmanuel ou Le remède à tous nos maux.* — Fénelon, *Lettre sur la première Communion.* — Careno, *Delle regole, esame XIX, ecc.* — Franco, *Risposte popolari alle obiezioni più comuni contro la religione.* — Faure, *Oper.* supra cit. ubi probat quod communionis frequentia omnibus suadet hujus institutionis finis, intentio Christi, primitivorum fidelium praxis, Patrum sensus, Episcoporum, Pontificum et Ecclesiæ desiderium, ardens ascetarum et Sanctorum consilium, bonum animarum, etc.

(II) Page 635.

754. *In qua Missæ actione consistit ratio seu essentia sacrificii?*

R. Alii cum Pignatelli essentiam Sacrificii Eucharistici collocant in ejus tantum sumptione; quia in ea tantum destructio illius habetur, in quo quidem propria sacrificii essentia sita est. Alii cum Azorio col-

locant in oblatione, quæ consecrationem sequitur illis verbis: *Unde et memores*, etc.; ratio quia sacrificium non est, nisi victimæ oblatio. Alii communis et valde probabiliter cum Perrone, Gonet, Sanchez, Martinet, etc., eam consistere volunt in consecratione; cum revera in ipsa et victimæ mactatio et illius oblatio concurrant; volunt tamen sumptionem pertinere ad sacrificiî integritatem et ideo illam præceptam esse de jure divino. Verum nobis magis arridet, et probabilior videtur sententia Bellarmini, qui eam collocat partim in consecratione, partim in sumptione; nam in prima ponitur victima, in secunda ipsa consumitur: saltem in hac sententia victimæ consumptio est magis expressa. Hinc Rubrica jubet, ut si Sacerdos celebrans moritur post consecrationem corporis vel etiam sanguinis, videlicet antequam communicet et sumat, Missa per alium expleatur, licet non jejunum, si jejunus non adsit.

Utrum vero ad ipsam essentiam sufficiat *consecratio unius speciei*, sunt qui affirmant quia etiam per unam speciem Christus totus ponitur et offertur. Communis tamen ac probabilis negant; quia secus sacrificium crucis non realiter representaretur, Christus in statu mortis Deo non offerretur, sacrificium in ultima cœna institutum non renovaretur, nec proinde implerentur verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hac ipsa ratione utraque species simul coexistere debet ad talem commemorationem: quare ex Rubrica si utraque haberi nequit, Missa interrumpenda, nisi jam una species consecrata. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 55.

755. *Quid agendum* (quæres) *si appareat miraculose Corpus Christi sub specie carnis seu infantis, aut Sanguis sub specie sanguinis?* Tunc non est sumendum, quia tantum sub specie cibi ac potus Christus sumi voluit: et talis est usus Ecclesiæ; si autem ad priorem statum rediret, sumi posset, quia cessat ratio contraria, et est probabile non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis. Si tamen duraret, consulendum Sacerdoti, quod iterato Corpus et Sanguinem Domini consecraret et sumeret. — Quando autem circa species sacramentales apparet tantum splendor, tunc nihil impedit, ut continetur Sacrificium; nam tunc nulla vera mutatio et alteratio contingit. Quod si splendor vel miraculosa Hostiæ consecrate subleatio eveniat extra sacrificium, et illa conservetur, si successive tanta illius corruptio fiat, ut ibi jam non maneat Corpus Christi; attamen per se conservare semper potest cum reverentia id quod exterius permanet, quasi in monumentum et testimonium miraculi et ob reverentiam Sacramenti, quod ibi præcessit. Dixi *per se*; nam Ecclesia talem consecratam Hostiam ordinarie sumere præcipit. S. Thomas et Suarez. — V. *Ricerche sul miracolo del SS. Sacramento avvenuto in To-*

rino il 6 giugn. 1453. — Christianus Lupus. *Oper. t. XI: oratio de miraculoso sacramento.* — Gaume, *Catéchisme de Persévérance.* — *Analecta juris Pontificii.* — Collius, *De Sanguine Christi*, etc.

(JJ) Page 639.

756. a. Polluitur seu violatur Ecclesia (sicut et cæmeterium), quando in ea exercentur actiones quædam turpes vel loco sacro injuriosæ, sed nonnisi postquam res evulgata fuerit. Id evenit ex jure Canonico: — 1° per homicidium voluntarium et injustum; — 2° per effusionem sanguinis hominis ex percussione aut vulnere graviter injurioso. Sufficit autem, si vulnus grave fiat intra Ecclesiam, et sanguis fundatur extra: item est si quis existens extra Ecclesiam sclopo alterum occidat in Ecclesia existentem. Secus autem dicendum, si vulnus infligatur extra, et intra sanguis effundatur vel eveniat mors: quia tunc abest injuria in Ecclesiam. Nec sufficiunt parvulæ guttæ sanguinis; sed ex jure requiritur vera, ideo copiosa effusio: imo adhuc non polluitur, si ex percussione vel vulnere levi (v. g., si in rixa puerorum sanguinis copiosus effluat a naribus), quia in hoc non admittitur communiter peccatum mortale. Aliter tamen esset si talis effusio contingeret inter adultos, ut probabilis dicunt: — 3° per voluntariam humani seminis effusionem sive in copula carnali sive non: etiam per actum conjugalem, nisi excusetur a sacrilegio ratione necessitatis; — 4° per sepulturam non baptizati, seu infidelis: excipe probabiliter, si sit catechumenus, quia non censetur infidelis. « Le plus grand nombre des canonistes, ait Gousset, pensent qu'elle est profanée en y enterant un enfant non baptisé, quoique ses parents soient chrétiens. Néanmoins il nous semble difficile de pouvoir appliquer les mots: *Infidelis, paganus*, dont se sert le législateur, à un enfant à peine né. D'un autre côté, puisque les parents désirent le baptême pour cet enfant, ne peut-on jusqu'à un certain point le considérer comme catechumène? Ainsi pense Pichler, dont nous suivons le sentiment. » — 5° per sepulturam baptizati nominatim excommunicati (non vero si sit quidem excommunicatus, sed non nominatim), vel hæretici declarati. Sed ut Ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent patrari in ipsa Ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia, aliisque cameris Ecclesiæ adherentibus, neque in subterraneis nisi ea sint singulariter benedicta, ut si adsit in iisdem sepultura aut Oratorium.

Si Ecclesia fuit tantum *benedicta*, reconciliari potest a Sacerdote delegato ab Episcopo cum orationibus consuetis ad benedictiones, ut ex Rituali Romano; nec est necesse ut aqua ab episcopo benedicatur,

ait Benedictus XIV (*De Syn.*, l. III, c. 15). Si vero Ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a Sacerdote (aqua ab episcopo benedicta) delegato a Papa juxta ritum Pontificalis romani. Attamen si non possint omitti divina officia sine gravi incommodo, Episcopus aliquo impedimento detentus delegare posset Sacerdotem ad Ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipsemet eam consecrare possit.

Ad preces episc. Caroli Bescapè a Clemente VIII, Litter. 19 sept. 1605, facta est facultas Novariensibus pro tempore Episcopis simplicem Sacerdotem delegandi ad reconciliationem Ecclesie vel cæmeterii aqua prius ab Episcopo benedicta. — *V. Syn. Ep. Bertone*, p. 285.

Necessitate urgente, ut si populus non habeat aliam Ecclesiam, ubi Missam audiat, remoto scandalo, potest celebrari in Ecclesia violata. Non ideo autem censetur reconciliata, quia in ea sacrificium celebratum fuit. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 390.

Oratoria privata licet benedicta et ad cultum deputata, tamen non censetur pollui, et ideo reconciliatione non indigent. Collet, Goussset, etc. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 362. De Oratoriis privatis vid. Benedictus XIV, Constit. *Cum duo*. — Gattico Novariensis, *De Oratoriis domesticis*. — Ferraris, *Biblioth.*, V. Oratorium et Ecclesia, Missa, art. 4.

757. b. Ecclesia execratur, quum amittit suam benedictionem, vel consecrationem: unde iterum benedicenda vel consecranda est, juxta ritum et formam præscriptam pro benedictione vel consecratione Ecclesiarum. Tunc autem execratur, si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crista, aut major saltem pars simul auferatur: secus si una pars post aliam, et hoc etiamsi per intervalla dierum tota demum Ecclesia nova fiat; quia quæcumque pars accedens manet consecrata, cum magis dignum trahat ad se minus dignum. Neque etiam execratur, si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus: neque per se polluitur Ecclesia per exercitium hæreticum, spurcitas hominum vel animalium ibi stabulatorum, etc.; etsi decaet et praxis habeat, ut per Episcopum vel Sacerdotem cum aliqua cæremonia tunc reconcilietur et abluatur.

Ex dictis autem patet discrimen inter pollutionem Ecclesie, et ejus execrationem: nempe violatio seu pollutio Ecclesie respicit Ecclesiam formalem; execratio Ecclesiam materiale. Polluta Ecclesie parte, integra Ecclesia pollui censetur, etiam cum cæmeterio adjacente; e contra execrata Ecclesia, non ideo execratur cæmeterium: nec altaria adhuc integra consecrationem amittunt. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 368. — Moulart, *De sepultura et cæmeteriis*; dissertatio historico-juridica. Parisiis, 1862.

(KK) Page 641.

758. An Ecclesiarum administratores possint sibi aliquid retinere pro expensis occurrentibus?

R. Cum Benedictio XIV, qui hac de re, variis adductis Decretis, ita concludit: « Ex his satis aperte conjicitur:

« 1. Si Ecclesie paupertas interveniat, aliquid retineri potest pro necessariis Missarum expensis, cum perpetuæ sunt. Etenim consuetum stipendium non minuitur, cum testatores perpetuas Missas instituentes integro Sacerdotis stipendio omnibusque expensis pro Sacrificio peragendo necessariis consulere debuerint. Quod si aliquid deesse videatur vel quia per testatorem præscriptum non fuerit, aut quia cursu temporis constituti proventus ad Missas agendas immutati habeantur, aliquis inter hæredes fortasse aderit qui ære pro expensis omnibus satisfacere debeat. Postremo si nulla ex parte subsidium desumi potest, semper aditus patet ad petendum, ut Missæ ejusmodi ad minorem numerum redigantur.

« 2. Si, ut superius dictum est, Ecclesie paupertas intersit, aliquid retineri potest pro Missarum expensis quæ in ipsa Ecclesia per aliquem pium testatorem institutæ fuerunt; vel cum Sacrii custodes plurimis congestis eleemosynis Missas celebrandas indicant. Tunc enim ex consueto stipendio aliquid plerumque detrahitur: quod tamen permitti nequit, cum Ecclesia privilegium a Sede apostolica obtinuerit, ut pro expensis in Sacrificio necessariis Missarum numerus minuatur.

« 3. Etsi Sacrarium Ecclesie prematur inopia, nihil pro expensis Missarum necessariis exigi potest a Sacerdotibus, qui ad eandem Ecclesiam accedunt rem divinam facturi aut pietatis causa, aut certe nullo ducti stipendio per Ecclesie ministros; quamvis ipsi nullo jure adstringantur illis Sacerdotibus permittere ut Sacrum ibidem perficiant.

« 4. Si Sacerdos ipse celebrare in eo templo omnino postulat, de cujus paupertate constat, tunc aliquid pro expensis deponere licet vel a Presbytero qui ob pietatem Sacrum facit, vel ab eo qui collato stipendio Sacrificium indixit, si forte Sacerdoti aliquid superaddere velit pro consuetæ eleemosynæ detrimento quod ratione expensarum subeundum est; vel tandem si aditus ejusmodi præcludatur, ex ipso consueto stipendio aliquid expetere conceditur. » Ita Benedictus XIV, *Notificatione* lvi, n. 13. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 522. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^{is} Administratores, Utensilia.

Hic audiendus etiam est pro coronide Malaguzzi in Opere, *Manuale Parochorum*: « Sodalitates ubicumque sint erectæ, tenentur manute-

nere ac providere eorum altaria, in quacumque Ecclesia instituta sint, de luminariis, fabrica et quibuscumque necessariis tum ad honestum religiosumque ornatum eorum, tum ad celebrationem sacrificii Missæ, quia ex Panimolli, *Fiori decis.* 15. Barbosa, *De off. et pot. Episc. allig.* 64, n. 16; et Gennensi, *In praxi* per earum erectiones in dictis altaribus factas sodales censentur ac reputantur se obligasse ad ea manutenenda instructa de præfatis, perinde ac si extarent Patroni Altarium. »

Vid. unum casum mantensionis in Syn. Novar., pag. 385, n. 10.

(LL) Page 647.

759. Q. 1. *An liceat Episcopis in aliquo casu reducere onera Missarum?*

R. Episcopus potest Missarum onera reducere: — 1. si deprehendat in prima oneris acceptatione reditus non respondere oneri; quæ quidem facultas insurgit ex tenore Decretorum de hac re ab Urbano VIII editorum; dum enim ista prohibent Episcopis reductionem onerum Missarum, loquuntur de oneribus jam acceptatis (*V. Malaguzzi, Praxi Parochorum*); — 2. si Testator in ultima voluntate vel alibi (dummodo constet) facultatem fecit Episcopo Missas ab eodem legatas reducendi, ex nova causa, acceptatione secuta. Barbosa, *De Offic. et potest. Episc.*; — 3. si onus impositum acceptatumque fuit inter vivos virtute conventionis initæ cum Episcopo; tunc in casu diminutionis reddituum aut deperditionis fundi, Ecclesia gravata instare potest penes ipsum Episcopum, qui sua ordinaria facultate utens contractum corrigere atque ad terminos juris reducere potest. Quapropter solemne semper fuit S. C. C. ad se recurrentibus pro hujusmodi reductione onerum rescribere, *adeant iudices suos*, quos Episcopos esse interrogata respondit, teste Monacello. Notandum autem, quod tempore sacræ visitationis habent Episcopi plures facultates tum quoad reducendas, tum quoad condonandas Missas, aliaque componenda non quidem proprio iure; sed quia in illa circumstantia facultates illas impetrant a sancta Sede.

760. Q. 2. *An casu quo pereant in parte vel in toto reditus legati, debeat Ecclesia vel provisus celebrare præscriptum numerum Missarum?*

R. Ut rectum proferatur iudicium, bene perpendendum est, an Legatum Missarum *taxative* conditum fuerit, an *demonstrative*. Si enim Legatum incipiat ab onere, id est si Testator qui adjudicavit alienæ Ecclesiæ onus Missarum dixit: *Volo tot Missas in perpetuum celebrari,*

ex gr. in Ecclesia S. Marci hujus civitatis pro anima mea, etc., pro quibus assigno talem speciem seu quantitatem, tunc legatum dicitur demonstrative erectum, unde si reditus diminuatur vel pereat fundus, hæres hujus Testatoris tenetur aliunde supplere ex bonis Legantis. Si vero legatum in sua fundatione incipit a specie seu quantitate, v. g., si dixit Testator: *Titulo Legati relinquo tali Ecclesiæ tale prædium, vel tales numero reditus, ut in eadem pro anima mea singulis annis in perpetuum celebrentur tot numero Missæ,* dicitur fundatum fuisse legatum *taxative*, et hoc in casu, quacumque diminutione, aut deperditione reddituum contingente, hæres non tenetur supplere, sed datur locus reductioni ex Tridentino. Hac distinctione utitur S. C. C. tanquam regula certa in proferendis iudiciis.

761. Q. 3. *Quid agendum a Sacerdote qui plures Missas reliquit non adimpletas, neque eas commode celebrare potest?*

R. In tali casu recurrendum pro compositione, seu condonatione ad S. Pontificem, qui per Congregationem Fabricæ S. Petri eam benigne concedit, deposita ab Oratore nominando aliqua elemosyna in favorem dictæ Fabricæ, bene perpensa paupertate petentis. Verum pro obtinenda compositione requiritur quod non fuerit ommissa celebratio animo habendi compositionem; alias a gratia non suffragatur, ut in simili reciditur in *Bulla compositionis* pro debitis incertis. Advertat insuper recurrens pro Missarum compositione, ne sit recidivus; si enim talis sit, debet exprimere in supplicatione, ex stylo Curiæ, condonationem jam habitam: qua expressa, obtinebit aliam, licet difficilius et pro majori taxa. Etiam pro Missarum reductione exprimendum, an jam fuerit obtenta aliqua imminutio illarum Missarum quæ adhuc imminui petuntur; hoc namque influit in animum concedentis, et rei naturam immutat; esset enim reductio de reductione. — Cavendum est denique, ne quis parum pius existimet omnino frustrari suffragio Missarum illos, qui stipendia dederunt; nam in suffragiis eorum, pro quibus ommissa Sacrificia offerri debuerant, alia quotidie celebrantur in Basilica Vaticana a Capellanis ad hoc munus deputatis, ait Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. ult. — Et Innocentius XII, *Bulla Nuper* relata in Append. vol. I.

Si agatur de foro interno, ut si quis omiserit celebrare Missas de quarum omissione publice non constat, si impotens ad eas celebrandas, fit recursus ad S. Pœnitentiariam pro condonatione, per confessarium reticendo verum nomen pœnitentis. De Fabrica S. Petri plura Ferraris, *Biblioth.*, etc. v^o Missa ut est sacrificium, art. 2; Congregationes R. Ecclesiæ (artic. novus).

(MM) Page 650.

762. Ritus Ambrosianum D. Ambrosius ordinavit primum (vid. Walfridus Strabo, *De rebus eccles.*, c. xxii; Dozius, *Opuscula liturgica*, Martene, Le Brun, et Bibliotheca Patrum, t. XV, p. 2). Quem ritum pluries mediolanenses Archiepiscopi reformarunt; ultimo autem archiep. Romilli desiderio respondens Pii IX novum edidit Breviarium ambrosianum illud emendando, ut patet ex ejus Notificatione ad Clerum 12 febr. 1857. Quando Carolus Magnus et papa Adrianus I, sæculo VIII, exigere volebant, ut omnes occidentales Ecclesie ritum romanum adoptarent, Medionalenses fortiter obstiterunt, et ille ritus adhuc obtinet; imo Missa romana vel privatim dici nequit in Cathedrali Mediolanensi, nisi in Capella subterranea S. Caroli, attamen prius recognita in archiepiscopali Curia facultate celebrandi habita a proprio Episcopo (vulgo *celebret*). Leo XII laudavit episcopum cardin. Morozzo, qui unitatem ritus in Novariensi sua Diocesi querens impense studebat nonnullas Parœcias ab ambrosiano ad romanum præstantiorem ritum traducere; ad majora tamen præcavenda mala, atque ad turbationes inde exortas sopiendas, decrevit non esse Parœcias illas cogendas, ut videre est ex Circulari ipsius Cardinalis 24 sept. 1827: ubi Pontifex Novariensi episcopo facultatem tribuit, ut in Concursibus ad parochiales ecclesias ambrosiani ritus admittere valeat etiam Presbyteros Romanum Ritus sequentes, quibus liceat ambrosianum ritum exercere, durante munere, quoties ad Curam animarum assumuntur¹.

Et hic commendandus Sala Metropolitanæ Ecclesie mediolanensis Canonicus qui de ritu ambrosiano ait: « Tant qu'il plaira au Saint-Siège de nous laisser ce rite, je dirai que nous devons l'étudier avec soin, en dehors de tout esprit de parti, pour l'estimer comme il convient, le conserver dans sa pureté, l'observer exactement. Mais je proteste aussi que si demain le vicaire de Jésus-Christ nous disait: laissez votre rite ambrosien, Milanais, et rentrez dans l'unité romaine: je serais le premier à répondre: Il faut obéir et généreusement. *Vie de S. Charles, par le prof. Ant. Sala, corrigée par Aristide Sala.*

763. Originem et significationem cæremoniarum in Missa exponunt

¹ Hoc etiam dicunt de Viceparochis et Capellanis ac ceteris, qui quodammodo ratione officii ac muneris illis ecclesiis incardinantur, qui quidem in Breviario et in Missa ambrosiano ritu ad uniformitatem utuntur. In Diocesi Novariensi ambrosianum ritum adhuc retinent Canobium, Curtiolium, Caballiacum ad verbanum, Cannerum, S. Agatha, Falmenta. Spocia, Trarigum et Traslumen.

Benedictus XIV, *De Sacr. Missæ*. — Gavanto, *Thesaurus SS. Rituum*. — Gaume, *Catechisme de persévérance*. — Cochin, *Exposition doctrinale*, etc.

Varias autem cæremoniarum declarationes exhibent Gardellini, *Decreta authentica*, etc. Romæ; Talu, *Hierolexicon Declarationum*, etc. Eas recte exequendi modum edocent Liguori, *Le sacre cerimonie della Messa*; Morozzo, *Sacre cerimonie*, etc. Præstat hic audire Stapf, § 222: « Quis non summopere doleat quod tanta Christianorum pars, quibus ceteroquin de vera Christi præsentia certissime constat, in visitando suscipiendoque hoc Mysterio adeo segnes et frigidæ conspiciantur? Ast materiam dolendi infinitas adhuc majorem Sacerdotes illi præbent, qui non tantum per integrum diem Christum in Ecclesia præsentem ignorare videntur; sed in ipsa quoque celebratione Missæ tam præcipitanter ac luride agunt, ut populo christiano scandalum, aut fors ipsam suspicionem incredulitatis moveant. »

764. Quoad præcipuas cæremonias hæc habet S. Alphonsus, *Homo Apost.*, append. III, n. 126: « Notandum quod, ut communiter traditur, Missa celebranda est *alte, breviter, clare, devote, exacte* (nempe necesse sunt quinque primæ alphabeti litteræ: *a, b, c, d, e*): — *a. Alte*, ita ut non dicantur submissee, quæ alte sunt dicenda; sed ita proferantur, ut saltem *a circumstantibus audiantur*, prout dicit Rubrica; alioquin celebrans non excusatur a culpa, sed tantum veniali. Idem dicendum de eo, qui alte recitat, quæ submissee dici debent. Imo Gavantus et Quarti putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea, quæ submissee sunt dicenda. Et consentit La Croix quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter, qui illa proferret ita elate, ut audirentur ad decem passus ubi magna esset populi pars; sed merito P. Concina hoc non audet probare. — *b. Breviter*, id est ut ordinarie loquendo non excedatur media hora, momento Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morose, ne audientes lædio officiantur*. Subdit autem Rubrica: *Nec nimis festinanter*. Hinc sapienter ait cardinalis Lambertinus cum aliis communiter Missam non debere esse longiorem dimidia hora; nec brevioris triente, id est tertia parte horæ. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, nos dicimus Missam (etiãsi sit *Defunctorum*) persolverent infra quadrantem non excusari a culpa gravi. — *c. Clare*, id est sine verborum mutilatione: quæ si sit notabilis, et sensus per eam varietur, erit mortalis. — *d. Devote*, id est sine distractione: quæ si voluntaria sit in canone, et præsertim in consecratione et sumptione, erit mortalis, ut vult Tamburinus, licet aliqui contradicant. Si autem habeatur extra canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis canonicis. — *e. Exacte*, id est ne omittatur aliquid de iis, quæ dicenda sunt. Hic

autem notandum, quod si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicendæ vel agendæ sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in canone quamlibet orationem; vel *Pater noster*, vel fractionem Hostiæ, et illius mixtionem in calice; vel purificationem patenæ et calicis post sumptionem; vel octo, aut decem verba canonis. Sic pariter erit mortale extra canonem omittere totum introitum, vel duas ex collectis principalibus; vel epistolam, evangelium, offertorium; vel infusionem aquæ in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantum Psalmum *Judica*; *Kyrie eleison*; unam ex *Collectis*; unam vel alteram *crucem* super oblata; *tunsi-nem pectoris*; vel *ablutionem digitorum*. Et idem probabiliter dicunt de Lugo, et alii de *evangelio S. Joannis*. Sic quoque veniale tantum, est omittere partes extraordinarias, uti sunt *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, *propria Præfatio*, aut *Communicantes et Hanc igitur*, *propria*. Ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constituerent materiam, ut bene advertunt Concina et Wigand, quidquid dicant Quarti et Pasqualig. » *V. Liguori etiam, Op. Mor., l. VI, n. 411.* — Romsée, Gavanti, Cavalleri.

(IV) Page 654.

Hic nonnulla specialibus ad praxim maxime spectantia quoad Missæ sacrificium, atque ad illud requisita : 1. *de altaribus*; 2. *de inser-vientibus*; 3. *de ornamentis sacerdotalibus*; 4. *de casu profana-tionis*; 5. *de consecratione et benedictione rerum*; 6. *de tactu sacrorum*; 7. *tandem de lotionem corporalium*, etc.

765. 1. *Quoad altaria.* — « On distingue deux sortes d'autels, les autels fixes et les autels portatifs ou mobiles. Ils doivent être les uns et les autres de pierre. L'autel fixe est ainsi appelé, parce qu'il est attaché à sa base; sa partie supérieure, c'est-à-dire la table, est d'une seule pierre. L'autel portatif est un marbre ou une pierre que l'on peut transporter d'un lieu à un autre. Cette pierre doit être bien unie et assez grande pour que la sainte hostie et le calice puissent commodément tenir dessus et que l'on puisse même dans l'occasion y placer le saint ciboire. On l'appelle communément *pierre d'autel* ou *pierre sacrée*. On l'incruste dans une table non consacrée soit de pierre, soit

Ex S. R. C. 7 mart. 1761, et 20 apr. 1822, Collecta imperata est dicenda in Dominicis Quadragesimæ et Adventus; exceptis tamen Dominica Palmarum et Dominica quarta Adventus dum occurrit cum Vigilia Nativitatis, cum in hac vigilia illa omittenda sit.

de bois, et on la met de niveau, afin que le calice ne soit point exposé à être renversé. Il n'est pas permis de célébrer les saints mystères sur un autel qui n'a point été consacré. Cette consécration est tellement réservée aux évêques, qu'ils ne peuvent confier leur pouvoir à de simples prêtres. Ceux-ci ne pourraient consacrer un autel qu'en vertu d'un pouvoir spécial émané du Souverain Pontife...

« Un autel ayant perdu sa consécration de quelque manière que ce soit, il n'est plus permis de s'en servir pour la célébration des saints mystères. On doit se procurer le plus tôt possible une pierre sacrée, à moins qu'on ne puisse dire la messe à un autre autel. Mais que fera le curé qui, au moment de célébrer un dimanche ou un autre jour où il est obligé de dire la messe, s'aperçoit que la seule pierre sacrée qui se trouve dans son église est brisée ou que le sépulcre qui contient les reliques est ouvert? Nous pensons qu'il peut alors dire la messe à raison des graves inconvénients qu'il y aurait à ne pas la dire, faute de pouvoir généralement faire comprendre aux fidèles pourquoi il ne la dit pas dans le cas dont il s'agit. Pour prévenir toute difficulté, le curé qui n'a qu'un autel dans son église doit toujours avoir en réserve une pierre sacrée, qu'il peut déposer dans une des armoires de la sacristie. » *Card. Goussel, t. II, p. 192 et suiv.*

2. « *Au service de l'autel*, il faut préférer les clercs aux laïques, mais il n'est pas facile d'en trouver, en particulier dans les paroisses de la campagne. C'est donc un devoir pour les curés d'enseigner ou de faire enseigner aux jeunes enfants de la paroisse à répondre convenablement à la sainte messe. Le plus souvent c'est leur faute s'ils n'ont que des enfants dissipés qui se font un jeu de ce respectable ministère, qui dénaturent les paroles et en omettent une partie. En faisant choix des jeunes enfants qui montrent le plus d'intelligence et de piété, ils doivent les élever et les mettre à même de remplir avec édification un ministère qui les associe à la célébration du saint sacrifice. » *Goussel.*

766. 3. *Quoad ornamenta sacerdotalia* notamus cum Collet, *Nouveau Traité des saints mystères*, mis en harmonie avec les règles de la liturgie romaine, par Richaudeau, p. 248 : « Les habits sacerdotaux perdent leur bénédiction, lorsqu'ils perdent la forme sous laquelle ils l'ont reçue; ou, ce qui revient au même, lorsqu'on ne peut plus s'en servir décentement pour les fonctions du saint ministère.

« De là il suit : 1° qu'une aube cesse d'être bénite, si une des manches vient à être séparée du corps, soit par violence, soit par vétusté. Ce serait autre chose si elle n'y était attachée qu'avec un lacet : car alors il en serait d'elle comme d'un calice à vis, qui se démonte sans devenir profane. Si on recousait une manche avant qu'elle fût

séparée du tout, ce tout garderait toujours sa bénédiction, quand même on y mettrait une pièce vieille ou neuve, parce que l'accessoire suit la condition du principal. Mais comment le corps d'une aube qui reste entier avec l'autre manche ne bénit-il pas celle qu'on y joint, vu surtout que les murailles d'une église servent bien à consacrer la voûte et le reste qu'on y ajoute? C'est, je l'avoue, dit Collet, ce que je ne saurais bien expliquer. Mais je puis encore moins disputer contre l'usage et le sentiment commun. Il nous semble, sans prétendre à plus d'habileté que n'en avait ce théologien vraiment recommandable, que la raison n'est pas impossible à trouver. Une église qui n'a que ses murs est encore une enceinte propre à la célébration des saints Mystères; c'est toujours une église; mais une aube qui n'a qu'une manche, étant impropre au service des autels, n'est plus une aube véritable, ou du moins elle n'est plus ce qu'elle était quand on l'a bénite.

« Du même principe il suit encore, au moins est-ce l'opinion la plus suivie, que la ceinture perd sa bénédiction quand elle est rompue, de manière qu'aucun de ses deux bouts n'est propre à ceindre le ministre de l'autel. Si l'un ou l'autre restait de longueur à pouvoir ceindre, on pourrait continuer à s'en servir. On pourrait même, pour plus grande commodité, y joindre la partie détachée. Si lorsqu'une ceinture est près de se rompre, on la répare avec du fil, ou qu'on la fortifie d'un nœud, elle reste toujours bénite, parce qu'elle forme toujours un tout dont les parties n'ont point été séparées.

« Enfin il suit encore de notre premier principe que l'étole et la chasuble perdent leur bénédiction, lorsque pour les réparer on y met tant de nouvelles pièces que le neuf l'emporte sur le vieux. Il n'en serait pas ainsi, si on ne les raccommodait que peu à peu : parce que ce serait toujours le même ornement, d'après la manière commune de juger. Si la doublure seule est renouvelée, le fût-elle en entier, l'ornement n'a pas besoin d'une bénédiction nouvelle.

« Si le même ornement était double, par exemple blanc en dessus et rouge en dedans, comme le sont assez souvent ceux des évêques, on pourrait détacher l'un de l'autre sans préjudice de la bénédiction, parce que chacun d'eux garde toute sa forme, et qu'il a été bénit des deux côtés.

« Mais que dire si d'une étole on faisait un manipule, ou d'un manipule une étole? Nous pensons d'abord que, si en pliant une étole, sans y rien changer autrement, on en fait un manipule, il n'y a rien à craindre pour sa bénédiction; parce que, celle-ci étant la même pour tous les ornements sacerdotaux, ils ne la perdent que quand ils perdent essentiellement leur forme : ce qui n'arrive point dans le cas présent. Il en serait de même si d'un long manipule on pouvait faire une étole. Mais

si en retranchant une très-grande partie d'une étole, on en faisait un manipule, je n'oserais, quoi qu'en pensent Azor et quelques autres avec lui, m'en servir à cet usage, sans le faire préalablement bénir, parce qu'il passe pour constant en ces matières que la bénédiction disparaît avec la forme. Il faudrait raisonner de la même façon si pour faire une étole d'un manipule on y ajoutait plusieurs morceaux bénits ou non bénits qui l'emportassent notablement sur la substance primitive de ce manipule. Autrement une ceinture faite de plusieurs morceaux d'autres ceintures bénites, et dont chacun en particulier ne suffirait pas pour faire le tour du corps, n'aurait pas besoin de bénédiction : ce qui ne s'accorde ni avec le sentiment des docteurs, ni avec la pratique de l'Église¹.

« On a coutume d'examiner ici ce qu'on doit faire des ornements de l'Église lorsqu'ils sont usés de manière à ne pouvoir plus servir. Un ancien canon² ordonne que tout ce qui a servi dans le temple du Seigneur soit consumé par le feu, et que les cendres en soient jetées dans le baptistère ou dans un autre lieu qui ne soit pas foulé aux pieds par les passants. Linges d'autel, chaires, chandeliers, rien n'est excepté. L'usage a dérogé à cette loi quant aux ustensiles de métal. Le feu qui les met en fusion les change tellement, qu'ils ne sont plus censés exister. Pour ce qui est des ornements et des linges d'église, on ne pourrait, sans une très-grande indécence, s'en servir à des usages profanes. Il suit de là qu'il n'est pas permis de vendre d'anciens ornements, à moins qu'on ne soit moralement sûr que celui qui les achète ne les destine à aucun usage étranger aux choses saintes. Cependant nous avons vu vendre d'anciennes garnitures d'aubes à un marchand juif, qui les destinait, assure-t-on, à des costumes de théâtre. Les prêtres ne sauraient être trop réservés sur une matière qui est si étroitement liée à l'honneur de la religion.

« Mais ce qui a servi à des usages profanes ne peut-il pas se convertir en ornements sacrés? Il faut que quelques personnes s'en soient fait autrefois du scrupule; puisque les Frères Mineurs obtinrent à cet effet un privilège de Sixte IV. C'était une grâce de surrogation. La pratique, soit des fidèles qui donnent volontiers les étoffes précieuses dont ils se sont servis pendant un temps, soit des églises qui les reçoivent avec

¹ S. Lig., lib. VI, n. 371.

² Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur... Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat; aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jaentur, ne introentium pedibus inquinentur. Cap. XXII, De consecr., dist. 1.

action de grâces, suffit pour lever les scrupules qu'on pourrait se faire là-dessus. Dieu agréa dans l'ancienne Loi les bracelets, les pendants d'oreilles, l'hyacinthe, la pourpre, que les hommes et les femmes offrirent à l'envi pour la décoration de son tabernacle et pour les habits sacrés de ses Lévités⁴, pourquoi n'agrèerait-il pas aujourd'hui de riches étoffes, dont on doit présumer qu'une religion véritable lui fait le sacrifice? Aussi le Pape Marcel consacra-t-il à Dieu un Temple de Lucine, et Boniface IV le célèbre Panthéon. Un habit n'est pas plus impur que des lieux où un encens abominable a mille fois fumé devant les démons.

« Peut-on recevoir des ornements ou des calices sur lesquels le donateur a fait mettre ses armes? Il était souvent difficile autrefois de se soustraire à une telle exigence de la part des bienfaiteurs des églises, et pour cette raison il était nécessaire d'être plus tolérant; mais cet usage est devenu si rare, et les personnes qui ornent les autels tiennent en général si peu à une pareille faiblesse, que l'on pourra toujours éviter l'indécence en cette matière. Or nous regarderions comme une indécence de placer les armoiries d'une famille sur l'étoffe d'une chasuble, la garniture d'une aube, le devant d'un tabernacle, sur une pale ou sur une bannière, etc. Mais nous ne verrions aucun inconvénient à les laisser sous le pied d'un calice ou d'un chandelier, sur un banc et surtout où ils auraient peu d'apparence. Rien n'empêcherait non plus à une personne noble qui ferait construire une église de faire sculpter ses armoiries parmi les ornements architectoniques. »

767. 4. « Aussitôt qu'une église a été polluée, on doit en ôter le Saint-Sacrement, si toutefois il se trouve dans la paroisse ou dans la ville, ou à une distance peu éloignée, une église où l'on puisse le déposer. Si pendant que le prêtre est à l'autel, l'église est profanée, il doit se retirer, à moins qu'il n'ait commencé le canon. Si cependant la chose arrivait un dimanche, un jour de fête ou de première communion, et que le curé prévît de graves inconvénients à ne pas achever la messe, nous pensons qu'il pourrait continuer quand même il n'aurait pas encore commencé le canon, si d'ailleurs le calme était rétabli dans l'église. » Goussel.

768. 5. Non solum consecratio calicis, patenæ, altaris; sed et indumentorum sacrorum benedictio ad Episcopos privatim spectat; ideo neque possunt ipsi abbates sine privilegio speciali; S. R. C. 16 maii 1744 (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 378; Benedictus XIV, *Notificatione* XXI). Episcopi autem a S. Sede obtinere solent hanc facultatem alios delegandi; sic in Novariensi Synodo, pag. 105 legitur:

⁴ Exodi xxxv.

Potestatem autem sacras vestes benedicendi ex pontificio Indulto (Rescr. 24 maii 1826) delegamus in civitate Præfectis sacrario Ecclesiæ Cathedralis et S. Gaudentii, nec non duobus antiquioribus Parochis; in Diœcesi autem Vicariis foraneis (non tamen Provincariis) pro vestibus Ecclesiarum suæ regionis. Calices vero, patenæ, mobiles lapides qui altarium mensis inseriunt, consecranda ad Nos afferantur. Arculæ tamen seu tabernaculi ac pyxidis pro Eucharistia conservanda, atque sacrarum Imaginum et Simulacrorum benedictionem ad formam a Rituali R. præfixitam, pro qua nulla sacra unctio requiritur, Nobis minime reservamus, eademque a prædictis delegatis impertiri posse declaramus (S. R. C. 17 maii 1860). Sed quoad reliquas benedictiones quæ specialem in Sacerdote facultatem requirunt, ut puta primarii lapidis pro ecclesia ædificanda, cæmeterii, etc., hæc erit a Nobis singulis in casibus impetranda. — Quæ benedictio paramentorum, etc., facta pro aliis Ecclesiis non valet ab iis qui ex indulto potestatem habent: patet ex S. R. C. 13 mar. 1652, et 16 maii 1744 ubi habetur: Abbates, Guardianos, Rectores Societatis Jesu, et alios quoscumque habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi cæmeteria et similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus in quibus sacra unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat monasteriorum et ecclesiarum propriarum.

769. In nonnullis locis aquæ in calicem infusio fit cum cochleari aureo vel argenteo; hujus instrumenti nec benedictionis præceptum nec forma inveniuntur. « Cum tamen accidere possit, ut musca, aranea, vel quid aliud cadat in calicem cochleari extrahendum, hinc convenit, ut benedictione sanctificetur: hoc autem fieri potest formula benedictionis vasculi seu pyxidis (ab habente facultatem) pro sacrosancta Eucharistia conservanda, mutatis mutandis, ut sequitur: *Omnipotens sempiternus Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut instrumentum hoc ad tuum sacrum ministerium fabricatum, etc.* » Ita Romsée, *Praxis celebrandi Missam*, t. I, Mechliniæ, 1858.

770. 6. Quoad tactum Vasorum sacrorum audiendus Benedictus XIV, *Notificatione* xxxiv: « Certum est (licet mitiores recentium scriptorum opiniones sequi velimus) Sacerdotibus tantum ac Diaconis potestatem fieri, ut sacra Vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeantur. Subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, Calicem et Patenam tangere, ubi Christi Corpus et Sanguis non fuerit. Acolytis autem extra Altaris ministerium eadem facultas traditur, cum vasa sacra ad sacrificium necessaria preparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut Ordinati omnes et qui sola tonsura præditi sunt, si aliqua causa intercedat, sacra Vasa dum vacua

sunt, extra Altaris ministerium contingant. » Hæc sententia communissima et verior appellatur a S. Alphonso (*Op. Mor.*, l. VI, n. 582). Ait autem peccatum esse tantum veniale in laicis, si sacra Vasa extra necessitatem tangant Eucharistiam non continentia; cum non reputetur hæc materia gravis. Id tamen permittitur laicis regularibus sacristis ex privilegio Calixti III et Sixti IV; item monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. Imo hodie potest dici ex consuetudine id quoque licere laicis oblati congregationum Sacerdotum sæcularium sacristis, et omnibus qui in habitu clericali Ecclesiis inserviunt; hi enim in Ecclesia muneribus Clericorum funguntur. — Quod dictum est de *Vasis sacris*, idem dic de *Carporalibus*, ut aiunt communiter: minime autem peccant laici tangentes vestes sacras, aut alia non immediate attingentia Corpus et Sanguinem Christi, ut bene aiunt Suarez, Concina, Layman, etc., ex sententia nunc in praxi recepta. — V. Ferraris, v^o *Vasa sacra*.

An calices, aliaque vasa sacra unctione consecrata sive adhuc consecrationem retineant sive non, antequam tradantur artificii reficienda vel fundenda, debeant a Sacerdote execrari (id est ictu manus aut instrumenti quasi despici, ut hoc modo rejecta habeantur). *Negative*. S. R. C. 20 apr. 1823.

771. 7. *Prima lotio* corporalium, pallarum, ac purificatoriorum fieri debet a Diaconis vel Subdiaconis, et aqua lotionis mitti debet in Sacrarium. Hodie tamen fit etiam a Tonsuratis. Si autem primam lotionem faceret laicus, vel aqua lotionis non mitteretur in Sacrarium, sed in alium locum decentem, id non posset excusari a veniali. Quæsitum fuit a S. R. C. : utrum moniales seu piæ femine vitam communem sub regula degentes, possint cum licentia Ordinarii, primo abluere corporalia, pallas, et purificatoria? Respondit 12 sept. 1857 : *Negative*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 382. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Ablutio.

(00) Page 655.

772. Quoad Reliquias habent *Annali Religiosi* (Roma, ser. II^a, t. I) : « Selon les journaux anglais, le prince Albert a acheté l'habit que Nelson portait à la bataille de Trafalgar pour 150 livres sterling ou 3,800 francs; il a fait déposer cette relique à l'hôpital de la marine. Un exemplaire du *Décameron*, de Boccace, imprimé à Venise en 1471, monta dans une vente à 2,260 livres sterling, et un volume où Shakespeare avait mis son nom à 120 livres. Le siège d'ivoire que la cité de Lubeck donna à Gustave Vasa a été vendu, en 1832, 58,000 florins,

et l'habit que Charles XII portait à la bataille de Pultawa coûtait, en 1825, 22,000 livres sterling ou 560,000 francs. En 1816, une dent de Newton se vendit 750 livres sterling. A l'occasion de la translation des restes d'Héloïse et d'Abailard, un Anglais donna, d'une seule dent d'Héloïse, 100,000 francs. Par contre, le crâne entier de Descartes, vendu à Stockholm, ne coûtait que 99 francs. Une canne de Voltaire fut vendue 500 francs, à Paris. Un habit de Rousseau 959 francs, sa montre de cuivre 500 francs. Une vieille perruque de Kant coûtait 200 francs; une autre de Sterne monta à 200 guinées. On a vu acheter pour 12,756 francs les deux plumes qui signèrent le traité d'Amiens. Le chapeau que Napoléon I portait à Eylau s'est vendu 1,920 francs. Tout ceci, il faut le penser, est fort raisonnable et même fort louable; mais, si les catholiques se permettent d'honorer les reliques des saints, il faut crier à la superstition. »

Adversarii non tantum Reliquias, sed ipsorum altarium pluralitatem de medio tollere vellent, ut sic tandem ad nihil redigant quæ sunt cultus. Cum autem ad antiquitatem appellant, contra antiquitatem aperte faciunt: quod enim fuerit antiquitas plurium altarium usus, satis est commemorare sacella, quæ adhuc in catacumbis Romanis subsistunt, in quibus duo, tria, novem etiam altaria in eodem cubiculo inveniuntur; ut omittam Ecclesiam S. Sepulchri a Constantino extractam, in qua tria altaria, Basilicam Ostiensem, aliasque non paucas, in quibus plura recensebantur altaria. Hinc Bolla *Auctorem fidei* propositio 31 Synodi Pistoriensis enuntians conveniens esse pro divinatorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare... merito damnata fuit ut temeraria, perantiquo, pio, multis ab hinc sæculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti et probato mori injuriosa. — V. *Annali Religiosi*, v. XVII, pag. 355. — Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, Opusc. XXVII: sepolture nelle Chiese; numero degli altari, immagini sugli altari; lumi; processioni; pellegrinaggi a' luoghi santi; divisione nelle Chiese. — Bona, *Rerum liturg.*, l. I, c. xiv. — Gerdil, *In Bullam Auctorem fidei*, *Commenta*. — P. Filippo Anfossi, *Difesa della Bolla Auctorem fidei, in cui si trattano le maggiori questioni che hanno agitato in questi tempi la Chiesa*; Roma, 1816.

773. Quoad imagines, vid. *I Fasti della Chiesa nelle vite dei Santi*. Mil., t. XII: prefazione. Ceterum hic sufficiat regulas canonicas de usu sacrarum imaginum memorare, quas refert auctor *Prælection. juris can. habitæ in Semin. S. Sulpitii*. Paris, 1860; part. III, a. 1. — « 1. Nemini licet in Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam imaginem ponere vel ponendam curare, nisi ab episcopo approbata fuerit (Trident., sess. 25, decret. de in-

vocat. et vener. Sanct.); — 2. Imagines quæmore consueto mysteria, historiasve sanctorum exhibent, poni possunt quin fuerint prius approbate ab episcopo; non autem inconsulto parochæ aliore loci tutulari; — 3. in choro non aliæ imagines teneri debent quam Sanctorum, ex S. R. C.; — 4. imagines servorum Dei qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in ecclesiis nec in oratoriis publicis, antequam decretum de cultu ipsis exhibendo prodierit. Id saltem cavendum, si in quodam loco extra chorum apponantur, ne in tabula picta represententur cum radiis aliisque sanctitatis signis, nec eo modo qui cultum ipsis exhibitum significet. »

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

(PP) Page 661.

774. An (quæres) Missa pro multis specialiter oblata tantum unicuique proficiat ex opere operato quantum proficeret, si pro uno tantum illa offerretur?

Plures cum S. Bonaventura, Roncaglia, Soto et aliis negant; quia ex Christi institutione valor Missæ licet sit infinitus, finito modo tantummodo applicatur. Recentiores tamen communissime affirmant contententes, effectum non ex institutione Christi, sed ex finita capacitate, ac dispositione hominum limitari. Siquidem Sacrificium hoc idem est quoad valorem ac Sacrificium crucis, quod fuit valoris infiniti juvans omnes: hinc si sacrificium offerretur pro centum, singuli tantum perciperent fructum, quantum perciperet unus ille, pro quo solo offerretur. Neque obstat, quod si hoc valeret, frustra Ecclesia Missas multiplicaret; nam responderetur quod fructus Sacrificii non percipitur juxta suum valorem, sed juxta dispositionem illius, cui applicatur: hinc quo pluries pro uno repetuntur Sacrificia, eo pluries fructus participatur. — Non ideo tamen sequitur plura stipendia pro una Missa accipi posse; tum quia hoc datur ad sustentationem, non ratione fructus pretii; tum quia cum adhuc sit *probabilis* prima sententia, periculum est primum offerentem fraudandi; tum quia id prohibitum est. Unde optime se geret Sacerdos, si absolute Missam offerat pro eo, qui dedit stipendium; pro aliis vero sub conditione, nempe sine illius præjudicio. — V. Liguori, *Opera dogmatica*, sess. 22; it. *Sull'onorario delle Messe*, n. 25.

Hæc secunda sententia speculative loquendo videtur probabilior; at quia contraria adhuc est probabilis, non licet (ex dictis) Sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno applicare Missam pro illo in generali, cum aliis; nisi saltem sub conditione, nempe modo ille non defraudetur.

Notandum hic quoad Sacrificium Missæ: in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur a malo Sacerdote, quam a bono, cum valor Missæ sit ex opere operato pendens a meritis Christi. In quantum autem pertinet ad fructum precum, quæ in Missa dicuntur, ipsæ etiam valent factæ a Sacerdote peccatore, quatenus hic orat nomine Ecclesiæ, quia Ecclesia semper est Deo grata: secus quatenus orat nomine proprio. Ita S. Thomas (3 p., q. 82, a. 6). Hinc dixit Alexander papa (Can. 91, Caus. 1): *Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus clamant, exaudiuntur.*

An (quæres) valeat applicatio pro primo offerente? — Applicatio pro primo offerente est graviter illicita, et eam prohibuit Paulus V uti *periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, et a vetusto Ecclesiæ more aberrantem.* Imo probabilius est etiam invalida, si causa applicationis hic et nunc non existat; nam Missæ effectus non potest suspendi (idem autem est de conditione futura). Quod si causa de facto vere existat, applicatio esset valida: sic, v. g., qui prævideret Missas pro tali defuncto postulandas fore, ante postulationem valide applicaret; quia subsistit causa et persona determinata est. — V. Benedictus XIV, *Notific. XCII.*

Ob eandem rationem non videtur satisfacere qui accepto stipendio a decem personis pro decem missis, applicat primas decem missas quas dicit, pro ipsis in confuso; quia adest determinatio personæ in singulis sacrificiis. Aliter esset si sic celebrando intendat, ut prima missa sit pro primo qui dedit stipendium, secunda pro secundo et ita successive. Vel etiam si omnes decem missas applicet pro illis decem personis unitis; nam singulis tunc dat quod debet, cum unicuique tunc singulis diebus correspondeat decima pars sacrificii, adeo ut in fine singuli singulam missam habeant. Nec refert quod sic fructus dividatur; hic utique potest dividi. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 355.

In Capellanis (ac Beneficiis cum onere Missarum regulariter Sacrificium est applicandum pro fundatore, etsi dicantur simpliciter celebrandum esse. Unde sola presentia non sufficit; sic enim communiter accipitur nomen *celebrare*: idque valet, non obstante quacumque observantia in contrarium. Excipe nisi aliud præ se ferat voluntas fundatoris vel expressa vel ex urgentibus conjecturis elicitæ, ut esset: — 1. si celebratio demandata sit pro commodo populi, vel monialium, vel confraternitatis; — 2. si fundator præscribat certum numerum Missarum, et aliquas expresse pro anima sua applicari mandaverit, et quoad alias nil dixerit. Quid si dixerit *orandum pro anima sua?* adhuc censetur injuncta applicatio; — 3. si tenues sint redditus judicio prudentum, ita ut non sufficiant ad honestam beneficiati sustentationem, si deberet etiam applicare. Ita pluries declaravit S. C. Congre-

gatio, ut videre est in *Thesouro Resolutionum*, t. III et IV. — It. V. A Mostazo, *De Causis piis*, l. II, c. III.

(20) Page 686.

775. Pauca quædam de *variis Missarum speciebus*; de nonnullis diebus, quibus *prohibentur Missæ*, de *numero Missarum*; de *Indulgentia* altaris privilegiati, deque *voto* pro animabus purgantibus emisso, atque *Rosario viventi*.

1. Variæ distinguuntur species Missarum: *major* quæ celebratur cum cantu, et dicitur etiam *Missæ cantata*; *minor* quæ est sine cantu, et dicitur *lecta*. — *Solemnia* si celebretur cum cantu, thure, etc., ministrantibus diacono et subdiacono. — *Solemnia* ab aliquibus dicitur etiam quæ canitur sine ministris, si tamen ea sit principalis et canatur cum aliqua solemnitate, uti est parochialis, festiva et conventualis. Attamen hæc ab aliis dicitur *media*: hinc ad quæsitum an missa quæ cantatur a solo sacerdote sine ministris sit solemnitas et acquiratur indulgentia data pro assistentia missæ solemniter, C. Indul. 14 nov. 1724 respondit *negative*. — *Publica* ad quam populi concursus admittitur: parochialis est suapte natura publica. *Privata* autem, ad quam non admittitur concursus, neque apparatus, sive canatur sive non (*privata* solet etiam dici, quando Sacerdos cum solo ministro, vel paucis fidelibus Missam legit). — *Missæ præsanctificatorum* (ab aliquibus dicitur *sicca*) est quæ celebratur, hostia prius consecrata, ut in die veneris sancti: pro qua nequit acceptari elemosyna, cum non sit verum sacrificium; proprie tamen *Missæ sicca* (*Messe sèche*) illa erat quæ olim celebrabatur, sine oblatione et consecratione in mari super navem (vid. Benedictus XIV, *De Sacr.*, l. III, c. vi). — *Votiva* dicitur ex devotione diebus permissis, et est quæ non concordat cum officio diei, quæ tamen debet concordare cum colore de die, nisi agatur de votiva solemniter celebrata ob gravem vel publicam causam. — Tandem *defunctorum* quæ celebratur in paramentis nigris. Quando autem prohibentur *votivæ ordinariæ* et defunctorum, notat Calendarium Diocesis sub initio. Diximus *votivæ ordinariæ*; de votivis enim solemnibus jam in textu.

2. In Ecclesia romana (ut dictum fuit in textu *agendo de Missæ tempore*) omnes Missæ prohibentur die veneris sancti (et ideo dicitur dies *aliturgicus* id est sine liturgia, quia caret sacrificio omnium liturgiarum primo). Missæ vero private etiam Sabbato sancto, et feria v in Coena Domini. Occurrente vero in ipsa Coena Domini festo S. Joseph, et Annuntiationis (hæc tamen Festa in toto Sabaudia regno suppressa

fuerunt Brevi 40 sept. 1855), Episcopus curabit, ut aliquæ Missæ private ad satisfaciendum præcepto, ante solemnem celebrentur. Si autem Festum B. V. occurrat Sabbato sancto, vel die veneris sancti (hisce diebus non potest cadere Festum S. Josephi, cum Pascha non possit contingere ante diem 22 martii), festum de præcepto ex Decretis S. R. C. transfertur ad feriam ii post Dominicam in Albis. — V. Liguori, *Opus Morale*, l. VI, n. 350; et Gavantus et Merati, qui notant, quod si in hisce diebus sabbati et veneris sancti cadat Festum de Patrono, quod sit de præcepto, non ideo potest transferri, ut supra; translatio est tantum specialis prerogativa Annuntiationis B. V.; unde esset tantum transferendum Officium, et ipsum festum Patroni esset observandum die quo currit, si excipiatur auditio Missæ in die veneris sancti, cum non possit hac die celebrari.

Græca Ecclesia tota quadragesima non celebrat, exceptis sabbatis et dominicis; Ecclesia autem Ambrosiana omittit tunc temporis celebrare diebus veneris.

3. Extra diem Nativitatis Domini Nostri (in qua *Occidentalibus permittitur trium Missarum celebratio*, percipiendo etiam a singulis missis elemosynam) sub gravi prohibetur duas Missas aut plures celebrari una die ab eodem Sacerdote, nisi in aliqua singulari circumstantia et cum licentia Episcopi, ut evenit in partibus infidelium. Ita Alexander II, cap. *Sufficit. de cons. dist. 1*, et Benedictus XIV, *Brevi Declaratione*, 16 mart. 1746 (Liguori, *Homo Apost.* App. III, n. 127; et *Opus Mor.*, l. VI, n. 351). — Excepi diem Commemorationis omnium defunctorum pro Sacerdotibus Hispaniæ ac Lusitaniæ, quibus concessum est tres Missas celebrare a Benedicto XIV, *Indulto Quod expensis* 1748; sub hac tamen speciali conditione, ut illis non liceat, nisi pro una Missa exigere stipendium.

Diximus *Occidentalibus permittitur*; hic enim ritus est tantum de latina ecclesia: unde ab Orientalibus non ita facile usurpari potest, etsi degant apud nos, ut notat idem Benedictus XIV *Constitutio*, In superiori, anno 1755. — It. vid. *Analecta juris pontificii*, anno 1853: du binage dans les paroisses, pag. 545.

4. Quoad Indulgentiam Altaris privilegiati hæc notanda: — 1. quando Indulgentia Altaris privilegiati ulpote plenaria de se nata sit omnem poenam defuncto remittere, non ideo tamen concludendum, quod infallibiliter e purgatorio anima illa liberabitur, ac ideo quod non possit iterum alia similis Indulgentia applicari. Nam effectus Indulgentiæ est quidem infallibilis pro vivis; non item pro defunctis, cum pro istis nulla adsit Dei promissio; unde eas acceptat tantum ad suum beneplacitum. Adde: defunctus potest esse venialiter coinquinatus; at peccatum nondum remissum quoad culpam, non potest per Indulgentiam quoad

poenam remitti: hinc merito ab Alexandro VII sub n. 45 damnata est propositio: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam decem annos*; — 2. status gratiæ non requiritur ad hoc, ut Indulgentia Altaris privilegiati valide applicetur; quia non a personalius Sacerdotis dispositionibus ea dependet, sed a divini Victimæ oblatione; — 3. etiam defunctis catechumenis qui in fide ac charitate mortui sunt, potest hæc Indulgentia applicari. Ita communiter; nam hæc applicatio ipsis tantum fit per modum suffragii. Sane pro ipsis offerri potest Missæ Sacrificium, atque id olim cuidam Episcopo præceperat Innocentius III; ergo etiam Indulgentia applicari. *Bouvier.*

5. Ut maximum quo fieri potest animabus in purgatorio detentis procuraretur solatium, sedente Benedicto XIII, quædam pia devotio, quam votum, seu oblationem appellant, instituta fuit, per quam fideles ipsam amplectentes omnia opera satisfactoria dum vivunt, et singula pro ipsis oblata suffragia post mortem, animabus jam in purgatorio degentibus singulari pietate offerunt. Hoc votum seu oblatio, sive donatio animabus illis applicat totum fructum satisfactorium; non autem meritorium, propitiatorium et impetratorium, qui adhuc nobis prodest; potest autem illud emitti etiam solo voluntatis nutu; non tamen obligat sub peccato. Benedictus XIII et Pius VI illud Indulgentiis cumularunt, quas quidem Pius papa IX 30 sept. 1852 Decreto urbis et orbis confirmavit, declarando tamen: — 1. quod Sacerdotes ipsum votum profitentes Indulto Altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus; — 2. quod omnes Christifideles, qui idem votum amplexi sunt, Indulgentiam plenariam Fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant, quocumque die ad sacram Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum Missæ Sacrificium in suffragium eorundem defunctorum Fidelium audierint; dummodo in utroque casu aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Sux pie oraverint; — 3. quod ipsis Christifidelibus omnes et singulas Indulgentias quocumque modo concessas, vel concedendas quas lucrari possint, animabus pariter defunctorum applicare liceat. Neque prohibentur Sacerdotes tale votum emittentes celebrare et applicare pro iis, pro quibus debent, vel a quibus stipendium accipiunt, uti declaravit Benedictus XIII. — V. *Atto eroico di carità verso le Sante Anime del purgatorio.* Genova, Novara 1855.

6. Plurimum etiam conferre potest tam pro vivis quam pro defunctis ob indulgentias adnexas *Rosarium vivens*. Quid autem? « C'est une association dont les membres, divisés par quinzaines, récitent chaque jour le rosaire en disant chacun une dizaine de chapelet. On l'appelle

vivant, parce qu'il est toujours en action et que, si les confrères qui le composent font défaut, ils sont aussitôt remplacés par d'autres, de telle sorte que cette pratique ne soit jamais interrompue. Le but est d'honorer les mystères de la vie de J. C. et de la sainte Vierge et d'obtenir la conversion des pécheurs, la persévérance des justes et l'exaltation de la sainte Église catholique, apostolique et romaine. — Grégoire XVI approuva cette confrérie le 27 janvier 1852, et l'enrichit d'un grand nombre d'indulgences. » V. *Stub. La scuola di Maria nel suo mese di maggio, pei misteri del S. Rosario, meditazioni con esempi.* Torino 1859.

APPENDIX I

SOLUTIONS DE LA SACRÉE PÉNITENCERIE DE ROME SUR QUELQUES DOUTES QUI SE SONT ÉLEVÉS SUR LE SENS DE LA BULLE PONTIFICALE PUBLIÉE. LE 15 SEPTEMBRE 1822, CONTRE LES SOCIÉTÉS SECRÈTES¹

Très-saint Père,

L'archevêque de Naples et les autres évêques du royaume interrogent Votre Sainteté à l'égard des réponses qu'ils ont cru devoir faire, réunis en Congrégation, aux doutes suivants, à l'occasion de la promulgation de la Bulle contre les Carbonari.

I^{er} Doute. Quel caractère le S. Père a-t-il donné, dans cette Constitution, à la secte des Carbonari? — R. Vu les dogmes et les commandements impies de cette société, et en particulier la permission qu'elle accorde à chacun de se faire une religion à son gré, nous avons cru devoir la déclarer une secte téméraire et hérétique.

II. Quel jour commence à obliger cette Bulle? — R. Ayant été affichée à Saint-Jean-de-Latran et au Vatican le 15 de septembre dernier, elle oblige dès ce jour pour le commun; elle oblige pour les personnes particulières dès le jour et l'heure où l'on en aura eu quelque connaissance.

III. Ceux qui ont encouru cette sentence peuvent-ils jouir du privilège accordé par la Bulle *Cruciatae*? — R. Ils ne peuvent pas en jouir, parce que la faculté accordée par la Bulle *Cruciatae* ne s'étend pas à la censure qui est encourue par le péché d'hérésie.

IV. Les vieux Carbonari qui sont rentrés dans le sein de l'Église depuis la publication de la Bulle peuvent-ils jouir du bienfait des facultés anciennes? — R. La persévérance dans le mal constitue une nouvelle faute, et dès lors ils sont compris dans la nouvelle Bulle.

V. Celui qui assiste d'une manière feinte à toutes les cérémonies des Carbonari, pour en connaître les embûches et en détourner les autres,

¹ Quæ declaratio sic legitur in libro cui titulus : *Enciclopedia ecclesiastica, Opera periodica compilata dal P. G. Ventura, Teatino. Napoli, 1841, tom. II, p. 485.*

encourt-il cette excommunication? — R. Vu les paroles de la Bulle : *Ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat*, etc., il l'encourt sans aucun doute.

VI. Quelle connaissance est requise pour être obligé à la dénonciation? — R. La connaissance oculaire est supposée; quant à celle qui vient de l'ouïe, il faut examiner le caractère de l'accusateur et rapporter tout tel quel à l'ordinaire.

VII. Le fils doit-il dénoncer le père, la sœur, le frère, et vicissim? — R. Après avoir établi que c'est une secte hérétique, le fils est tenu de dénoncer le père, et vicissim, mais tout cela avec une grande prudence et en secret.

VIII. Un juge laïque qui connaît par une procédure qu'un accusé est carbonaro, est-il obligé de le dénoncer à l'Église? — R. Les paroles de la Bulle sont celles-ci : *Præcipimus omnibus sub eadem excommunicationis pena... denuntiare... eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse*; donc dans le cas le juge laïque est obligé de le dénoncer.

IX. Doit-on dénoncer ceux dont la conversion est certaine et qui se sont confessés? — R. Les hérétiques, quoique amendés, sont obligés à la dénonciation passive, pour réparer au moins les conséquences funestes.

Reverendissimo in Christo Patri S. R. E. Cardinali Archiepiscopo
Neapolitano salutem et sinceram in Domino charitatem.

Sacra Pœnitentiaria, jubente SS. Domino Nostro Pio divina Providentia Papa VII, diu multumque deliberavit de quæstionibus Neapoli exortis, cum promulgata est constitutio *Ecclesiam a Jesu Christo adversus Carbonarios*; deque responsionibus, quas iis adhibendas existimarunt Reverendissimus in Christo Pater S. R. E. Cardinalis Aloysius Ruffo, Archiepiscopus Neapolitanus, alique Episcopi, et docti Ecclesiastici viri ab Eo in concilium acciti, atque ita rescribendum censuit. — Commendat quidem Sacra Pœnitentiaria, et vehementer quidem præclaram amplissimi Cardinalis et ceterorum Antistitum, et Ecclesiasticorum hominum pietatem, qui more majorum in re dubia ad caput, id est ad B. Petri Sedem refulerunt, atque in præstantissimo hoc facto veteris in Sedem Apostolicam observantiæ exempla intueri sibi visa est.

Deinde de singulis quæstionibus atque responsionibus, quæ iisdem adhibitæ sunt, ita judicat.

Ad I. Nihil impedire, quominus existimetur, Sectam Carbonariam declaratam fuisse temerariam, et hæreticam a SS. Domino Nostro, qui

tamen ab iis appellationibus abstinet; sed inde non sequi omnes, qui sectæ illi nomen dant esse hæreticos. Nam cum iis præsertim, qui in primo gradu *des initiés* versantur, Sectæ errores callide occultentur, evenit fortasse non raro, ut ii nullam hæresim profiteantur.

Ad II. Per Constitutionis promulgationem, quæ idibus septembris Romæ evenit, eam adeptam esse Legis dignitatem, et vim obligandi. Ut vero singuli ea obligentur, necessariam esse ejusdem notitiam, quæ qualis esse debeat, poterit ex iis intelligi, quæ Theologi et Canonistæ docti ac probati disserunt.

Ad III. Posse Carbonarios, si nullam hæresim exterius professi sunt, vi Bullæ *Cruciatae* ab excommunicatione absolvi, quæ in eos in Const. *Ecclesiam a Jesu Christo* lata est.

Ad IV. Si post Constitutionis publicationem, et acquisitam illius notitiam, quæ satis est obligationi inducendæ, veteres Carbonarii in secta perseverarunt aut aliquo ex iis criminibus se inquinaverunt quæ § *Quocirca* commemorantur, excommunicationem in Const. latam incurrisse, a qua absolvi nequeunt ex facultatibus, quæ antea Episcopis ad Carbonarios absolvendos a S. Pœnitentiaria concessæ fuerant.

Ad V. Rectissimam esse concilii Neapolitani responsionem, et eum qui fide ad conventus Carbonarios accedit, et eorum cæremoniis interest, excommunicationem incurrere.

Ad VI. Obligationem in Constitutione impositam de Carbonariis denunciandi eadem ratione esse interpretandam, qua leges Ecclesiasticæ, quibus hæreticorum denuntiatio præcipitur; quoniam utramque denuntiationem publicam Ecclesiæ bonum postulat. Itaque cogi ad Carbonarios denunciandos non modo eum qui ex propria scientia, vel eorundem Carbonariorum confessione non sacramentali noverit, eos ad Sectam illam pertinere; sed etiam eum, qui id a relationibus fide dignis accepit.

Ad VII. Ex eadem, quæ in responsione superiore indicatæ est ratione, cum de Carbonariis agitur, a filia patrem, a sorore fratrem germanum, et vicissim debere denunciari.

Ad VIII. Judicem laicum teneri ad denunciandum Episcopo hominem, quem ex actis quæstionis a se habitæ cognoverit Carbonarium esse.

Ad IX. Etsi fortasse non omnes Carbonarii pro hæreticis haberi possint; omnes tamen, etiamsi resipuerint, denunciari debere ex ea ratione, quæ superius in responsione ad VI indicatæ est.

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 8 novembris 1821.

J. B. Bussi, S. P. Regens.

Locus † Sigilli.

J. Pio, S. Pœnitentiariæ Secretarius.

APPENDIX II

RÉSUMÉ DES RÈGLES GÉNÉRALES CONCERNANT LES LIVRES PROHIBÉS, PUBLIÉS PAR ORDRE DU CONCILE DE TRENTE, ET PAR DES DÉCLARATIONS SUBSÉQUENTES DU SAINT-SIÈGE.

1. Tous les livres qui, avant l'année 1515, ont été condamnés par les Souverains Pontifes ou par les conciles œcuméniques, doivent être considérés comme prohibés lors même qu'ils ne seraient point dans le catalogue de l'*Index*.

2. Les livres des hérésiarques, où depuis cette époque les hérésies ont pris naissance ou ont été renouvelées, ou qui ont été des sources et des guides pour les hérétiques, quel qu'en soit le titre ou l'objet, sont absolument prohibés, aussi bien que les livres des hérétiques qui traitent *ex professo* de matières appartenant à la religion. S'ils ne traitent pas de matières de ce genre, ils seront permis après l'examen et l'approbation de qui de droit. Il faut dire la même chose, moyennant les mêmes approbations, de ceux dont la doctrine est catholique, et dont les auteurs sont tombés plus tard dans l'hérésie ou sont rentrés, après leur chute, dans le sein de l'Église.

3. Les traductions des auteurs ecclésiastiques publiées autrefois par des auteurs condamnés sont permises, pourvu qu'elles ne contiennent rien de contraire à la sainte doctrine. Celles du Nouveau Testament, faites par des auteurs compris dans la première classe de l'*Index*, sont absolument défendues. Quant aux versions de l'Ancien Testament et à la Bible de *Vatable*, les évêques peuvent en permettre la lecture à des personnes pieuses et instruites qui ne les considéreraient que comme simple interprétation. Il faut retrancher de la Bible d'*Isidore Claire Brescian* le prologue et les prolégomènes.

4. Quant aux traductions de la Bible en langue vulgaire, en vertu de la décision donnée par Clément VIII et par le décret de la sacrée Congrégation de l'*Index*, du 15 juin 1757, il n'y a de permises que celles qui ont été approuvées par le Saint-Siège ou publiées par son ordre.

5. Les recueils, comme *lexiques*, *concordances*, *apophthegmes*, faits par des auteurs hérétiques qui y auraient ajouté quelque chose d'eux-mêmes, ne doivent point être considérés comme permis, jusqu'à ce qu'ils aient été approuvés par les évêques dans les formes prescrites.

6. Les livres de controverse entre hérétiques et catholiques écrits en langue vulgaire ne sont point permis tant qu'ils n'ont pas lesdites approbations. Ceux qui auraient été interdits dans une province ou dans un royaume, comme ne pouvant sans inconvénient être lus par tous, pourront être permis après avoir été corrigés, si leurs auteurs sont catholiques.

7. Les livres qui traitent *ex professo* de choses lascives et obscènes sont absolument défendus. Les livres anciens des auteurs païens sont permis en considération de l'élégance et de la pureté de la langue; ils ne devront pourtant pas être lus par des enfants.

8. Tous les livres qui traitent soit de l'astrologie judiciaire, soit de la divination des futurs contingents ou dépendants du libre arbitre de l'homme, soit d'autres superstitions, sont absolument condamnés. On permet les observations naturelles ou les conclusions qui ont pour objet de venir en aide à la médecine, à l'agriculture, à la navigation. Par ordre de Clément VIII, on doit faire les remarques suivantes à propos de cette règle; 1° il faut prévenir les fidèles que, en vertu d'une Bulle de Sixte V, les évêques ont le droit de procéder contre ceux qui lisent ou qui retiennent les livres d'astrologie judiciaire dont il est question dans cette même règle; 2° que le *Talmud* des Hébreux, avec les gloses, interprétations et notes, quoique imprimé sans ce nom et avec les conditions prescrites par Pie IV, est absolument prohibé, et avec lui tous leurs livres cabalistiques et leurs autres productions irréligieuses; 3° que le livre des Hébreux, connu sous le nom de *Mogazar*, n'est toléré qu'en langue hébraïque, et que toutes ses versions, en quelque langue que ce soit, sont prohibées.

9. Pour l'impression d'un livre ou écrit quelconque, on doit observer les prescriptions du concile de Latran, sous le pape Léon X, sess. x. Ceux qui seraient publiés sans l'approbation des supérieurs ecclésiastiques que cela regarde, suivant le lieu de l'impression, seraient soumis aux peines portées par le susdit décret. Les imprimeurs et les libraires devront être assujettis à ces lois.

Le pape Clément VIII, dans son instruction sur ce sujet, ajoutée par son ordre auxdites règles, fait remarquer que tous les livres prohibés dans une langue doivent être considérés comme également prohibés en quelque langue qu'ils viennent à être traduits.

Quant aux livres prohibés avec la clause *donec corrigantur*, ou *donec expurgentur*, il faut remarquer, comme le dit le R. P. Alexandre-Angélique Bardani, secrétaire de la sacrée Congrégation de l'*Index*, qu'on ne doit point faire d'autorité privée les corrections voulues, mais qu'il faut les attendre de l'autorité de cette même Congrégation.

10. Enfin, à propos des censures encourues immédiatement par

ceux qui lisent, qui retiennent ou qui vendent des livres prohibés, il faut remarquer, suivant l'avertissement du même P. Bardani, que l'excommunication réservée au Saint-Siège s'étend non-seulement aux livres traitant de religion *ex professo*, ou enseignant l'hérésie, ou suspects d'insinuer de fausses croyances, d'après les constitutions de plusieurs Souverains Pontifes, principalement de Pie IV, *Dominici gregis*, de Grégoire XV, *Apostolatus officium*, d'Alexandre VII, *Speculatores*, mais encore aux livres de ce genre qui, depuis les constitutions apostoliques mentionnées, ont été signalés dans les brefs ou les bulles des papes postérieurs.

APPENDIX III

DECRETA DE LIBRIS PROHIBITIS NEC IN INDICE NOMINATIM EXPRESSIS¹

Cum non omnes libri qui, vi Constitutionum Apostolicarum, aut Decretorum Congregationum S. Officii et indicis, prohibiti sunt singillatim describi in Indice propter eorum ingentem numerum possint, necessarium visum est hujusmodi libros ad certa quaedam capita revocare, ac per materias de quibus agunt eorum veluti Indicem conficere, ut, si quod circa librum aliquem in Indice non descriptum, aut in Regulis ejusdem Indicis non comprehensum, exoritur dubium, intelligi possit utrum inter prohibitos sit computandus.

§ 1. — Libri ab Hæreticis scripti, vel editi, aut ad eos sive ad infideles pertinentes prohibiti.

1. Agenda, seu Formulæ precum, aut Officia eorundem.
2. Apologiæ omnes quibus eorum errores vindicantur, sive explicantur, et confirmantur.
3. Biblia sacra eorum opera impressa, vel eorundem Annotationibus, Argumentis, Summariis, Scholiis et Indicibus aucta.
4. Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metricè conscriptæ.
5. Calendaria, Martyrologia ac Necrologia eorundem.

¹ Sic legere est in ipso *Indice librorum prohibitorum*.

6. Carmina, Narrationes, Orationes, Imagines, libri in quibus eorum fides ac religio commendantur.

7. Catecheses et Catechismi omnes, quamcumque inscriptionem præferant, sive librorum Abecedariorum, sive Explicationum Symboli Apostolici, Præceptorum Decalogi, sive Instructionum, ac Institutionum Religionis Christianæ, Locorum Communium, etc.

8. Colloquia, Conferentiæ, Disputationes, Synodi, Acta Synodalia de fide et fidei dogmatibus ab eisdem edita, et in quibus explicationes quæcumque eorum errorum continentur.

9. Confessiones, Articuli, sive Formulæ fidei eorundem.

10. Dictionaria autem, Vocabularia, Lexica, Glossaria, Thesauri, et similes libri ab iisdem scripti, sive editi, ut Henrici et Caroli Stephani, Johannis Scapulæ, Johannis Jacobi Hofmanni, etc., non permittuntur, nisi deletis iis quæ habent contra Religionem Catholicam.

11. Instructionum et Rituum sectæ Mahumetæ libri omnes.

§ 2. — Libri certorum argumentorum prohibiti.

1. De materia Auxiliorum Divinorum libri, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione tractantes, impressi nulla obtenta licentia a Congregatione S. Officii.

2. De Beatæ Mariæ Virginis Conceptione libri omnes, Conciones, Disputationes, Tractatus, impressi post annum 1617, in quibus asseritur B. Virginem Mariam cum originali peccato conceptam esse; vel in quibus affirmatur opinantes B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam esse hæreticos, vel impios, vel peccare mortaliter.

3. Declarationes, Decisiones, Interpretationes Congregationis Concilii Tridentini, earumque Collectiones tam impressæ quam imprimendæ, e mentito ipsius Congregationis nomine.

4. De controversia exorta inter Episcopum Chalcedonensem, et Regulares Angliæ libri omnes, et singuli tractatus impressi, sive manuscripti, et omnia alia quæ spectant directe, vel indirecte ad prædictam controversiam. Per hoc autem Decretum nihil intendit sacra Congregatio statuere de meritis causæ, vel ulli auctori, aut operi ignominiam aliquam, vel notam malæ doctrinæ inferre.

5. De doctrina libri Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, qui inscribitur *Augustinus*, libri omnes et libelli, aut epistolæ tam impressæ quam manuscriptæ, seu in posterum edendæ et publicandæ, in quibus illa eo modo damnata quo eam damnavit Alexander VII, vel ut est in

V propositionibus damnata, propugnatur, vel quomodolibet approbatur aut defenditur.

6. De Constitutione *Unigenitus* Clementis XI libri, aliaque scripta, in quibus illa subdole eluditur, temere carpitur, aut contemnitur, et impugnatur. — Item libri, sive libelli vel scripti, vel typis editi, aut edendi in defensionem libri inscripti: *Le Nouveau Testament en français avec des réflexions morales sur chaque verset*, aut alio titulo: *Abrégé de la Morale de l'Évangile*, etc. — Item Actus, sive instrumenta Appellationum quæcumque a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium generale: necnon Judicia Theologorum, aut facultatum Theologicarum, sive Academiarum, earumque Deliberationes, Consultationes, Acta, Decreta; quorumcumque etiam aliorum Mandata, Ordinationes, Arresta, Epistolæ; Interpretationes etiam, et Declarationes ac scripta quælibet, quibus explicationis, aut alio quovis prætextu aliquid dicitur, vel scribitur, quo dictæ Constitutionis robor, atque auctoritates, et obligatio minui aut infringi possit.

7. De Duellis agentes libri, litteræ, libelli, scripta, in quibus eadem duella defenduntur, suadentur, docentur. Si qui vero hujusmodi libri ad controversias sedandas, pacesque componendas utiles esse possunt, expurgati et approbati permittuntur.

8. De Johannis Cala asserti Anachoretæ prætensa sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque hujusmodi signis, libri, codices, et folia quæcumque sive manuscripta, sive impressa. — Item omnia et singula transumpta, seu copię tam impressæ quam manuscriptæ Decreti a Vicario Generali Cassanensi emanati, per quod idem Vicarius ausus fuit definitive pronuntiare eundem Johannem fuisse in quasi possessione cultus, atque ideo in eo manutenendum.

9. Libri omnes immunitatem Bonorum Ecclesiasticorum impugnant.

10. De Laminis plumbeis Arabico sermone, et antiquis characteribus conscriptis, ac in cavernis montis Illipulitani, dicti Saeri, prope Granatam repertis, et de Scripturis in turri Torpiana ejusdem civitatis inventis, libri omnes, Tractatus, Responsa, Consulta, Commentarii, Glossæ, Additamenta, Annotationes, et quæcumque alia sive manuscripta, sive typis impressa. Alii vero libri, sive tractatus, qui ad alia argumenta spectant obiter verò de his Laminis, vel de earum doctrina tractant, permittuntur, expunctis locis quæ de his laminis agunt.

11. De SS. Apostolis Petro et Paulo libri omnes tam impressi quam manuscripti, in quibus asseritur et defenditur quod S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes qui unicum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ Catholice Coryphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti: vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in

unum divinissime coaluerunt : vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt; atque ita explicantur, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema universalis Ecclesiæ.

12. De vera, et non interrupta successione filiorum S. Francisci, et de vera forma Caputii ejusdem libri omnes impressi, et qui incon-sulta sacra Congregatione imprimuntur, tractantes hanc eandem controversiam.

13. Pasquilli omnes ex verbis sacre Scripturæ confecti. — Item Pasquilli omnes etiam manuscripti, omnesque conscriptiones, in quibus Deo, aut Sanctis, aut Sacramentis, aut Catholica Ecclesia et ejus cultui, aut Apostolicæ Sedi quomodocumque detrahatur.

14. Libri omnes agentes, ut vulgo dicitur, *de l'avenir et des sorts*.

§ 3. — Imagines et Indulgentiæ prohibitiæ.

1. Imagines cum laureolis, aut radiis, sive splendoribus, eorum qui neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sunt a Sede Apostolica.

2. Imagines Domini Nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum quarumque sculptæ, aut pictæ cum alio habitu et forma quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, vel etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis.

3. Imagines, Numismata insculpta pro Confraternitatibus Mancipiorum Matris Dei, italice *Schiavi della Madre di Dio*, sodales cate-natos exprimentia. — Item libelli, in quibus eisdem Confraternitatibus regulæ præscribuntur. Confraternitates autem quæ catenulas distribuunt confratribus et consoribus, brachiis et collo circumponendas atque gestandas, ut eo signo Beatissimæ Virgini emancipatos se esse profiteantur, et quarum institutum in eo mancipatu præcipuè versatur, damnantur et extinguuntur. Societatibus vero, quæ ritum aliquem, aut quodcumque aliud ad mancipatum ejusmodi pertinens adhibent præcipitur ut id statim rejiciant.

4. Imagines, catenulæ, folia, libelli pro usu Confraternitatum sub invocatione SS. Sacramenti, B. Mariæ Virginis Immaculatæ, et S. Joseph sub titulo *Gregis Boni Pastori* erectarum et in quibus representantur homines penduli a Christo, a sacra Pyxide, a B. Virgine, a S. Josepho, et a quovis alio Sancto.

5. Imagines ubi representatur puer Jesus in sublime elatus, et sub

ipso tres Ecclesiæ Doctores, et in locum aliorum trium (qui representantur in imaginibus ejusdem formæ jam pridem impressis) substituti sunt tres Presbyteri Regulares cum his versibus : *Jesu Doctorum intima, qui nubes ignorantie pellis rore gratiæ, etc.*

6. Imagines sive depictæ, sive sculptæ, sive impressæ Johannem Calta quocumque sanctitatis vel beatitudinis signo representantes.

7. Imagines ubi representatur B. Virgo cum Filio in medio duorum sanctorum Societatis Jesu, quorum uni tradit librum, alii Rosarium cum hac inscriptione : *Deipara Virgo cum Filio inspirat, commendatque Societati Jesu institutionem Sodalitatum, et Officii, Rosarii que usum.*

8. Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci et Antonii de Padua, in quibus dicitur formam habitus qua depicti sunt esse eandem qua ipsi usi fuerunt : vel in quibus asseritur in hoc vel illo ordine S. Francisci esse veram, legitimam, et non interruptam ejusdem S. Patris in filios successionem.

9. Indulgentiæ omnes concessæ coronis, granis seu calculis, crucibus, et sacris ante Decretum Clementis VIII, anno 1597 editum, *de forma Indulgentiarum*. — Item indulgentiæ omnes concessæ quibuscumque Regularium Ordinibus, Confraternitatibus sæcularibus, Capitulis, Collegiis, aut eorum Superioribus, ante Constitutionem ejusdem Clementis VIII, *Quæcumque*, 7 decemb. 1604, et Pauli V, *Romanus Pontifex*, d. 13 maii 1606, et *Quæ salubriter*, d. 25 novemb. 1610, revocata sunt, atque apocryphæ habendæ, nisi ab iisdem Pontificibus aut eorum Successoribus revocata ac confirmata fuerint.

10. Indulgentiæ concessæ coronis S. Brigittæ ab Alexandro VI declarantur apocryphæ, et nullius roboris ac momenti : sine præjudicio tamen Indulgentiarum a Leone X dictis coronis concessarum vi id. jul. 1515.

11. Indulgentiæ concessæ crucibus S. Turibii ab Urbano VIII, tanquam falsæ habendæ sunt.

12. Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessionem continentur, non edantur absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum.

§ 4. — Quædam ad Ritus Sacros spectantia, quæ prohibita sunt.

1. Benedictiones omnes Ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra Rituum Congregatione.

2. Exorcismorum formulæ diversæ ab iis quæ præscribuntur in Re-

gulis Ritualis Romani, et earundem usus, absque prævio examine coram Ordinario.

3. Litanie omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Brevariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra sede Lauretana decantari solent.

4. Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V, præsertim quæ *Venetis* apud *Junctas*, *Sessas*, *Misserinum*, et ad *signum Syrenæ* atque *Europæ*, et quoscumque alios, impressa sunt ab anno 1596.

5. Officia B. Mariæ Virginis, vel Sanctorum aut Sanctarum, aliaque hujusmodi absque approbatione Sac. Rituum Congregationis edita, vel edenda.

6. De Ritibus Simicis, eorumque controversiis, aut illorum occasione exortis, libri, libelli, relationes, theses, folia et scripta quæcumque post diem 1^{am} octobris 1710 edita, in quibus, ex professo, vel incidenter, quomodolibet de iis tractetur, sine expressa et speciali licentia Romani Pontificis in Congregatione sanctæ et universalis Inquisitionis obtinenda.

7. Rituali Romano additiones omnes factæ aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione S. Congregationis Rituum.

8. Rosaria quæcumque de novo inventa, aut inveniendæ, sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium Deo et B. Mariæ Virgini sacrum antiquaretur.

FINIS TOMI TERTII

INDEX TOMI TERTII

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE RESTITUTIONE.

DISPUT. I. De restitutione in genere.	1
CAP. I. De subjecto restitutionis.	5
Art. I. De eo qui ad restitutionem tenetur.	5
§ 1. De eo qui culpabiliter damnum infert immediate.	14
<i>Scholium.</i> De fraudatoribus tributorum ac gabellarum.	21
§ 2. De eo qui culpabiliter damnum infert mediate.	25
N. 1. De mandante seu jubente et consulente.	31
N. 2. De consentiente, palpone, receptatore et participante.	37
N. 5. De muto, non obstante, et non manifestante.	42
Art. II. De eo cui restitutio faciendæ est, de restitutionis ordine et circumstantiis.	45
CAP. II. De causis a restitutionis obligatione excusantibus.	57
DISPUT. II. De restitutione in specie.	63
CAP. I. De bonis animæ et corporis.	63
Art. I. De homicidio et mutilatione membrorum.	67
§ 1. De bello.	75
§ 2. De suicidio, duello et abortu.	80
§ 3. De vitæ, pudicitie, honoris, et bonorum aggressionem.	90
Art. II. De stupro et adulterio.	99
CAP. II. De bonis famæ et honoris.	109
Art. I. De læsione et reparatione famæ.	111
Art. II. De modo quo læditur et reparatur honor.	128
<i>Scholium.</i> De secreti manifestatione, et libello infamatorio.	132
CAP. III. De bonis fortunæ.	137

gulis Ritualis Romani, et earundem usus, absque prævio examine coram Ordinario.

3. Litanie omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Brevariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra sede Lauretana decantari solent.

4. Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V, præsertim quæ *Venetis* apud *Junctas*, *Sessas*, *Misserinum*, et ad *signum Syrenæ* atque *Europæ*, et quoscumque alios, impressa sunt ab anno 1596.

5. Officia B. Mariæ Virginis, vel Sanctorum aut Sanctarum, aliaque hujusmodi absque approbatione Sac. Rituum Congregationis edita, vel edenda.

6. De Ritibus Simicis, eorumque controversiis, aut illorum occasione exortis, libri, libelli, relationes, theses, folia et scripta quæcumque post diem 1^{am} octobris 1710 edita, in quibus, ex professo, vel incidenter, quomodolibet de iis tractetur, sine expressa et speciali licentia Romani Pontificis in Congregatione sanctæ et universalis Inquisitionis obtinenda.

7. Rituali Romano additiones omnes factæ aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione S. Congregationis Rituum.

8. Rosaria quæcumque de novo inventa, aut inveniendæ, sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium Deo et B. Mariæ Virgini sacrum antiquaretur.

FINIS TOMI TERTII

INDEX TOMI TERTII

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE RESTITUTIONE.

DISPUT. I. De restitutione in genere.	1
CAP. I. De subjecto restitutionis.	5
Art. I. De eo qui ad restitutionem tenetur.	5
§ 1. De eo qui culpabiliter damnum infert immediate.	14
<i>Scholium.</i> De fraudatoribus tributorum ac gabellarum.	21
§ 2. De eo qui culpabiliter damnum infert mediate.	25
N. 1. De mandante seu jubente et consulente.	31
N. 2. De consentiente, palpone, receptatore et participante.	37
N. 5. De muto, non obstante, et non manifestante.	42
Art. II. De eo cui restitutio faciendæ est, de restitutionis ordine et circumstantiis.	45
CAP. II. De causis a restitutionis obligatione excusantibus.	57
DISPUT. II. De restitutione in specie.	63
CAP. I. De bonis animæ et corporis.	63
Art. I. De homicidio et mutilatione membrorum.	67
§ 1. De bello.	75
§ 2. De suicidio, duello et abortu.	80
§ 3. De vitæ, pudicitie, honoris, et bonorum aggressionem.	90
Art. II. De stupro et adulterio.	99
CAP. II. De bonis famæ et honoris.	109
Art. I. De læsione et reparatione famæ.	111
Art. II. De modo quo læditur et reparatur honor.	128
<i>Scholium.</i> De secreti manifestatione, et libello infamatorio.	132
CAP. III. De bonis fortunæ.	137

Art. <i>unicus</i> . De furto	137
APPENDIX. De justitiæ filiabus ac ceteris virtutibus cardinalibus	152
CAP. I. De præcipuis justitiæ filiabus	152
Art. I. De pietate, observantia, obedientia et veracitate	152
Art. II. De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate	159
CAP. II. De ceteris virtutibus cardinalibus	164
Art. <i>unicus</i> . De prudentia, fortitudine et temperantia	164
§ 1. De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu et simplicitate	169
§ 2. De castitate conjugali, viduali et virginali	174
Adnotationes ad Tractatum septimum	176

TRACTATUS OCTAVUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PRÆAMBULA	224
DISPUT. I. De Fide	226
CAP. I. De fidei nomine, natura ac divisione	226
CAP. II. De fidei objecto, regula, analysi ac subjecto	231
CAP. III. De fidei proprietatibus	239
Art. I. De fidei certitudine ac credibilitate	240
Art. II. De fidei necessitate	245
§ 1. De fidei necessitate ratione actus interioris	245
§ 2. De fidei necessitate ratione actus exterioris, de symbolis fidei et catechismis	255
CAP. IV. De præcipuis vitiis et peccatis fidei oppositis	263
Art. I. De infidelitate atque fidelium communicatione cum infidelibus	263
Art. II. De hæresi et apostasia	267
§ 1. De Catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei, ac de hæreticis dignoscendis	277
Art. III. De lectione librorum prohibitorum	284
<i>Scholium</i> . De fidei impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia; de iis eliminandis, ac studio fidei dilatandæ	297
DISPUT. II. De Spe	309
CAP. UNIC. De spei natura, divisione, objecto, subjecto, proprietate, vitiis oppositis et remediis	309
DISPUT. III. De Charitate	317
CAP. I. De charitatis natura, divisione, objecto et proprietate	317
Art. I. De charitatis necessitate relate ad Deum	322
Art. II. De charitate erga seipsum et proximum, ac de inimicorum dilectione	325
Art. III. De charitatis officiis in proximum	332

§ 1. De eleemosyna	335
§ 2. De correctione fraterna	338
CAP. II. De ordine in charitate servando, et vitiis charitati oppositis	344
Art. I. De scandalo activo	362
Art. II. De scandalo passivo, atque cooperatione ad aliorum peccata	358
<i>Scholium</i> . De notis seu censuris theologicis	366
Adnotationes ad Tractatum octavum	368

TRACTATUS NONUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

DISPUT. I. De Sacramentis in genere	451
CAP. I. De nomine, natura, necessitate, existentia et auctore	451
CAP. II. De partibus Sacramentorum seu de materia et forma	460
CAP. III. De Sacramentorum ministro	469
Art. I. De conditionibus ad validam confectionem	471
Art. II. De valida et licita confectione	479
<i>Scholium</i> . De probitate ministri quoad alias functiones sacras	486
CAP. IV. De Sacramentorum subjecto	487
CAP. V. De Sacramentorum effectibus ac cæremoniis	495
<i>Scholium</i> . De Sacramentalibus	505
DISPUT. II. De Sacramento Baptismi	509
CAP. I. De nomine, natura, institutione et necessitate Baptismi	509
CAP. II. De materia et forma Baptismi	514
CAP. III. De Baptismi ministro	523
CAP. IV. De Baptismi subjecto	535
CAP. V. De Baptismi effectibus et cæremoniis	542
DISPUT. III. De Sacramento Confirmationis	550
CAP. I. De natura, institutione, necessitate, materia et forma	550
CAP. II. De ministro, subjecto, effectibus et cæremoniis	558
DISPUT. IV. De Eucharistia	563
PARS I. De Eucharistia prout est Sacramentum	564
CAP. I. De natura et institutione Eucharistiæ	564
Art. I. Realis Christi præsentia in Eucharistia	569
Art. II. De transubstantiatione et cultu Eucharistiæ debito	577
Art. III. De necessitate Eucharistiæ	584
<i>Scholium</i> . De Viatico	591
CAP. II. De materia et forma Eucharistiæ	595
CAP. III. De ministro et subjecto Eucharistiæ	604
Art. I. Dispositiones in subjecto ex parte corporis	611
Art. II. Dispositiones ex parte animæ	617
<i>Corollarium</i> . De communionem sub utraque specie, de communionem frequenti ac spirituali	622

CAP. IV. De Eucharistiæ virtute seu effectibus.	627
ARS. II. De Eucharistia prout est Sacrificium.	630
CAP. I. De Sacrificii Eucharistici natura et ministro.	630
Art. i. De tempore et loco celebrationis, ac Missæ stipendio.	637
Art. ii. De Missæ duratione, de altari et hora præfixa deque Missarum numero et reductione.	642
Art. iii. De cæremoniis, idiomate, voce et requisitis ad Missam; de defectibus et interruptione.	647
CAP. II. De subjecto Sacrificii Eucharistici, de applicatione, valore et effectibus.	657
<i>Scholium.</i> De Missis privatis, votivis et Altari privilegiato.	665
<i>Adnotationes</i> ad Tractatum nonum.	666
APPENDIX I. Solutions de la Sacrée Pénitencerie de Rome sur quel- ques doutes qui se sont élevés sur le sens de la Bulle pontificale publiée, le 15 septembre 1822, contre les sociétés secrètes.	760
APPENDIX II. Résumé des règles générales concernant les livres pro- hibés, publiés par ordre du Concile de Trente et par déclarations subséquentes du Saint-Siège.	763
APPENDIX III. Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis.	765
§ 1. Libri ad Hæreticis scripti, vel editi, aut ad eos sive ad Infideles pertinentes prohibiti.	765
§ 2. Libri certorum argumentorum prohibiti.	766
§ 3. Imagines et Indulgentiæ prohibite.	768
§ 4. Quædam ad Ritus sacros spectantia, quæ prohibita sunt.	769

FINIS INDICIS TOMI TERTII

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

